
3 1761 05974193 4

HANDBOUND
AT THE

UNIVERSITY OF
TORONTO PRESS

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

https://archive.org/details/praelectionesaca01kebl

8518

De Poeticæ Vi Medica.

PRÆLECTIONES ACADEMICÆ

OXONII HABITÆ,

ANNIS

MDCCCXXXII . . . . . MDCCCXLI,

A JOANNE KEBLE, A.M.

POETICÆ PUBLICO PRÆLECTORE,

COLLEGII ORIELENSIS NUPER SOCIO.

Ὁ δὲ Θεὸς διὰ πάντων τούτων ἕλκει τὴν ψυχὴν ὅποι ἂν βούληται τῶν ἀνθρώπων, ἀνακρεμαννὺς ἐξ ἀλλήλων τὴν δύναμιν.

Plato in Ione, c.7.

TOM. I.

OXONII:

J. H. PARKER.

M.DCCC.XLIV.

VIRO VERE PHILOSOPHO,

ET VATI SACRO,

GULIELMO WORDSWORTH,

CUI ILLUD MUNUS TRIBUIT

DEUS OPT. MAX.

UT, SIVE HOMINUM AFFECTUS CANERET,

SIVE TERRARUM ET CŒLI PULCHRITUDINEM,

LEGENTIUM ANIMOS SEMPER AD SANCTIORA ERIGERET,

SEMPER A PAUPERUM ET SIMPLICIORUM PARTIBUS STARET,

ATQUE ADEO, LABENTE SÆCULO, EXISTERET

NON SOLUM DULCISSIMÆ POESEOS,

VERUM ETIAM DIVINÆ VERITATIS

ANTISTES,

UNUS MULTORUM, QUI DEVINCTOS SE ESSE SENTIUNT

ASSIDUO NOBILIUM EJUS CARMINUM BENEFICIO,

HOC QUALECUNQUE GRATI ANIMI TESTIMONIUM

D. D. D.

REVERENTIÆ, PIETATIS, AMICITIÆ ERGO.

LECTORI S.

VIDEO me omnia ferme, quæ proferri hic velim, ad mitigandum doctorum virorum de hoc qualicunque libro judicium, jam protulisse in Oratione, quæ dicitur, Inaugurali. Illud, fateor, auguria nostra fefellit, quod his annis non tam reipublicæ quam Ecclesiæ periclitantis causa ab otiosis literarum deliciis nullo non tempore nos omnes avocare videbatur. Quod nisi intellexissem, eorum sententia quibus in hac parte primas deferre soleo, spem aliquam subesse, quæstiones hoc genus ne in divina quidem re suo fructu carituras, neque principio me ad illud munus pensumque contulissem, nec semel dicta decrevissem in manus hominum mittere.

Ac vereor ne tardius tandem ea prodeant : sed diu multumque expolienda erant. Jam si gravioribus mendis careant, (utinam vero !) id omne tribuant velim Lectores amicissimo viro et harum literarum peritissimo, qui sua negotia, operosa sane, hisce corrigendis cumulari benigne voluit.

ORATIO INAUGURALIS:

SIVE

PRÆLECTIO PRIMA.

Disputato prius (inter alia) cur in hac materie veteres Latinam linguam patriæ recte prætulerint, definitur Poesis non e genere et differentia, sed e proprietate quadam sua: videlicet, quod ea, salvo pudore, æstuantes hominum affectus efferat ac leniat.

QUUM ad hoc munus obeundum viri olim vere diserti, abundanti otio, recentibus studiis, non sine gravi mentis perturbatione primo se accessisse memoraverint: quo tandem animo is esse debet, quem vitæ jam negotiis implicitum tanquam ab acie in palæstram revocare vobis, Academici, placuit? Bene scilicet de vobis mereri aventem dignati estis ultro accipere: itaque me, siquem alium, sempiterno grati animi vinculo Almæ Matri addictum tenebitis. Vos quidem pro vestra humanitate: mihi rem propius intuenti, ut verum fatear, sæpissime occurrit, an amplissimo huic loco, atque incremento bonarum artium, non satis bene fuerit a vobis consultum.

Etenim ut plura taceam, quæ de hisce rebus cogitantem angere ac torquere solent, subit interdum non levis dubitatio, ne paullo sim annis provectior, quam poeticæ hujus disciplinæ ratio atque indoles facile ferat. Quotus enim quisque nostrum, constanti jam ætate, non queritur sibi paullatim defervescere quodammodo et defluere exundantem illum ingenii vigorem, et quemadmodum multo jam die matutinos cœli colores, ita voluptatem eam, quæ juvenes ad poetarum studia allexerit, senescentibus tenuiorem quasi et languidiorem in horas evadere? Ecquis autem de carminibus judicantem ferat, ipsum omnino poetica vi exhaustum, et Musæi, quem vocant, leporis oblitum?

Est tamen, quod his curis vexatum reficiat identidem atque recreet: tum quod ipse mente animoque sentiam adhuc, ut cum maxime, miram quandam harum literarum dulcedinem; unde nonnulla spes oritur, me aliqua saltem ex parte juvenilium animorum ardori responsurum fore: tum quod de re poetica disserenti, his præsertim, qui nunc sunt, hominibus, fræno magis, me quidem judice, quam calcare sit utendum. Nimis, nimis, inquam, familiariter, una jam atque altera ætate, magnorum vatum monumenta ac reliquias pertractare atque excutere est moris; temere ac petulanter nimis in ista sacraria vulgo irruitur: quicquid novi atque inauditi se excogitasse putat aliquis, nulla mora, nulla religio; in medium illico, magno cum strepitu, proferuntur et projiciuntur omnia. Isto sane præ cæteris vitio vacare debent hi vestri conventus, purioris disciplinæ exemplar et specimen; et vacavisse ad hunc usque diem libenti animo vobis gratulor; vacaturos autem in omne tempus eo melior et firmior spes,

quo annis animisque maturiores erunt, quorum fidei atque consilio commendabitur a vobis ea provincia. Hoc uno nomine, ut fit, blandiri mihi, fretus ætate, soleo; quod in toto opere peragendo, tanquam in re gravissima ac pæne sacrosancta, summa reverentia usurum me et spero, et siquid de me profiteri audeam, profiteor.

Neque illud omnino indictum velim, quod cuivis, opinor, in mentem veniat; non in ea nos incidisse reipublicæ tempora, quæ in deliciis hujusmodi, sacris præsertim officiis inservientem, securo ac libero animo spatiari sinant. Ecce aliam vobis hæsitandi causam; quæ nec ipsa tamen suo solatio careat. Nimirum, ut ne suscepto oneri misere prorsus atque turpiter desim, multum erit mihi laboris impendendum, homini jamdudum rusticanti et alia omnia agenti; sopiti doctrinæ ignes, si qui intus latent, fovendi atque suscitandi; multa revocanda in memoriam, plura de novo discenda, omnia denique ratione et via, quantum in nobis erit, collocanda. Quid multa? quarum rerum antea tacita quadam dulcedine fruebar, eas jam res intelligere oportebit, atque ordine coram doctis exponere. Summo igitur opus erit otio, quo curis vacuus id unum agat animus, ut arcana rei poeticæ, non sua quædam insomnia, tum secum meditando exquirat, tum veris aptisque verbis adumbret. Quod contra, nescio an nulla spes sit quietis, hac omnium ordinum procella, rerumque sanctarum extremo discrimine. Nemo enim non videt, hoc fere biennio, quo studio, qua industria, scelerati homines male agant; qua malitia longinqua ruris petant, ut ne casula quidem ulla sit tam abdita, tam remota, quam non isti famosis atque impiis libellis, suorum incendiorum veluti fomite, compleverint. His in-

vigilatur periculis, hos contra hostes excubiæ agun-tur, ac vereor equidem ne diutius, serpente indies malo, sint agendæ. Ergo cum de otio ac tranquillitate, justissimo æterni Vindicis judicio, prorsus desperandum esse videatur, nostri tamen officii erit, inter negotia ac formidines, curare, nequid ignavia nostra peccetur in famam Academiæ, bonasque literas: vestræ erit indulgentiæ, siquid errabitur (qualia sat scio innumera fore), id temporum potius iniquitati, nostræque mediocritati, quam negligentiæ et socordiæ tribuere.

Quod si is plane forem, quem esse deceret, qui ex superiore loco vos alloqueretur, non equidem ideo refugiendum duxerim, quod scilicet minus bene conveniat, periclitante republica, in studia Poetarum incumbere: quippe qui nihil his studiis efficacius credam ad cives omni virtute armandos, nihil vicissim ad hæc utilius, quam si quis, sui oblitus, patriæ laborantis causa strenuum atque indefessum se gerat. Verum quam arcta societate inter se conjungantur hinc vatis egregii, illinc fortis bonique civis officia, alius fortasse disserendi locus erit. Nunc unus etiam mihi scrupulus injicitur, quem postquam pro viribus evellero, rem ipsam paucis aggredi, nostrique consilii summam exponere, licebit.

Complures hoc tempore esse intelligo, qui se nescire dicant, cur intra hos parietes Latine tantum perorare fas sit; de ea re præsertim disputanti, quæ ex intimis animi sensibus oriatur, et in minutissima quaque ac delicatissima rerum ac verborum varietate versetur: quam adeo ne patrio quidem sermone dilucide satis explicari posse autumant. Inveniri

præterea apud recentiores tum nova quædam Poeseos genera, et veteribus plane incognita, tum in unoquoque genere infinitam fere exemplorum vim; eaque cum Græcis et Latinis collata clare ac perspicue docere, quid in his rebus natura comparatum, quid temporum, locorum, hominum sit proprium. Denique argumentum per se difficile gratuita quadam difficultate cumulari, dum vestigiis rudioris ævi obstinato animo insistentes, peregrino et pæne jam obsoleto sermone eas res tractari jubemus, quibus et interesse juniores, et cum voluptate immorari volumus.

Hæc illi: quibus ego ita sane obtemperatum velim, ut ne tamen omnino exsilii causa solum vertisse, atque ab Academia penitus migrasse dicendum sit Musas Latinas. Quod nonnihil metuendum existimo, cum indies ab earum provincia deminui aliquid ac detrahi videam: ut vix jam eas uno alteroque apud nos donari præmio mutata tempora moresque sinant. Equidem quid alii sentiant nescio; mihi certe, si illis carebimus, ægerrime id videbitur ferendum: non modo propter insitam earum suavitatem, intimumque illud, quo semper gaudent, cum omni liberali studio commercium, verum etiam honoris causa, qui clarorum virorum monumentis nullo non tempore debetur: eorum dico, quos præstanti ingenio, nostra atque patrum memoria, hoc ipso ex loco concionatos esse novimus; quorum libri in manibus sunt omnium. Parumne profecisse videntur, Academici, quibus uno jam sæculo bis contigerit, ut aureum opus posteritati traderent? Sed de vivis, præsertim amicis, tacendum puto: nam venit in mentem sententiæ illius, *ὅ τε ξυνειδὼς καὶ ἔπους ἀκροατὴς τάχ' ἄν τι ἐνδεέστερος πρὸς ἃ βούλεταί τε καὶ ἐπίσταται, νομίσειε δηλοῦσθαι,*

ὅ τε ἄπειρος, ἔστιν ἃ καὶ πλεονάζεσθαι. Unus, credo, exquisitissimus ille "de Sacra Hebræorum Poesi" libellus Latinis literis suum locum apud nos diutissime vindicabit. Nunquam pœnitebit istarum elegantiarum: nunquam non eximio quodam favore eam doctrinæ partem prosequemur, quæ talem nobis palmam meruerit.

Quod vero ad artem ipsam attinet; primum quidem magnopere cavendum, nequid vel artis promovendæ studio temere unquam a nobis admittatur, quod aut legibus Academiæ, aut mori majorum, aut Illius denique Viri consilio repugnet, qui primus, qua erat humanitate, Poeticam hoc munere ornari voluit.

Deinde haud scio an commodius aliquanto de re poetica dicatur hodie Latina lingua quam patria. Equidem non negaverim, id quod omni ferme hora graviter atque acerbe fero, comprimi quodammodo et constringi innatam qualemcunque ingenii vim, obtundi inventionem, toto animo languere nos citius et fatigari: in eo demum periculo versari, ne dum verba ac clausulas venamur, dum scite aliquid ac Latine efferimus, ab ipsa rerum veritate recedatur. Sunt ea sane: non tamen idcirco quidquam in hac re immutari velim, eo quod ab adversa parte graviora quædam imminere arbitror, magisque ab his aliena studiis. Nempe eo jam res devenit, ut in carminibus fingendis nihil fere agere videatur, qui non perpetuis quasi luminibus oculos legentium præstringere noverit. Nihil jam grave, simplex, sincerum; inquieta omnia, et vaga et turbida, ne dicam prodigiosa et immania, crepant. Cantare crederes imperitos puerulos; quibus id solum, enitendum videtur, ut summa quisque voce cantet; quam con-

cinne, quam apte, quam suaviter cantent, id neque curant neque norunt quidem.

Itaque labente et inclinata Poesi, vix fieri potuit, ut Criticæ, quam vocant, suum munus integrum maneret: quis enim, corruptissima republica, incorruptos fore judices speraverit? His certe temporibus usu venit, ut quorum erat luxuriantia compescere, ipsi incomposita rerum et verborum luxurie diffluant ubique ac vagentur; qui ambitiosa recidere debebant, ipsi sint omnium ambitiosissimi; quibus naturæ judicia confirmanda, vanissimarum ipsi opinionum commenta quotidie in vulgus serant. Ut uno verbo dicam, ingenio nimium tribuitur, veritati parum.

Accedit quod nihil istis importunius ne cogitari quidem possit; quorum alii septimo quoque die, alii modestiores singulis mensibus, qui summa abstinentia utuntur, quater certe in anno redeunt, Criticorum nomine et loco gestientes. Rarissimi sunt, qui in illa celeritate scribendi non plurima secus dicant, atque id, quod unice deceat. Sed fuerint quantumvis inepti, vulgo tamen suos quisque fautores, suos, quod maxime omnium deprecandum, lectores atque emptores reperiunt.

Quæ cum ita se habeant, non incommode accidisse arbitror, nos in gravissimo opere peragendo iis potissimum legibus teneri, quæ vestræ dignitati magis, et severiori huic doctrinæ, quam aut aurium brevissimæ voluptati, aut acutorum hominum existimationi consulant. Facile patiemur plura nobis deesse, maxime alioquin optata atque commoda, gratiam, favorem, plena subsellia; tum quod longe est gravius, multis ac præclaris locis, et qui ad rem bene gerendam vel præcipue possent adjuvare, æquo satis animo carebimus: modo nihil putidum, nihil fucatum, nihil

non vetus atque simplex in sanctissima re proferatur.

Quod si cui nostrum aliquando contigerit feliciora quædam sibi excogitasse, et quæ vel ab indoctis audiri valde bonarum literarum interfuerit, nihil vetat ea vernaculis etiam, prout ipsa res feret, solenniter doceri: ita tamen ut summa quæque religione, sobrie atque severe, agantur. Ita demum salva erunt omnia; Latinis manebit sua prærogativa, Academiæ sua dignitas, neque tamen ulla ex parte præstantissimis studiis fiet injuria.

Hæc habui, quæ in vexatissima quæstione semel dicenda, Academici, putarem. Jam, qua potissimum parte campum illum infinitum Poeseos in animo sit tentare, quam potero planissime exponam. Quod ubi vobis demonstravero, id certe satis constabit, non eo nos consilio Latinis patrocinari, ut nostro scilicet labori parcatur. Etenim ejusmodi rem anquirendam atque excutiendam hodie suscipimus, quæ haud scio an minime omnium peregrinæ linguæ moras ac vincula ferat.

Nam primum, cum universo huic generi, cui nomen Poetica inditur, plurimæ simul voluptates sint præsto, variæ præsertim ac multiplices, mirisque inter se modis immistæ fere atque implicitæ, aliquam tamen unam ex omnibus, quam præcipue ac proprie Poeticam appellare liceat voluptatem, secernere et separare conabimur.

Deinde, per immensa artis spatia eo consilio decurrendum erit, ut primaria hæc voluptas, si qua sit, vestigiis ubique indagetur; ut declaretur quantum ea valeat, tum ad genera dispertienda, tum ad explicandas doctorum hominum de universa Poetica

sententias; diversissimas illas quidem, quas tamen inter se satis apte conciliari posse arbitror, modo bene posita fuerint hæc rei totius initia.

Postremo veterum Poetarum principes, tanquam testes, singuli ciendi, et in præstantissimo quoque sententiæ nostræ periculum faciendum. Qua quidem ratione, etsi (quod utinam aliter eveniat) de summa rei nos aut errasse aut obscurius egisse videbimur, fieri tamen poterit, ut in exemplis, aliisque id genus, commodi aliquid interdum excidat.

Principio igitur, ita nos omnes a natura comparati sumus, ut magno nobis sit solatio, quando vehementiore aliquo affectu, aut plena quasi mente ferimur, verbis, gestu, quocunque demum modo, posse tandem ea quæ sentimus expromere. Quod in iis clarissime cernitur, qui soli secum mussitando loquuntur, siquid acrius animum commoverit. Unde etiam ea apud Tragœdos passim obvia; quibus nihil ferme usitatius, quam ut gravissimas personas inducant, sua sibi gesta atque consilia magna claraque voce narrantes. Qua licentia cum illi sæpius abutantur, tum profecto nulla omnino ratione ferenda ea foret, nisi plerique agnoscerent auditores, etiam in se ipsis aliquando simile aliquid evenire posse.

Quid? in omni lingua solennes istæ ejulandi, acclamandi, execrandi quoque formulæ, nonne eodem omnia deveniunt? Sunt hæ quidem profanæ ac nefariæ, quas execrandi causa adhibent impii et conscelerati homines, sed indicant utique, quantum ad animos sedandos pertineat, ut in verba ac voces erumpendi, et pectoris quasi aperiendi sit via.

At vero ea rudibus modo ingeniis et tantum non

efferatis conveniebant: ut quicquid in mentem venisset, id protinus quoquo modo, belluarum ferme similes, cum incondito clamore ederent. Manet, credo, vel in perditissimis altioris aliquid et magis ingenui, quod plurima tacenda moneat: cui si dicto audientes erunt, moriendum sibi potius ducent, quam, quo modo intus moveantur, palam atque aperte dicendum. Illud etiam animadvertere licet, summa verecundia homines sæpissime his stimulis obnoxios inveniri, ambitionis dico, ægritudinis, desiderii, et siqua ejusmodi mortales cruciant: quippe qui omnia, pudorem quoque, nimis alacriter ac vivide sentiant: præsertim siqui "vita ingenua in beata civitate et libera vixerunt;" quos "omnes fere teneriore esse animo," verissime a Cicerone est traditum[a].

Ita fit, ut quorum ex usu foret maximo, onus quasi fatendo deponere, ii pudore quodam minime malo, sed ingenuo ac nativo, quidquam omnino profari vetentur. Quid faciant? eloqui pudet, pigetque; taciti, mente consistere nequeunt; quosdam etiam insanisse audivimus.

Non ab his longe diversa, neque tamen eadem plane videtur esse illorum ratio, quibus, velut Virgiliano illi juveni,

> —— aliquid jamdudum invadere magnum
> Mens agitat.

Magnum aliquid, sed incertum atque fluctuans, sed figura sua ac lineamentis nondum satis expletum, indicat. Hoc quale sit, norunt omnes, quibus aliquando obstupuere animi, dum aut rerum humanarum vices, aut mundi mirandum hunc ordinem, aut denique sanctissimam illam veræ et divinæ virtutis effigiem paulo forte attentius spectarent.

[a] Epist. ad Div. V. 21.

Nempe multis magnisque rebus uno eodemque tempore ingruentibus oppressa atque obruta mens, et quo se primo verteret nescia, quærebat quod sibi similiter, ac vexato corpori sunt lacrymæ, remedio et solatio foret. Quod ipsum utique desiderare dicebam homines impotenti affectu percitos: hoc tantum intererat; illos verecundia loqui prohibebat, his elatior est sensus, quam qui sermone hoc quotidiano monstrari aut queat aut etiam velit.

Optimum igitur utrisque subsidium comparasse dicimus eam vim providi ac benigni NUMINIS, quæ non cœlum modo et terras, sed corda quoque mortalium temperat, quod ea POESIN hominibus dedit. Nec ego valde nunc laboro, quid sonet hæc vox Poeseos: quam ut accuratissime definire possim, non hujus id loci est: duo tantum illa, quæ nemo inficias ibit, posita mihi et concessa velim: primo, Poesin, quæcunque demum sit, cum numeris et æquabili ordine sonorum arctissime quodammodo esse conjunctam: deinde in eo præcipue versari, ut absentium rerum imagines reducat, instauret, præ oculis ponat; cognata cuique, et similia, et filo quamvis tenui connexa, partim undequaque eliciat ac proferat, partim via et ratione componat; verbo dicam, Phantasiæ inserviat. Utraque certe ex parte mirum quantum ea confert ad pectora hominum mulcenda et constantiam tuendam. Cum enim in vocibus, numeris, modis moretur, animum tanquam aliud agendo a curis et angoribus avocat: cum autem phantasiæ det operam, revocet præterita, futura præsagiat, omnia denique eo colore, quo velit mens ipsa, imbuat; æstuantibus eam affectibus parcere et indulgere paulisper intelligimus, atque id saltem nobis solatii contigisse, quod negatum olim Didoni nocuit.

—— requiem spatiumque furori.

Verecundiæ vero, et honestæ illi, quam diximus, lucis formidini, qui potest consuli melius, quam ut per eas ambages, quas optime norunt Poetæ, seu commotior animus sive elatior quid sibi velit utcunque expediat? Elati certe illi, atque in altiora omnia, cœco quanquam motu, tendentes, mirabile est quam felices interdum sibi repererint exitus, cum ipsa numerorum et vocum vestigia, ut quæque primo occurrebant, ceu filum aliquod Labyrinthi, sectarentur. Deerat nimirum quod inter mille vias unam quandam eligendam proponeret; id quod tempora illa certa atque modos vel per se præstare posse, cuivis in promptu est intelligere.

Quare medicinæ alicujus loco divinitus in nos delapsæ præstantissimam Poeticæ artem habeamus: quæ mentis affectiones occultas ita curet, ut ne quid tamen pudori officiat, tumultuantibus ita locum concedat, ut ordinis et moderationis admoneat. Quo in genere cum præclarum ejus usum omnes uno ore laudaverint, nemini, quod sciam, in mentem venit, ad universam rem ordiendam atque in suas partes distribuendam istum præcipue locum adhibere. Quod tamen et fieri posse existimo, et non inutile factum fore. Id igitur qua potero diligentia ac fide præstare mihi est propositum. Nunc meum hoc qualecunque consilium vobis, Academici, vestræque indulgentiæ, tradere ac commendare liceat: quam cum multis in rebus cognitam atque perspectam habui, tum certo scio, nunquam illam denegatum iri, siquis ingenii non industriæ culpa in errorem inciderit: vosque enixe rogo atque oro, ut æquo ac benevolo animo dicentem audiatis, dicta judicetis.

PRÆLECTIO SECUNDA.

Confirmantur auguria nostra de Poeticæ Voluptatis ratione, argumentis e communi sermone ductis. Dispicitur, quid sibi velit hæc vox Poeseos, quoties eam vel puerorum vel indoctorum dictis factisve accommodamus. Tria ferme sunt genera, per quæ rustici inscientes Poesin quandam præ se ferunt: quorum primum in admonitu locorum, secundum in memoria mortuorum, tertium in sacrosanctis religionibus versatur.

NON me præterit, Academici, illum, qui ad subtile hoc genus literarum aliquid de suo afferre cupiat, magno cum periculo agere, ne forte in suis nimium sibi placens, eodem plane modulo omnia, quantumvis aliena, metienda arbitretur. Itaque, cum maxime illud munus Poetis, proprio quasi jure, deferrem, ut curent, nequid detrimenti mortales capiant, si quando aut nolint aut nequeant ea, quæ in corde sint, palam effari; intelligebam sane, quam difficili ac lubrico in loco versarer. Dicebam utique tunc temporis, id quod etiam atque etiam admonendi sunt, qui me audient, non accuratam nos artis descriptionem, omnibusque numeris absolutam, quærere; neque ex genere ac differentia (ut cum Dia-

lecticis loquar) sed ex proprietate quadam, aut ejusmodi certe adjuncto, quod separari vix possit, vocabuli illius, Poesin dico, vim aucupari. Quocirca, si cui forte vestrum aut arrogantius agere videbamur, qui aliter de hac re loqueremur, ac magni olim homines sensissent; aut inconsultius, qui amplissimo ædificio exilia quasi fundamenta jaceremus: omnino is intelligat velim, ita nos nostra comprobari velle, ut salva maneant cæterorum jura; ita eam quam tractamus voluptatem proxime a Poesi collocare, ut spatium tamen omnibus relinquatur imitationis, phantasiæ, numerorum illecebris.

Quod autem proprio nomine Poeticam voluptatem appellari volebamus illam, quæ in affectibus sublevandis atque in mente mulcenda ponitur; nolite putare nos aut imprudentes aut studio aliquo abreptos dixisse. Diximus, quotidianis hominum sensibus et communi verborum usu freti. Quod quo planius fiat, quæso a vobis, Academici, ut detis mihi hanc veniam, ut paullulum hodie de via deflectam, et quæram, aliquanto fortasse subtilius, quænam sit vis ac ratio verbi istius, Poeticæ, alieno loco adhibiti; tum in communi vita, tum in cæteris artibus, quæ ad humanitatem pertinent.

Ac primum omnium, quid ea vox valeat in usitato hoc sermone videamus: non quo vocabulorum significationes ultra modum urgendas velim; quas quidem mutari in horas et migrare nemo nescit, neque certa satis sui plerumque post se relinquere solere vestigia: sed tamen est aliquis earum sanior usus ac prudentior; quem qui omnino negligendum putet, is profecto singularem quendam aditum, quo

ad verum perveniri possit, ultro sibi occludere videtur. Atque haud scio an nusquam fidentius sit appellanda vulgaris ea loquendi norma, quam in hujusmodi quæstione; quæ licet ab ipsius naturæ judicio, simplicique omnium mortalium sensu, magna certe ex parte pendeat, miris tamen eam ingeniosorum hominum argutiis implicari et vexari videmus.

Quid est igitur, quod vel in iis, quos nunquam de carmine fingendo ne cogitasse quidem suspicamur;—quod in pueris, quod in rusticis, quod in barbaris atque incultis hominibus Poeticum nescio quid sapere, Poetico spiritu animari dicimus? Aut ego vehementissime fallor, aut ejusmodi nihil est omnino, quod non latentis alicujus specimen præ se ferat affectus; nihil quod non eleganti quodam solatio repressum in præsens desiderium leniat.

Leviculum forsan videbitur, quod primum dicam: dicam tamen audacter atque aperte, qui sciam, per levia plerumque Naturam, quid sibi velit, certissime indicare. Nonne pueris quoque ludentibus id inesse discrimen cernimus, ut alter, qua fors ferat, huc illuc vagetur atque volitet, alter defixa quasi mente cogitet aliquid ac moliatur? Horum autem siquis solertior extiterit in iis promendis quæ replent animum; si actu, gestu, imitatione quadam, imagines alta mente repositas effingere atque adumbrare calluerit: nonne ista solennis oritur acclamatio, non modo, "belle," non modo, "lepide," verum etiam, "poetice, factum?" Ut si quis puero illi adstitisset, qui apud Herodotum[a] pulcherrime depingitur; qui tyranno mercedem neganti, et per ludibrium et

[a] VIII. 137.

contumeliam Solis radios pro omni stipendio monstranti, Δεκόμεθα, dixit, ὦ βασιλεῦ, τὰ διδοῖς· tum dicto citius, περιγράφει τῇ μαχαίρῃ ἐς τὸ ἔδαφος τοῦ οἴκου τὸν ἥλιον· περιγράψας δὲ, ἐς τὸν κόλπον τρὶς ἀρυσάμενος τοῦ ἡλίου, ἀπαλλάσσετο. Ita specimen suæ dedit indolis, egregiæ sane, vereque regalis: quo tanquam omine perterritus statim tyrannus, elapsum e manibus sero ad perniciem quæsivit; deinde reversum, longo post tempore, bello et armis superiorem est expertus. Hæc omnia Herodotus, suo more, permixta fabulis, ita tamen ut plurima ubique veritatem et naturam redoleant: quæ disputationi huic nostræ non incongrua fore existimavi. Neque enim quisquam, ut opinor, dubitet, si tale aliquid hodie conspexerit, quin scintillam aliquam poeticæ flammæ emicuisse dicat puero illi; quem tamen ipsum de versu faciendo nullo unquam tempore ne somniasse quidem est credibile. Verum poetici erat instinctus, isto quasi simulacro solari regium animum, gloriæque appetentem, nondum tamen agendo maturum. Quem si fortunæ adversus tenor de regno cogitare vetuisset, facile tibi fingas Homerico carmine spes irritas utcunque mulcentem, prælüisque canendis insenescentem. Quid multa? Unico hoc exemplo satis jam constare arbitror, quidnam sibi velint homines, si quando "animosos infantes," ut cum Horatio loquar, Poesin imprudentes exercere dicant.

Venio ad agrestes et indoctos: de quibus aliquando dubitari audimus, an voluptatis ejus, quæ cum Poesi optime congruat, ullo modo participes haberi debeant. Quæ omnis dubitatio, ut verum fatear, solet mihi videri arrogantior; quæque otiosis

ac beatis hominibus, vix autem bene cordatis, conveniat. Nisi forte illa apud Juvenalem serio quis animo dicta arbitretur;

> " Neque enim cantare sub antro
> Pierio, thyrsumve potest contingere sana
> Paupertas, atque æris inops, quo, nocte dieque,
> Corpus eget."

Sed meminisse debebant homines, quamcunque tandem sibi vellent poetici negotii summam statuere, non aliunde derivari eam posse, quam ab intima generis humani forma, quæ omnium ordinum est communis.

" At otium egenis negatur." Incommodum, fateor, si ad carmina tantum fingenda spectes. Sin autem in mente ipsa Poeseos origines altius repetas, nescio an magis sit lucro apponendum, quod κακοζηλία ista careant, quæ divitibus lautisque solet officere, quam damno, quod non vacent literis. Parcius multo scribunt: fieri tamen potest, ut ea quibus fervent animi non infeliciter in lucem edant.

" At enim vel rustica rustici non satis curare dicuntur:

> ' Hunc solem, et stellas, et decedentia certis
> Tempora momentis spectant formidine nulla
> Imbuti :'

Quinetiam sermonibus suis, quos pro tempore inter se de mundo ac tempestatibus serunt, non horrida illa atquea spera loca, divinis vatibus amata, laudant; sed composita, sed nitida, sed fastidiosam quandam copiam, semper fere mirari solent; variasque columnas sylvis immiscent." Quid multa? si hos audietis, nihil erit prorsus agricolæ cum Musis: cum ipse sua rura negligendo, se plane ἄμουσον fateatur.

Verum enimvero, qui ita fabulantur, curiosius paullo inquirant velim, quæ sit plerumque locupletium ac beatorum sincera de rure sententia. Quam

multos hodie putatis, cum "saxa et solitudines" crepant, inveterato cuidam mori obtemperare potius, quam sine fuco et fallaciis flagrans animi studium mulcere! Quorum si veræ essent voces, et "pectore ab imo," juxta Lucretianum illud, "excussæ," id sæpius, credo eveniret, quod mihi quidem perraro, quod sciam, videre contigit: ut unus certe atque alter ex iis qui pecuniosi nominantur, sciens volensque rem familiarem, amœniorum locorum amore, imminueret: fundi plerumque eo pluris emerentur, non solum quo fructuosior quisque, verum etiam quo aspectu esset jucundior. Quod si pauca fiunt ejusmodi, intelligimus profecto mera esse verba, quæ de rure beato atque aviis Pieridum locis hi nostri piscinarii ad fastidium usque decantant.

Sed concedamus integerrima esse, atque ex intimo affectu manare: non tamen ea sunt quæ optime decerent fluminum sylvarumque amore captum. Nempe, cui semel ista dulcedo, tanquam de cœlo, tetigerit animum, is communes hasce delicias, quæ omnium ubique sunt locorum; nubium dico ac stellarum aspectus; solis lunæque varios cursus; colores vernos et autumnales; cantus avium; ventorum, undarum, arborum sonitus; hæc, inquam, cæteraque id genus, quæ nullis sunt regionibus conclusa, cum viva adeo voluptate excipiet, ut minima præ his esse ducat ea, quæ cujusque regionis sunt propria. Hac, velut vitali aura, nusquam non fovebit se ruris amans: cæteris ita delectabitur, ut sua tamen loca, ut paterna, ut domestica, vitæque officiis commendata atque sancta, omnibus omni tempore anteponat. Jam collatis inter se, hinc rusticorum, illinc eruditorum, ac pulcherrima hac rerum varietate, sententiis, videndum annon eo sint discrimine, ut his plerumque re-

motiora quæque, illis familiaria, magis placeant; ut hi de locorum amœnitate disputare, illi communibus naturæ donis gaudere et gloriari videantur. Quo posito, vereor ut pluris faciant "rura et riguis in vallibus amnes" liberi, qui vocantur, ingenuique, quam rudes et indocti homines. In utroque certe censu (modo absit verbo invidia) non ita multis ea cordi esse suspicor.

Verum, ne longius abeam; qui non versu concinnando divinam artem circumscribi volunt, sed aliquid etiam apud illiteratos ad Poesin pertinere nobiscum arbitrantur, illorum argumenta si expendere quis velit, eum fere omnium tenorem inveniet, quem nostræ sententiæ vis ac ratio postulet. Nam tria potissimum faciunt genera, juxta quæ, imprudens atque inscia, prodere se dicitur Poetica mens agrestium: unum, quod in admonitu locorum; alterum, quod in desiderio mortuorum; tertium, quod in religione et reverentia Dei Opt. Max. versatur.

An longa vos oratione docendi estis, quam cupide, quamque solerter, locorum ipsorum, quos semel adamarint, memoriam servare soleant homines, simplici ac tranquilla vita? Fuere qui fame confici maluerint, quam nota arva finesque relinquere: alii, relicta longo intervallo revisentes, ægerrime tulerunt mutari omnia; muniri vias, torrentium alveos purgari, "et nemora everti multos ignava per annos:" non tulerunt, inquam, egeni homines, meliora ea et commodiora fieri. Ita videlicet optime declarabant, quo desiderio sua rura prosequerentur: atque haud scio an gravius fuerit indicium, quam si, locupletiores qui essent, eadem dicerent: hos enim ipsa

paupertas edocuerat, omnia quodammodo ad normam utilitatis exigenda.

Jam, quibus artibus, amore tanquam capti, domestica sibi peregrinantes adumbrent, quid longius narrare attinet? Satiari delectatione non possunt, modo vel minutissimum nativæ sedis angulum, aut fumantia paternæ domus culmina procul se aspicere credant. Quin ab ipsa cœli regione longinquæ patriæ locum extorres conjectura saltem assequi gestiunt. Neque enim pulchriora sunt, quam veriora, quæ apud Scoticum illum, divini ruris alumnum, legimus; quæ Græce utcunque versa hic loci proferre haud scio an operæ sit pretium: quoniam Theocriti ipsius indolem, aut suavius aliquid, spirare videntur:

> *νυκτὸς ἄει ζέφυρον ποτιδέρκομαι, ὅπποτ' ἐς εὖναν*
> *ἐκλίνθην· τό μοι ἄδυν ἐπ' ὄμμασιν ὕπνον ἔχευε·*
> *πρὸς ζέφυρόν γαρ τήλοσ' ἀπώχετο φίλτατος ἀνδρων,*
> *ᾧχετ' ἰών, πόθος ἁμὶν, ἐμοὶ καὶ παιδὶ ἀφαύρῳ* [c].

Ut sexcenta alia omittam, ex una hac dulcissima cantilena tota res intelligi potest. Erratis enim, Academici, si forte arbitramini subtiliora esse ista, et tenuiore filo deducta, quam pro captu ruris indocti. Sanioris esse judicii crederem, siquis dixerit, rem ipsam multis potuisse in mentem venire, carmina nulli, nisi vati præclaro. Fingamus igitur, rem ipsam nostris oculis nos cernere, aut fando, si res ita tulerit, audire, nullis adhuc neque numeris conclusam, nec verborum deliciis conditam. Nonne tacita quædam erit Poesis? nonne divinæ artis rationem ac vim agnoscet communis fere omnium sensus?

[c] "I look to the west when I gae to rest,
That happy my dreams and my slumbers may be:
For far in the west is he I lo'e best,
The lad that is dear to my baby and me."
Burns's Letters, No. CXVI.

Quid, quod omnes ad unam coloniæ, quæ quidem in vacua venerint, villarum, urbium, fluviorum cara atque nota nomina de patria secum deportanda curant? Quod a Doriensibus in Sicilia factitatum, nunc quoque, post ter mille annos, a nostratibus in Novo (quem vocant) Orbe quam religiosissime servari audimus.

Dicam denique quod omnium est gravissimum, sive ad locorum desiderium, sive ad vim quandam Poeseos nativam atque ingenitam spectes. Nihil est quod acrius sollicitet simplices hominum agrestium animos, quam ut omnia sibi, vita functis, recte atque ordine fiant; ut in solo natali, inter patrum reliquias, noto sacratæ sedis angulo, tutum inviolatumque corpus quiescat. Neque vero exquisitam quandam opinionem, aut paucis modo cognitam narramus. Recenseantur omnes cujusque pagi agricolæ; vix unum atque alterum reperietis, (qui modo quid de se futurum sit serio aliquando animo cogitet) qui non ejusmodi spe senectutem suam egestatemque foveat.

Ac nolite, quæso, putare, Academici, mera esse ista delirantium somnia: quasi vero credant insulsi homines, sensum nescio quem in corpore vel mortuo doloris aut ignominiæ mansurum. Non ista sunt rusticorum animi neque ignorantia neque impietate. Verum morientes immortali amore locos ipsos se prosequi testantur, quos in omni vita præ cæteris honoratos atque caros habuerunt. Ubi cum viventibus amicis Deo litabant, ubi fato functis ultimum valedixerunt, ibi sua quoque ossa, quantum in se est, recondi volunt. Hoc extremum atque adeo sanctissimum pietatis, reverentiæ, desiderii documentum; hoc ægri qualecunque amoris solamen; hoc memoris animi testimonium Summo Numini non ingratum se edere putant, sperant quidem certe.

Imprudentes pæne jam incidimus in alteram propositæ quæstionis partem; eam scilicet, quæ memoriam mortuorum apud rusticos servatam spectat. Cujus quidem totius generis eadem fere est vis ac ratio, atque eorum quæ modo diximus. Nam qui ita mortuos amant, ut proxime ab illis se sepeliri velint, iis certe curæ erit et cordi "quisquis honos tumuli, quicquid solamen humandi est." Itaque in exequiis solvendis primum illud sanctissime cavetur, nequid temere, nequid negligenter; ne qua forte particula eorum, quæ sacra moresque postulant, omittatur. Deinde, si quid ipsos voluisse intellexerint, id accuratissima diligentia exsequuntur. Postremo aliquid etiam de suo, quod summi sit desiderii indicium, non raro excogitare cernas. Aut enim mutatis aliqua ex parte vestibus, perpetui luctus specimen, vivunt; aut dulces exuvias, veluti thesaurum quendam, condere laborant ac componere; aut certis temporibus tumulum invisunt. Dies me deficeret citius quam omnia mœrentium commenta dinumerare possem. Omnino autem credibile est, plura ejusmodi latere quam vulgari: cum veri et vivi luctus sit proprium, aspectum hominum lucemque refugere, suaque sibi habere oblectamenta, profanis oculis arcana atque vetita.

Sed de his satis: quoniam quidem notiora sunt omnibus, quam quæ prolixo sermone apud vos disputari debeant. Jam tertium licet attingamus caput: quod ad cœlestes religiones, sacraque servanda pertinere diximus. Quod latissime omnium patet. Etenim, cum nulla pars vitæ morumque est, quo non pertingat sincera Numinis placandi cura; tum sancti ac severi præ cæteris isti sunt animorum motus, quique ægerrime se verbis efferri, docta quamvis lingua interprete, patiantur: nedum rusticis

atque imperitis facilis sit ejusmodi sermo. Itaque ad omnia confugere solent, si modo aut corporis gestu, aut motu oculorum, aut vocis varietate, aut aliqua tandem ratione latentes valeant solari affectus. Quod sicubi feliciter ipsis evasit, amicos etiam et propinquos, partim amore, partim admiratione, partim ipso imitandi studio eadem tentaturos veri est simillimum: donec inveteraverit religio quædam, quæ mutari ista omittive prohibeat.

Hinc illa — (ignoscite, quæso, Academici, sicui forte vestrum videar proferre exemplum audacius et gravius, quam pro rei propositæ dignitate:)—hinc illa, inquam, Sanctissimæ Crucis toto terrarum orbe veneratio. Cujus initia Naturam ipsam piorum mentes ultro edocere potuisse, vix erit, opinor, qui negaturus sit. Quid enim tam naturæ consentaneum, quam in ipso rerum suarum articulo Regis sui tanquam tessera fidos se munire milites? Id modo dolendum ac deprecandum, quod opinione necessitatis adjuncta, aut nudo signo placari posse Deum arbitrantur, aut quasi per magicas artes, corpori remedium, non animo solatium adhiberi.

Eandem Reliquiarum, quas vocant, rationem esse res ipsa loquitur. Mœrentium primo orbitatem mulcent: servatis deinde longo post tempore sanctum nescio quid ac salubre ipsis per se inesse creditur. Ut illud gravissimum in præsens disputare omittam, an cælitus etiam comprobari videantur multa mortalium in his rebus judicia.

Quid de Ominibus dicam et Portentis, et universo eorum genere, quorum ope futura divinantes, præsertim indocti, mire sibi placent? Cum amant homines impense, cum metuunt ac cupiunt, cum de capite suo aut suorum, de patria aut caris propinquis, expectatione ac formidine trepidi, diu mul-

tumque se jactarunt: cum etiam sibi semper præsentissimum Numen invigilare sentiunt: mirum ni omnia eodem trahant, quo ipsi cogitando feruntur. Tum avium volatus, tum pulli pascentes, tum necopinatæ occurrentium voces, congruere divinitus et respondere arcanis animorum affectibus videntur: nihil tam leve, tam fortuitum, quin augurii loco habeatur. Jam ista vulgo avidius arripiunt, quo literarum sint rudiores: neque enim, quam vana sint pleraque, certo sciunt; et pluribus carent cordis inflammati remediis, quæ artium ingenuarum usus afferret.

Videtisne, campum satis amplum agricolarum quoque in vita ac moribus patere, ubi se tentet atque exerceat sine carmine vis quædam Poetica? Neque enim Poeticam appellare jam erit cur dubitemus; cum in eo fere consentiat communis hominum literatorum sermo, quando de re rustica disputatur; ut quicquid, pietatis ergo, paullo exquisitius ac venustius a colonis excogitari videant; sive ad locorum, sive ad mortuorum, sive ad Numinis religionem pertineat; id statim Poetis, quasi proprium, tradi ac condonari velint.

Quod autem tripartita illa divisione sum usus, non equidem putabam amplissimum locum istis limitibus concludi posse; sed cum intelligerem totius rei vim in exemplis esse positam, tria vobis clarissima proponenda existimabam; quibus animadversis, cætera, qui volent, pro se quisque facile poterunt invenire.

Unum mihi illud addere liceat: (quoniam, ut dixi, sunt qui Poeticam plerisque indoctis omnino negent:) fateri nos etiam, existere aliquid in infima et incompta plebe, quod tacitam illam Poesin, lumenque Phantasiæ, obscuret sæpius, interdum misere extinguat: nempe quod plures, commoti, temperare sibi

nequeunt, quin dicenda cum tacendis usque eo temere effutiant, dum æstuantes quieverint animi. Ita ne locum quidem suavissimæ disciplinæ apud se tumultuantes relinquunt. Ex quo etiam videre mihi videor, cur plebi urbanæ pauciora esse cum Poetis communia, quam rusticæ, quivis dixerit. Illis minus est ingenui pudoris; ut qui in luce oculisque multorum semper magis sint versati: itaque omnia liberius effundunt, neque ullum, ambages quærendo, tempus terunt.

Sive igitur ea contemplari libet, quæ ab egenorum vita Musarum delicias pæne repudiare, sive ea potius, quæ apud hos quoque colorem quendam Poeseos præ se ferre videantur: utraque profecto nostris consentiunt: cum utraque poeticæ artis id esse officium demonstrent, ut ferventes animorum motus, salvo pudore, efferri queant.

Quod superest; conservate, precor, Academici,—quandoquidem vobis ea quoque provincia magna certe ex parte commissa est,—consilio, doctrina, auctoritate, exemplo, conservate, oro, ac tuemini, simplicem illum rusticorum hominum pudorem, et religiosam nimiæ lucis formidinem: quam siquis ex animo volens perdiderit, sive insano laudis amore, seu doctrinæ atque ingenii molestissima illa arrogantia, seu pravo fanatici erroris œstro percussus; illum non modo pulcherrimis studiis valedixisse, verum etiam gravissimam quandam virtutis, veræque pietatis adjutricem a se removisse in perpetuum sciatis.

Sequitur ut in cæteris etiam artibus, quæ quidem liberales vocantur, quid sit Poeticum brevi dispiciamus. Unde facilior evadet ipsius Poeseos in suas partes, ad propositam normam, distributio.

PRÆLECTIO TERTIA.

Confirmatur iterum nostra de Summa rei Poeticæ ratio, argumentis e cæteris artibus, quæ ad humanitatem pertinent, quæsitis. Exemplis docetur, quale sit illud quod appellant vulgo Poeticum, apud Pictores primo et Sculptores: deinde in Architectura et Musica: postremo apud Oratores, omnesque qui versibus soluta scribunt.

PERACTA jam ea disputationis nostræ parte, quæ ad familiarem hunc sermonem et ad communem vitam pertinebat, ad illam alteram, si placet, accedamus, quæ ex usu verborum docebit, primum singulis artibus suam quandam Poesin tribui, deinde apud omnes idem fere munus ejus officiumque indicari.

Atque, ut verum fatear, Academici, invitus hunc locum attingo, neque multum abfuit quin prorsus omittendum existimarem: qui ne primis quidem labris plura me studia gustasse scirem, de quibus apud vos, tales viros, verba mihi facienda erant. Itaque præteriissem, ni cogitarem, imperitis in hujusmodi argumento non bene suffragium denegari. Neque enim cujusque artis quæ sit formula nunc quærimus; neque nos discipulorum locum, nedum magistrorum, implere volumus: sed indoctorum, otiose spectantium. Qui si quando artis ipsius, quam

ignorant, præcepta edunt, ineptissimæ arrogantiæ merito insimulantur: sin ea tantum conantur explicare, quæ in communi hominum sensu, atque in affectibus omnium sunt posita, venia donantur etiam errantes.

Cum igitur apud vos hoc jure futurum me hodie sperem; quid in pictis, quid in cœlatis, quid in aliis ejusmodi operibus cum Poesi conjunctum videatur, sicut unus de plebe, dicam.

Atque, ut in Picturis primo quid velim melius innotescat; componamus aliquantisper, si libet, splendidissimum illud nobilium Pictorum par, quorum alter Italos tantum non omnes, alter universos, qui unquam fuere, Belgas, artificio, copia, dignitate superavit. Et, quo propiore inter se, ut ita dicam, Marte committantur, etiam in eadem materia quid uterque effecerit spectemus. Ille pulcherrimam sanctissimi Filii cum Matre imaginem pinxit[a]: quæ apud Saxones ad hoc usque tempus servatur; sed apud nos etiam, noto ac felici artificio, pervulgantur ejus primæ saltem, rudesque sine colore lineæ: ut nemo sit picturarum amantior, quem non curioso, ut fit, oculo illas aliquando aspexisse credam. Quas recordamini, quæso, paulisper, atque animis vestris intuemini. Recolite vobiscum formam Infantis, humana grandiorem, Virginis beatissimæ ulnis, tanquam augusto solio, insidentem:

> ——— divini signa decoris,
> Ardentesque notate oculos: qui spiritus illi,
> Qui vultus:

Quem tamen nostrum esse, nostrique curam gerere, vel ipsa Matris similitudo satis arguit. Infra, suo

[a] Eam, quæ vulgo dicitur, *La Madonna dello Sisto.*

quisque ritu, adorant hinc Pontifex, illinc puella; hic senilis, illa virgineæ sanctitatis suavissimum, mista gravitate, exemplar. In medio alati duo pueri; quos mirifice præ se ferre tenellulæ cujusdam pietatis indolem nemo non videt: ipsos quidem aversis a Virgine oculis, sed ita, ut gestu vultuque indicent, præsente Deo, securos se degere. Quid multa? gravissimis sententiis abundat unaquæque ejus picturæ pars, ipsoque aspectu docere videtur homines, qua mente divina fieri oporteat.

Veniamus ad recentiorem illum: in quo id primum moleste ferendum, quod is in sanctissima hac materia infelicior extiterit quam in cæteris. Negat auctor satis idoneus, Britannorum in arte sua facile princeps, bene unquam cessisse huic pictori in Filio Dei adumbrando, nisi si quando mortuum depinxerit[b]. Etiam in illo ipso genere, quod opus ejus splendidissimum extat ac notissimum, id eum aiunt magna ex parte ab Italo quodam mutuo sumpsisse[c]; CHRISTUM dico de Cruce demissum: ut vix unam aliquam de pluribus ejus tabulis invenias, quæ cum Romana ista satis digne comparari possit. Fortasse igitur melius erit, ad eum quem diximus iterum provocare, candidum, si quis alius, mitemque judicem: qui multas magnasque præclari hominis laudes hac tandem censura cumulat: "Eorum, quos pingeret, mores atque ingenia nullo unquam tempore *poetice* sibi intus fingebat. Ita nobis effert Deos, Deoque prognatos, ut nihil expectationi hominum respondeat, nihil ultra mortalium modum assurgat, sed meram omnia humanitatem sapere videantur, trivialem illam, communique nota signatam[d]." Idem,

[b] Reynolds, Op. t. ii. p. 214. Londin. 1824.
[c] Ibid. p. 207.
[d] Ibid. p. 300.

cum de Raphaele agitur, in alia omnia totus abit: "Oportere" ait, "iis quæ pingantur *Poeticam* quandam lucem affulgere, neque nudam modo Veritatem servari: id quod in elegantissimo *Raphaëlis* opere quemvis facile perspecturum[e]" arbitratur.

Habetis, Academici, magni viri de iis, quorum maxima laus est in illa arte, claram sane disertamque sententiam: quam velis, ut ita dicam, equisque pro nostris dimicare nemo negaverit. Quid enim aliud statuere videtur, nisi Romanum illum Naturæ amore, Belgam, propriæ disciplinæ studio efferri atque abripi solere? Illum expressam quandam eorum, quæ tacita mente formaverat, divina pulchritudine effigiem unice atque acerrime contemplari: Hunc subitas et fortuitas colorum, luminum, formarum varietates, quales etiam inter pingendum innumeræ tum oculis tum animo occurrunt, rapide ac feliciter captare. Quo fit, ut Illius opera intuentes, de re non de pictore cogitemus: Hic sui semper admoneat, qua sit solertia, quo acumine, quam facile tractet ac refingat omnia.

Quod si ea quoque respexeris, quæ vitio utrique verti soleant, Illum aiunt nobili elatoque ingenio, sed aliquanto fortasse præfractiori, nimis obtemperantem, quædam reliquisse duriuscule appicta: qui scilicet longe prætulerit vel artis præcepta violare, quam intus apud se excogitatæ mira venustate imagini non satisfecisse. Atque ut ex uno plura discantur, memoria vestra repetatis, oro, notissimum illud, quod in palmaria summi viri tabula[f] nemini non tironi oculum lædit. Unius videlicet picturæ duplicem quasi scenam ornavit; ita ut in vertice montis Dei Filium inaccessa luce vestitum collo-

[e] Reynolds, Op. t. i. pp. 67, 68.

[f] In ea quam vocant, *The Transfiguration.*

carit, circum radices discipulorum chorum, absente magistro cum Dæmone frustra luctantium: deinde intervallo tam modico disjunxerit, ut hi capite montem ipsum tantum non æquare videantur. Hoc illud est, Academici, quod ignoratione artis peccasse novitium quendam, nedum Raphaelem, nemo mihi facile persuaserit. Sed fortasse, quo viciniora inter se essent ea quæ ex utraque parte agerentur, eo verius atque plenius tacitam eorum vim ac naturam a se descriptum iri putavit. Quam quidem ejusmodi esse arbitror; ut ex hac parte, præsente Messia, tranquilla, beata, religiosa omnia; ex illa, absente, nihil non perturbatum ac solicitum ostendatur: ut hinc Paradisi, illinc terrenæ hujus lucis, specimen edatur haud obscurum. Itaque lubens commisit Pictor, ut artis negligentior esse videretur, si modo gravissimum pietatis documentum, omni ævo capiendum, ediderit.

Contra, Belgarum ille Antistes, quid arte manuque polleret, (ut erat sane peritissimus omnium artifex,) nimia cupiditate, nimia ambitione, severissimis quoque in rebus præ se tulisse fertur. Exempli loco sit, quo gestu Christum Dominum nostrum posuit, Lazaro e mortuis evocato adstantem [g]. Effinxit utique passis palmis, leviter in anteriora flexum, vultu alacri, admiratione mista, tanquam spe majora intueretur. Eum nimirum corporis habitum poscebat universa picturæ ratio: eoque servato, optime inter se conveniebant omnes, quibus ea definiebatur, lineæ. Idem divinæ, quæ adesse debebat, Majestati, ni fallor, non paulum nocuit.

Itaque res sic se habere videtur, Academici. Hunc in vitium duxit manus in arte exercitatissima: illum

[g] Servatur ea tabula in Musæo Regis Borussici.

alterum duxerat consilium omni arte majus. Itaque hujus excusatur pingendi solertia, illius cogitandi amplitudo. Jam Poetica quædam lux illi nunquam non tribuitur, perfecto, plenoque assensu omnium. Huic si non denegatur, at certe non constantissime decernitur.

Quorsum hæc? Ut intelligatis, penitusque perspiciatis, picturarum illam quasi Poesin nihil ferme aliud agere, quam ut commodius in lucem veniant intimi eorum, qui pingunt, affectus: id quod apertissime indicant ea, quæ modo attulimus, exempla: quibus innumera possim addere, vimque eorum tum in alios pictores, tum in alia pingendi genera transferre; maximeque omnium in illud, quod in locorum pulchritudine, atque in rebus naturalibus versatur.

Sed alio progrediendum est; nempe ad eos qui Sculptores nominantur: de quorum operibus id jamdudum vetus est ac tralatitium, ut quæque cum Poesi maxime congruant, ita studiosissime plerumque laudari: cælata nimirum propius aliquanto Poesin attingere, quam picta. Cujus sententiæ, si modo ea vera est, hanc ego rationem esse arbitror. Universa Pictorum ars, uti nôstis, non nisi in liquidis coloribus versatur, mollissima sane omnium materie, quæque adeo facillime omnium in infinitas varietates abeat. Contra Statuariis, quos vocant, durissimo saxo ponuntur opera, neque ulla adjuvantur colorum gratia. Quo fit, ut ad vivum multo magis depingi possit imago quævis, quam aut marmore aut ære effingi: cum præsertim maxima pars hominum colorum luminibus cito capiatur, formarum varietate pauci tantum, iique elegantissimi spectatores. Imperfec-

tius autem quæ sint expressæ similitudines, eas per ingenii vim vividius suppleri necesse est.

Itaque, qui suo jure sculptores sunt appellandi (mitto enim odiosas imitatorum catervas, quibus profecto hoc tempore aiunt pulcherrimam artem misere vexari) sed qui proprie vereque Sculptores dicuntur, quales fuere Græcorum illi principes, quorum ut plurimum interiere nomina, opera in æternum celebrantur; iis nihil attentius caveri solet, quam ne cuiquam molesti sint, nimio studio imitandi omnia; ne non plurima semper plenius fingenda Phantasiæ remittant. Quid quæritis? simplicior res est, et a vulgaribus illecebris remotior, quam quæ vulgo satis per se placere possit: ut nemo facile juvenis studio et amore ejus efferatur, nisi qui sit animo paulo vividiore. Qui autem manu, non ingenio, sculptorum laudem sibi vindicant, seu quis eorum inepte aliquid seu putide, ut fit, aliquando tentaverit, is plerumque citius et acrius reprehendetur, quam si pictorum aliquis in eadem prorsus peccata inciderit: quoniam in nudo simplicique saxo vera totius operis ratio non potest non apparere; tabularum vitia nonnunquam fallunt oculos, re multiplici, colorum fulgoribus, cæteris summorum artificum præstigiis.

Hæc fere in causa esse crediderim, cur apud eos qui signa fabricantur crebrior Poeticæ mentio fiat quam apud eos qui tabulas pingunt. Quæ omnia eo tendere videtis, ut Poesin nobis monstrent curarum indicem, Phantasiæ interpretem: quale officium signis suis siquando præstant artifices ejusmodi, tum demum Poeticæ nomine laudantur.

Restant cum Architectis Musici: quorum opera cum latius multo per omnes hominum ordines nos-

cantur, atque in sensus sæpius incurrant, facilior inventu esse debet tacita eorum, si qua est, Poesis. Præterea Imitationi apud eos aut nullæ omnino partes dantur, aut certe non primariæ: quo evidentius cernant omnes, subtiliorem quandam esse voluptatem, et ab ipsa mente depromptam, quam, ista contemplando, capere soleant eleganti ingenio homines, sed artis ignari.

Ac primum, quod ad Architecturam attinet; videamus, si libet, quid ea valeat, in nobilissimo omnium exemplo. Nonne, Naturæ ipsius judicio, profanis sacra secernuntur, domesticis ædibus templa Dei, non solum magnitudine, sumptu, artificio, verum etiam majestate quadam, tacitoque horrore, voluptate mista? qualem neque religiosis locis non adesse, neque cum vulgaribus communicari, facile ferant mortales animi, vel minimo sensu pietatis imbuti. Qui autem omnia, quæ ædificarint, scite ac feliciter, præ cæteris, ad religionem illam retulerint, illorum opera cum intuemur, profecto a Poetarum provincia ea non longe abesse sentimus. Nam ipsa fabrica, carmine omni clarius, de artifice videtur loqui, quo animo fuerit erga Deum: aut certe quo animo esse debuerit.

Atque illud etiam tenendum est, plurimas sacrarum ædium esse formas; quas singulas, ut memoria traditur, singulæ ætates caras habuerunt: easque inter se ita distingui, ut in communi illa sanctitate quam diversissime commoveant animos. Religio inest omnibus eadem: religionis color, cuique suus.

Sed genera quædam breviter percurramus. Ac missa facio Græcorum delubra, quæ in eximia dignitate ac pulchritudine divinæ tamen Veritatis rationi, nostrisque sacris, non optime congruunt. Quorum

plerumque intra parietes (nam quæ sunt extra, nihil hic moramur) solitudine ipsa et obscuritate, columnis infinita serie abeuntibus, luce languida procul visa, erat sane quod Dei metum incuteret, sed ejus Dei, qui spissis in tenebris vix et ne vix quidem mortalibus se præberet agnoscendum; cujus religionibus qui dabant operam,

> Ibant obscuri sola sub nocte per umbram,
> Perque domos Ditis vacuas, et inania regna.

At vero, quæ fana majores nostri non fictis quibusdam Dæmonibus, sed vivo ac vero Numini, condiderunt, eorum si vim tacitam requiras, invenies eam fere omnibus, quæ venturo illi sæculo, quæ hominibus in luce positis, quæ certæ stabilique Pietatis normæ conveniat. Vetustissima supersunt prægrandi columnarum mole; simplici figura januarum, laquearium, fenestrarum; sculptili opere non admodum vario, neque in multas diffuso partes; quod adeo ad formam totius ædificii vix magis pertinere videatur, quam ad montis alicujus superficiem flores herbæque, siquæ forte ibi nascuntur. Itaque solidam quandam præ se ferunt durissimæ firmitatis, ne dicam immortalitatis, speciem; Deique cultoribus ipso visu servandam commendant animi constantiam, et pertinacem sine fastu fortitudinem.

Hæc pervetera et fortasse rudiora paullatim excepit ædificandi ratio, omnium, ut mihi quidem videtur, elegantissima, et sacris longe dignissima mysteriis. Acui jam fornicum culmina, atque in sublime efferri: columnæ non simplices illæ, sed virgatæ, fascium ritu, tanquam ex pluribus quæque constet columellis, inter se stipatis vinctisque; tum capita, mira arte cœlata, sensim cum laquearibus conjungi: fenestræ plurimæ, amplissimis luminibus, sculptili

opere quam delicatissimo; quarum quasi fibræ, foliorum similes, non vagantur illæ quidem, libere tamen huc illuc feruntur. Totius autem fabricæ ordinem, nexumque partium, ii ipsi qui condiderunt, majores nostri, religiosissimi homines, in hoc verti voluerunt; ut quæque pars eo respiceret, quo omnia ubique referri oporteret; ad ipsa videlicet Templi penetralia, et sanctissimum illud Adytum, quo nihil infra cœlum divinius. Quinetiam, quod omnibus, quotquot sunt, Templis, terna Atria constituenda curaverunt, Orientem versus spectantia; tum quod Turres istas gracillimas excogitarunt, acuto fastigio, tanquam digito, cœlestium indice, in immensam altitudinem erecto; nunquid aliud fuisse in causa putatis, quam mentem religionibus intentam ac defixam? importunius scilicet, ut nonnulli arbitrantur, sed erat defixa tamen.

Possim quoque fusius explicare, quam exquisite plurima variaverint, prout affectus sui tulerint, ingeniosissimi opifices, et Poetis fere omnibus, (eorum pace dixerim,) magis Poetici. Quorum inter monumenta quæ primo sunt condita animum magnum et erectum, et levissima quæque contemnentem, optime et declarant et excitant: recentiora partim nescio qua dulcedine piorum mentes coram Deo fovent, partim splendore quodam docent, Benigno Numini a veris cultoribus nihil non largissime donandum.

Sed ea prætermitto, ne longum faciam. Etenim rationes nonnullas mihi jam attulisse videor, cur et apud Architectos Poesin aliquam esse concedamus, et eam intelligamus Poesin, quæ ferventes animi sensus quasi per involucra ostendat.

Melicis autem quid usu veniat, non multis mihi

disserendum erit: cum pro rato omnes habeant, ita plane, quasi gemellam, congruere cum Poesi Musicam, si subtiles animorum flexus, ut vocum Echo, de longinquo referat reddatque. Equidem sæpenumero mirari soleo, cur in hac potissimum disciplina artificum discrimina sentiant imperiti: ita ut alterius numeri modique mentibus vulgi diutissime inhæreant, alterius, ne aures quidem, nisi doctas, ferire possint. Id cogitanti demum occurrit; cursum illum et progressum sonorum, quem, ut opinor, Melodiam nuncupant, facilius quodammodo atque efficacius in aures atque in mentem influere, quam cætera, quæ pertinent ad eam, quæ Harmonia vocatur: quæ est implicata quædam vocum complexio, certisque legibus efficta junctura, pluribus uno tempore concinentibus. Qui ergo populo placent, cantus, vereor ne serie plerumque, non nexu, placeant: Harmoniæ illius multiplicis magistros pauci modo laudant, iique selecti quidam judices. Quinetiam ita laudant, ut indicent, non extra artem se evagari: iidem, cum ad simpliciora ventum est, hinc illinc verba mutuantur, si quæ inveniri possint commotis affectibus satis apta. Nimirum, ut ille captus oculis, cum loqui vellet de purpureo colore, sibi quidem videri eum dixit clangentis tubæ persimilem: ita laborat hominum sermo, doctorum pariter ac rudium, enarrando quid sibi velint musicorum sive acriores modi sive molliores. Quo quid aliud nisi fatentur, etiam in eo genere si cui bene res ierint, eum non modo servasse artis modulum, ac delicate ac potenter variasse, sed etiam mentis humanæ penetralia vere ac feliciter expressisse? id quod et harmoniæ perfectissimæ cumulum imponit, et sæpe efficitur, tacente prorsus harmonia, per simplicem sonorum ordinem

et intervalla. Hoc illud est, opinor, quod Poeticæ conjunctissimum habent ii qui voce ac fidibus cantant: quorum plerumque ita permiscentur verba cum musicis modis, ut in summa totius voluptatis quæ sint Poetarum partes, quæ Melicorum, difficile admodum sit dictu.

Quid multa? Communis est hominum sententia, Musicam omnium plane artium proxime ad Poesin accedere: et vero ab ea sui parte accedere, quæ ad arcana animorum eruenda atque in lucem promenda pertineat. Ex quo efficitur, Poeticæ ipsi tale aliquid officium tribui, quale nos in omni oratione auguramur.

Similis est Rhetoricorum ratio, et soluti hujus sermonis: qui locus, licet egregie præ cæteris in formulam nostram cadat, tamen a me brevissime tractabitur; quoniam in iis fere versatur, quæ omnium ubique sunt in manibus. Neque enim meus hic sensus, sed totius ferme literatorum nationis. Multi prodeunt acuti scriptores; multi non indiserti; qui numeros callent, non pauci; Poetica imbuti, unus et alter. Ecquis Orator M. Tullio aut numerosior unquam fuit, aut verbis ornatior, aut affectibus vehementior, aut imaginibus aptior et fœcundior? cui tamen nemo, me quidem judice, etiamsi per numeros id licuerit, facile esse Poetæ dederit. At vero si Platonem nominamus, omnes uno ore clamabunt, recte eum dici vel Ὁμηροῦ ποιητικωτέρον. Quid ita? Quoniam, credo, Cicero quæ agit, oratorie agit; semper sibi fingit theatrum, subsellia, auditores; instat, urget, effundit omnia, quibus animi commoveri possint. Plato contra suis in deliciis nunquam non versari videtur: sibi indulgere, non aliis

persuadere: majora ferme significare, quam eloqui; ita pulcherrimis cogitationibus abundare, ut plura tamen indicta maneant. Mireris plane, qui ad scribendum plena adeo mente accesserit, eum tam religiose servasse illud, "Manum de tabula:" sed credo amore captum fecisse, ut quas res præcipue diligeret, eas simul et dignis commendaret, et indignos celare vellet: *φωνᾶντα συνέτοισιν· ἐς δὲ τὸ πᾶν, ἑρμηνέων χατίζει.*

Verum quæritis fortasse exemplum, quod nosmet ipsos propius contingat. Libet igitur conferre inter se, quos duo facundia principes agnoverunt, hunc in senatu, patres nostri, tumultuantibus Gallis; illum in sacris concionibus, majores, Sanctissimi Regis iniquo tempore. Uterque in uberrima verborum luxurie servat tamen sententiarum gravitatem: uterque ita vehemens ruit, ut neque consilium obliviscatur, ipsoque velut impetu se sustineat. Est tamen quo discrepent, et valde quidem: quod quale sit, doceant exemplа.

Ac primum, revocate in animos, quæso, ardens illud Christianissimæ Reginæ elogium, de solio indignissime deturbatæ[g]. "Vidi equidem multis abhinc annis, pulcherrimam, qualem ne in somniis quidem hunc orbem tetigisse crediderim (si modo revera tetigit:) vidi, diluculo quodam suo, margine cœli, vixdum exortam; superna, quo properabat, loca, etiam tum læto lumine fovebat. Quid multa? Eoo lucidior emicabat, plena splendore, plena gaudio. Quantum, eheu! jam mutata! idem ego quam durus forem, si fixis oculis intueri possem, tali ortu, tam misere occidentem!"

Hæc si quis "omni laude majora," si vere "mag-

[g] Burke, *On the French Revolution*, Op. t. v. 149. Lond. 1803.

nifica" ac "splendida" dixerit, audio sane, vehementerque comprobo; sin *Poetica*, non prorsus concedo: nam nescio quid Rhetoricum sapere videntur, et ad aures hominum studiosius accommodari.

Audiamus jam illum bene beateque vivendi ac moriendi Antistitem, quam graviter, tribus fere verbis, primariam is quoque fœminam describat. "Ita se ad pietatem composuit, is erat tenor eorum, quæ illa Dei causa faciebat, ut esset miris modis tranquilla, nec unquam ferretur citato gradu: *quæ ad suum illum Oceanum*, DEUM *videlicet et Æternitatem, certo ac quieto itinere laberetur*[h]." Ecquis ista neget pleno de pectore manare? ecquis dubitet eum, qui ita locutus sit, tacitum quoque et solitarium, tale aliquid secum locuturum?

Quod si per legem hujusce loci proferre liceret ipsa nostratium verba, sentiretis plane, ni fallor, id quod metuo ne obscurius ediderim; cum ab utroque egregie sit actum, illum tamen Oratoris summi, hunc Poetæ, officia servasse.

Sed universa hæc disputatio, tenuis et arguta cum primis, vobis jam, Academici, permittatur; diligenti non librorum modo verum etiam artium vitæque communis usu (si id operæ pretium videbitur) aut confirmanda aut refellenda. Vestræ autem prudentiæ erit, si forte in capite ac summa rei vidisse nos aliquid putandi sumus, non ideo nostra aspernari, quoniam non omnibus videamur attulisse aptissima cujusque sententiæ exempla.

[h] Taylor, *Funeral Sermon on Lady Carbery*, Op. t. vi. 476.

PRÆLECTIO QUARTA.

Platonica non male cum nostris conveniunt. Ponitur duplex Poetarum ordo; deinde declaratur ea partitio, primo, communi Sermone et Proverbiis; secundo, similitudine, qua tangit Insania Poesin; tertio, partitione eorum qui legunt; quarto, languente apud senes amore carminum. Provocatur ad origines Poeseos, de quibus agitur partim probabili conjectura, partim testimoniis desumptis de Sacrosancto Codice, et de Annalibus Barbarorum.

PLATONIS erat vox, Academici. magnopere a Cicerone comprobata, "Omnem doctrinam harum ingenuarum atque humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri[a]." Ac vellem equidem præclari homines, quem consensum atque concordiam acutissime omnium ipsi perspicerent, eum aliquando justa disputatione indagandum sibi penitusque explicandum via et ratione sumpsissent. Quem cum illi exquisite sentire, quam accurate monstrare, maluerint, nobis tamen quodammodo auctores sunt facti, per tot studia. tam varia, tam late dissita, Poeticam illam voluptatem anquirentibus.

Quanquam illa quidem Platonis rectius forsan ad mathematicam (quam vocant) atque ad eam disciplinam referantur, quæ est de universa rerum Na-

[a] De Orat. III. 6. Plat. Epinom. sub fin. t. ii. 992.

tura. Sed ad humaniores hasce literas non sine causa transtulit Cicero. Nam primum, ipsius Platonis judicio, mira quadam necessitudine, nexuque mutuo, inter se respondebant hinc cœli et terrarum compages, illinc animi mentisque humanæ. Ac nescio an forte hic causa lateat, cur decantata ista vis numerorum tam a Platone quam a Pythagora tanto in honore fuerit habita: quorum una eademque ope, pariter et physici elementorum momenta, et musici animorum affectiones, metiri et moderari possent. Sed de his ipsi viderint: nunc moneo, siquid alteruter de rebus physicis oraculum ediderit, idem ex ejusdem sententia in vita quoque et in moribus probabilem certe rationem habere.

Deinde notissimum Platonis locum, de Poetis e republica abigendis, siquis propius paullo inspexerit, inveniet sane *μίμησιν* illam, quam tanquam summam rei poeticæ ponit nobis eximius auctor, non carmine solo et versibus contineri, sed latissime per omnes diffundi artes, quibus imbui solent puerorum animi. Eas ordine cum tangit Plato, unoque nomine *μουσικὴν* appellat, id ipsum, ni fallor, indicare videtur, quod nobis longe lateque scrutantibus veri visum est simillimum: singulis artibus, quæ ingenuæ vocantur, suam quandam inesse Poeticam, videlicet ex ea parte, qua quæque possit animo mederi, curis, amore, studiis tumenti; propric autem Poeticam appellari, quæ ad istud munus aptissima sit nata, quæque illud adeo, ut proprium, sibi vindicet; denique præ cæteris aptissimam inveniri, quæ verbis utatur numero adstrictis.

Habemus itaque Poeseos Artem, rudibus utcunque lineis descriptam: quam propius jam intucamur licebit, atque in genera et ordines quosdam, servato

modulo. Poetas partiamur. Quo in loco imprimis illud constantissime tenendum esse arbitror, quod quidem res ipsa admonet: eorum, qui Poetæ vocantur, duo omnino dari genera: nam partim homines sua sponte, desiderio commotos, ad scribendum accedere, si forte aut ægrum animum, aut incitatum, effundere ac mulcere valeant; partim, alios aliis de causis, eorum, qui ita scripserint, sententias, verba, numeros, imitari. Illos igitur *Primarios* quosdam, sive *Vernaculos*, suoque jure Poetas nominemus: cæteros omnes appellari putemus similitudine quadam d vini muneris, non ipsa rei veritate.

Quod autem eo potissimum discrimine notari velimus diversa Poetarum genera, nihil sane novum aut reconditum proferimus; cum apud omnes fere homines jamdiu in proverbium abierit, Nasci Poetam, non fieri:

> .... *σόφος, ὁ πολλὰ εἴδως φύᾳ,*
> *μάθοντες δε, λάβροι*
> *παγγλωσσίᾳ, κόρακές ὡς,*
> *ἄκραντα γαρύετον,*
> *Δίος πρὸς ὄρνιχα θεῖον.*

Innumera sunt hæc, et in ore omnium: quæ ratione omnino careant, si aut imitando, aut verba numerose componendo, satis digne poterit aliquis Poetæ munus et officium exsequi. Quid enim proclivius, quam hominem modo non prorsus inertem, studio paullo acriore adhibito, imitatorem fieri plane lepidissimum? Aut quonam in genere magis proderit, invita Minerva, limæ labor, quam in versibus feliciter concludendis? Ut in eo verissime dicatur quod de mathematicis dixit Cicero: "Neminem fere ei scientiæ vehementius videri studuisse, quin, quod voluerit, consecutus sit[b]." Utrisque igitur sua tribuatur

[b] De Orat. I. 3.

laus; sed non erit ea Poetarum propria, siquidem proverbia sunt audienda; quorum in communi sermone statuendo summa semper est habita auctoritas. At vero illa omnia nobiscum faciunt, eam Poeticæ voluptatem tribuentibus, quæ, nisi natura præeunte, non modo penitus edisci, sed ne desiderari quidem, neque ulla ex parte intelligi possit.

Neque vero non est credibile, huc eam quoque spectare sententiam, quæ colore quodam *insaniæ* germanum vatem tingi voluerit. Nimirum, ut ad primum illud revertar, neque flagrantior animorum affectus, neque is qui nimia laborat ægritudine, facile sibi denegari patitur libere quasi spatiandi locum: quantumque auguror, fit non raro per furores hosce poeticos, ut homines ad veram dementiam ne adigantur. Itaque et Democritus ille fertur "sanos Helicone Poetas" exclusisse: et Plato sæpius ejusmodi proponit edicta. "Ος δ' ἂν, inquit, [c] ἄνευ μανίας Μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανῶς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη. Quid? ipse vatum Anglorum Coryphæus, nonne tria nobis genera statuit, tanquam inter se cognata et similia; primum eorum qui mente sunt capti, alterum amantium, tertium Poetarum[d]? Nemo autem insanientis esse dixerit, neque accuratam istam omnibusque numeris absolutam *μίμησιν*, neque rerum verborumque pulcherrimam illam Harmoniam. Quin statuimus, neutri harum, simpliciter et ex sua vi, universæ Poeseos partes dari, sed qui his veluti

[c] In Phædro. t. iii. 245. A.

[d] "The Lunatic, the Lover, and the Poet,
Are of imagination all compact," etc.
Mids. Night's Dream.

remediis scite ac potenter uti noverit, eum demum et esse et vocari Poetam?

Ac nescio equidem an id quod dicam doctioribus satis probare possim: mihi certe summus quoque ille *μιμησέως* auctor et laudator Aristoteles, tale aliquid, quale nos, Poetarum discrimen agnoscere videtur, quo in loco Tragœdos docet, qua ratione affectus moveantur. Χειμαίνει, inquit, *ὁ χειμαζόμενος, καὶ χαλεπαίνει ὁ ὀργιζόμενος ἀληθινώτατα· δι' ὁ εὐφυοῦς ἡ ποιητικὴ ἐστιν, ἢ μανικοῦ· τούτων γὰρ οἱ μὲν εὐπλαστοὶ, οἱ δ' ἐκστατικοί εἰσιν*[e]. Quænam, obsecro, alia vis verborum istorum, *μανικοῦ, ἐκστατικοὶ*, quam ut altius insedisse animo significetur imagines quasdam rerum longinquarum, easque aut contemplari homines, aut ægro tanquam amore prosequi, oblitos plane eorum, quæ præsto sunt? Illa autem altera vox *εὐφυίας*, quam apte notet imitatorum genus, huc illuc celeres animos dividentium, ingenio scilicet, non affectu; vix erit opus, credo, cur admoneam.

Quid, quod illorum etiam, qui carminibus *legendis* dant operam, eandem ferme partitionem facit communis hominum vox et opinio? Sicut enim, cum fidibus cantatur, alii cum amore et studio auscultare, alii ex præscripto judicare solent, et formulam quasi popularem sequi: ita sunt qui sua sponte dulcissima quæque poemata arripiant, qui velut invento thesauro gestiant, qui se nunc demum incidisse putent in unicum illud animi levamen, laborisque sui fatale remedium: sunt etiam, iique vereor ne maxima pars hominum evadant, quibus ita suaves sint versiculi, ut facile tamen Poesi careant. Jam hoc *lectorum* discrimen ex altera parte respondere illi, quo *scrip-*

[e] Poet. c. 30.

tores optime notari diximus, nemini non ultro occurret.

Huc quoque, mea quidem sententia, revocandum esse illud videtur, quod sæpius Musarum amicis molestiam quandam injicere solet: nam omnes non semel, opinor, audivimus, cum quererentur ingenui homines, cessare paullatim, annis labentibus, atque in nihilum tandem abire, juvenilem illam Poeseos contemplandæ voluptatem. Ac ne forte suspicemini, qui ita loquuntur, nunquam revera Poesin eos adamasse, sed tantum, ut fit, morem gessisse popularibus studiis; neve Naturam ipsam incusetis, tanquam ea, novercali quodam odio, delicias mortalibus semel concessas nulla ratione adimere soleat; attendite, quæso, quam apte omnia cum nostris congruant ac consentiant. Acrioribus videlicet animorum stimulis (quales ferme sunt adolescentium) præsentius remedium adhibendum erat: sed cessante morbo cessare medicinam nemo unquam indignum putavit. Itaque postquam ipso tempore in se resedit Phantasiæ æstus, cum aut votorum compotes sunt facti, aut sperare desinunt homines, aut vitæ negotiis alio trahuntur; tum frigere Poetarum lectio: nisi siquem, veluti in amœno diverticulo, seu graviter imitando ac perite, seu numerose canendo, tenent. Igitur non tam est deplorandum, istas aliquando languere delicias, quam lucro apponendum, tamdiu eas durasse, quamdiu opus fuerit. Quæ cum cogito, solet mihi in mentem venire auræ illius, quam ex Oceano mane adspirare torridis aiunt terrarum regionibus: ita plane torridam vitæ tempestatem dulcissima quadam aura Poeseos benignum voluit Numen temperari. Verum, ut illuc, unde abii, revertar: qui, senescentes, poeticam voluptatem desiderare se aiunt, quid aliud quam taciti nobiscum fatentur, Poesin

proprie vereque dictam non nisi plena mente percipi, et ita quidem animatis hominibus, ut nequeant tacere, nolint eloqui; quæ autem voluptates cum ea conjungantur, multiplices sane, lateque diffusæ, eas siquando Poeticæ appellantur, δευτέρως, ut cum Græcis loquar, et adoptivo quasi nomine appellari?

Neque vero hæc ita quis intelligat velim, quasi quenquam ab omni parte Primarium habendum esse existimem: qui optime sciam, operi longo vel ardentissimi cujusque vatis plurima ἄργα (quæ vocantur) μέρη ex necessitate innecti solere: præsertim cum vivida vis ingenii, postquam semel in carmina eruperit, partim ipsa sui sensu delectetur, partim varias accendat voluptates; spe laudis; numerorum dulcedine; imaginum varietate ac pulchritudine; magnorum, qui olim fuere, vatum memoria et æmulo quodam amore. Sed non ejusmodi rem tractamus, quæ adeo ad vivum resecari debeat. Ille nobis erit primarii ordinis Poeta, quem, cum legimus, pleraque sentimus ex animi sui impetu scripsisse: qui pleraque aliter, secundarum erit partium; superet hic quantumvis ingenio, et rebus sit gravior, et verbis splendidior.

Hæc omnia quo planiora fiant, accedendum videtur ad ipsa divinæ artis incunabula, breviterque de Poeseos origine, tum quid ratio edoceat, tum quid antiquitas memoriæ mandaverit, disserendum.

Primum, id quod initio diximus, nihil rationi tam consentaneum, quam commotis animis verba ac voces: quæ si semel tantum, forte quadam an divinitus dicam, in numeros modosque inciderint; si semel, novo quasi ludo, mulceri se mens ægra senserit; mirum ni ea sæpius vexata sæpius eadem versare aveat, usque eo repetitis variatisque clausulis.

dum prodeat aliquod simile carminis. Extemplo, qui prius vagi fluctuabant, curarum et cogitationum æstus, ordine ferri, unoque contineri alveo: eo trahi aut confluere omnia, quæ undequaque in mentem veniant: quæ dum colligere gestit Phantasia, dum nocte dieque ornat ac componit, sensim sibi medentur homines, neque tamen se mutari indignantur. Hoc ferme ritu, Academici, crediderim primo Poesin accrevisse: modo ne expressis Dei oraculis (quod multis placuit) acceptam referamus. Nobis vero, vim ipsam remedii quærentibus, non adeo multum interierit, utrum cælitus id delatum, an usu fuerit longo compertum.

"At enim mera sunt hæc insomnia, quibus, qui volet, ingeniose ludet; veritati certe non admodum proderit." Immo vero nonnihil proderit, si, qua ratione tanta res tam levibus oriri potuerit initiis, probabilem modo conjecturam capiet. Quid si, ut in re omnium obscurissima, atque alium pæne in mundum remota, aliquid etiam afferre conamur, quod testimonii sit loco? Verecundius hic et religiosius, velut sacra ferenti, incedendum mihi sentio: nequeo tamen mihi temperare, quin dicam, quid in animum venerit. Viri docti omnium, quæ hodie servantur, vetustissimum esse carmen judicant Lamechi ad uxores effatum[f]: cujus licet ignoretur occasio, per ipsa verba satis indicatur, conscientia cædis inquietum et ægrum, quid fecerit, versibus mandasse: siquidem versus sunt dicendi, quibus Hebræi verborum complexionibus utuntur. Itaque, qui primus hominum carminibus operam navasse fertur, fecit, ut videtur, angore animi, remedii et solatii causa.

[f] Genes. iv. 23. vid. Lowth de Sacr. Poes. Heb. Præl. 4. p. 50. ed. 1763.

Atque eum dicimus Lamechum, cujus filius natu minor princeps erat cithara canendi[g]: quo credibilius esse videatur, patrem Poesi originem dedisse.

Quanquam erunt fortasse, qui carminis vestigia multo ante vidisse se putent: neque enim non poeticum aliquid sonare ipsum divini Judicis edictum, quo Ille primum pravitate lapsos corripuit[h]. Quod pace dixerim summi illius viri, qui Sacræ Poeseos fontes dux et auctor nobis aperuit: quem non ad aras, ut aiunt, in hujusmodi re sectari, pæne mihi religio est. Cæterum sanctissima verba audiamus:

Ἐπικατάρατος σὺ ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν,
καὶ ἀπὸ πάντων τῶν θηρίων τῶν ἐπὶ τῆς γῆς·
ἐπὶ τῷ στήθει σου καὶ τῇ κοιλίᾳ πορεύσῃ,
καὶ γῆν φαγῇ πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς σου·
καὶ ἔχθραν θήσω ἀνὰ μέσον σοῦ καὶ ἀνὰ μέσον τῆς γυναικὸς,
καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σου καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς·
αὐτός σου τηρήσει κεφαλὴν,
καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν.

Deinde, converso ad fœminam sermone,

πληθύνων πληθυνῶ τὰς λύπας σοῦ καὶ τὸν στεναγμόν σου,
ἐν λύπαις τέξῃ τέκνα,
καὶ πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου,
καὶ αὐτός σου κυριεύσει.

Postremo virum ipsum alloquitur:

ἐπικατάρατος ἡ γῇ ἐν τοῖς ἔργοις σου·
ἐν λύπαις φαγῇ αὐτὴν πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς σου·
ἀκάνθας καὶ τριβόλους ἀνατελεῖ σοι,
καὶ φαγῇ τὸν χόρτον τοῦ ἀγροῦ·
ἐν ἱδρῶτι τοῦ προσώπου σου φαγῇ τὸν ἄρτον σου,
ἕως τοῦ ἀποστρέψαι σε εἰς τὴν γῆν ἐξ ἧς ἐλήφθης·
ὅτι γῆ εἶ,
καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ.

Profecto, ni fallor, subest his, obscurior licet, Poeseos sapor: sed rem committimus doctarum aurium

[g] Gen. iv. 21. [h] Gen. iii. 14. etc.

judicio; neque enim conjecturis nimium tribuere, præsertim in re sacrosancta, volumus; neque locum illum omnino prætermittere, qui locus ad bonitatem Dei nobis quidem egregie videtur pertinere. Etenim quæ fuerit illa Benignitas! quam ampla! quam profunda! quam ultra mortalium modum elata! ut, qua formula reos Judex damnaret, eadem non solum futuræ salutis spem ostenderet, verum ingruentes etiam plagæ qua possent arte mulceri, tacite quodammodo indicaret hominibus.

Sed valeant ea quantum valere poterunt. Jam quis non videt, Noachi filium exsecrantis querelam[i] (quod proximum a Lamecho specimen habemus primævæ Poeseos) e commota mente proficisci? Non enim, credo, Pater ille ardens, quoniam ut vates oracula fundebat, ideo nihil de suo loquebatur. Adeo Magister Opt. Max. hominum voluntatibus, Prophetarum quoque, cum maxime œstro laborantium, semper fere parcendum voluit: suus cuique dicendi color, sui affectus, sua mansit indoles. Ergo et ille quem modo nominavi justa commotus iracundia dixit; et Isaacus cæca dilectione ductus; et Israel generis, Moses patriæ, indefesso atque acerrimo amore; et cæteri, prout erant animati, omnes unius Dei mandata, singuli tamen sibi convenientia reddebant[k]. Erat nimirum supernæ illius Sapientiæ, non violenter Naturam expellere, sed molliter sese insinuare in Naturam. Verum hæc sanctioribus studiis linquamus; ne forte in religiosa loca temere nimis irrupisse videamur. Illud tantum e re nostra fore arbitrabar, si ostendissem, priscam illam, et unicam quidem sine labe et fuco, Poesin, ægris quasi curandis adhiberi;

[i] Gen. ix. 25. &c.

[k] Gen. xxvii. xlix. Deut. xxxiii.

Ipsumque adeo mentis humanæ Conditorem, cum vatibus et carminibus uti decreverit, eos sibi Prophetas dedita plerumque opera delegisse, quorum ultro ferverent animi, maximeque illius remedii egerent. Quid multa? ipsi de se loquuntur:

εἶπα, φυλάξω τὰς ὁδούς μου,
τοῦ μὴ ἁμαρτάνειν ἐν γλώσσῃ μου·
ἐθέμην τῷ στόματί μου φυλακὴν,
ἐν τῷ συστῆναι τὸν ἁμαρτωλὸν ἐναντίον μου.
ἐκωφώθην καὶ ἐταπεινώθην,
καὶ ἐσίγησα ἐξ ἀγαθῶν,
καὶ τὸ ἄλγημά μου ἀνεκαινίσθη·
ἐθερμάνθη ἡ καρδία μου ἐντός μου,
καὶ ἐν τῇ μελέτῃ μου ἐκκαυθήσεται πῦρ·
ἐλάλησα ἐν γλώσσῃ μου[l].

Neque aliter queribundus Jeremias,

εἶπα, "Οὐ μὴ ὀνομάσω τὸ ὄνομα Κυρίου,
καὶ οὐ μὴ λαλήσω ἔτι ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ·"
καὶ ἐγένετο ὡς πῦρ καιόμενον φλέγον ἐν τοῖς ὀστοῖς μου,
καὶ παρεῖμαι πάντοθεν, καὶ οὐ δυνάμαι φέρειν[m].

Dixi de Hebraicæ Poeseos initio: quæ quoniam sine controversia longe est omnium vetustissima, credibile sit, eam profanis quoque principium et exemplar dedisse. Certe satis bene cum ea conveniunt, si quæ uspiam apud Barbaros servantur nobis carminum reliquiæ: ut illa Arctois populis usitata, quibus inexpletam bellicæ gloriæ sitim moris erat ad tempus sedare. Quo in genere notissimum est illud, Regis Ragneri vincti ac squalentis, nondum tamen edomito animo, *ἐλεγεῖον* dicam? an *ἐπινίκιον*?

Pugnavimus ensibus.
Quinquagies et semel vocatus adfui,
Prælio sub signis facto.
Minime omnium cogitavi hominum,

[l] Ps. xxxix. 1—3. [m] Jerem. xx. 9.

Quid me futurum esset.
Juvenis didici mucronem tingere.
Alium regem bello magis inclytum
Nullo unquam tempore Dii invitabunt.
Non est lugenda mors.

Pugnavimus ensibus.
Fert animus et cantum et vitam finire.
Invitant me virgines, invitant Parcæ,
Quas ex Odini aula
Rex Deorum mihi obviam misit.
Lætus mellita pocula bibam
In summa sede, cum Immortalibus.
Elapsæ jam abeunt vivendi horæ.
Ridens moriar[n].

Non tam Poetæ vividum ingenium, quam veritatem ipsam ferocientis animi expressam verbisque effictam videtis. Neque aliter, qui primus in ardentia illa, Americanis Septentrionalibus vulgata, erupit:

" En cor impavidum manet,
Nec tædas renuo, nec metuo mori.
Si quem talia territant,
Est ille, est mulier, seu quid inertius.
Fortem vivere, seu mori,
Quid refert? Furiis O! modo perciti,
Diris attoniti, cadant
Hostes! O utinam candidior dies
Tradat semineces mihi
Mandendos, sanie pocula condiat[o]!"

Contra, Pacifici Maris indigenæ,—

ἔνθα μακάρων
νᾶσον 'Ωκεάνιδες
αὖραι περιπνέουσιν—

mollissimo carminum genere dicuntur uti: quale extat illud næniæ fragmentum, reguli cujusdam in funere cantati:

" Tranquilla trepidat imber in maris loca,
Mœrente patria Principem:
Imbrem vocemus? an lacryma manat Dei,
Qui nostra cunque temperat[p]?"

[n] Vid. Ol. Wormii *Antiqu. Dan.* p. 205, 6. Hic pauca quædam immutanda duxi, nescio an ineptius, Latinitatis causa.
[o] Charlevoix, *La France Nouvelle*, t. iii. p. 243.
[p] Ellis, *Polynesian Researches*, vol. i. p. 531.

Quæ cum audias, dicas plane, Genium loci cantantibus annuisse suum illud effusum ac lene.

Verum omni melle dulciora sunt ea, quæ Lapponico cuidam amatori tribuuntur: quæ eo quidem magis placent, quod inter nives et pruinas, extremo orbis angulo, fiunt obvia[p]:

En unquam feriet purpureum jubar
Nobis cara procul flumina? frondibus
  En dilecta remotis
    Longe prospiciam loca?
Ah, si, qua mea lux floribus aviis
Circumfusa jacet, cernere erit semel,
  Altæ culmina pinus
    Tentabo, foliis neque
Parcam, vere novo læta virentibus:
Quam vellem gremio nubis in arduo
  Notas visere ripas
    Jucundi Zephyri darent.
Sperandi satis est: eripe te moræ,
Neu dulces pereant immeritæ dies
  Votis ominibusque
    Tabenti, et vigili prece.

Hæc paucissima de pluribus deprompsi exempla: quorum, utcunque inter se discrepantium, una atque eadem videtur esse ratio: cum pariter et leniora hæc et illa acerrima non nisi pleno de pectore fluant. Etenim, ut brevi rem complectar, omnes omnium

[p] Scheffer, *Lapponia* 284. Habentur eadem Anglice, *Spect.* N°. 366. Conferantur, si libet, dulcissima illa,

"*I saw the morn rise clear,*" etc.

cujus carminis etiamnum viget Scriptor.

"Vidi mane novo Sol ubi funderet
  Intactis nivibus purpureum jubar,
    Nec velocis in aurem
      Cervæ, qua properet via,
  Dixi: quin domini conscia prosilit,
  Instat cerva suæ (novit enim) viæ,
    Toto novit in orbe
      Te metam petere unicam."

Barbarorum cantilenæ duobus fere principiis oriuntur. Aut enim commotis ipsi animis, sicut in carcere heros ille, cantant; aut inflammatis aliorum affectibus pro tempore suppeditant ordinem et copiam dicendi: quale Bardorum, qui vocabantur, apud Gallos officium erat.

Nam tertium illud Metricorum genus, quod Sententiosum apte dicas, vix Poeticis adnumerandum videtur: ex quo genere plurimæ sunt Cambrorum quæ nominantur Triades: nisi siqui veterum sapientium effatis, quæ versibus claudenda sibi sumpserant, aliquid etiam proprium addidere aut mœrentes aut mirabundi. Quod quidem non raro videtur evenisse.

Ad summam, manet, cujusque gentis quæ nativa sit Poesis, eam initio repertam fuisse, ut esset importunis cogitationibus remedio: sive ea in profanis versaretur, sive in sacris; seu lugerent homines, seu exultarent; sive amore, sive gloria tenerentur.

Jam, comperta semel carminis pangendi ratione, duo præ cæteris hominum erant genera, quibus ea grata acceptaque foret: alterum eorum, qui ipsi intus simili quadam perturbatione laborarent; alterum, quorum otio nimio torpescerent ac languerent animi. Utrisque gratissimus intervenit Poeta; qui et aperiret viam ferocienti, et remissiores sensim excitaret. Itaque in honore atque in gratia foris, domique haberi cœptus, quæ prius cæco quodam impetu, sui mulcendi causa, tentaverat, ea mox pluribus de causis iterare, mutare, distinguere didicit. Quid enim? poscebant amici; imperabant, quorum auctoritas erat; alliciebat ipsa numerorum suavitas, et (quod unum erat instar omnium) vivida vis animi sui sibi conscia. Mox plures ad imitandum acce-

dere, ut erat vel ingeniosior quisque, vel aurium judicio subtilior, vel ore majora sonaturo. Neque sane nihil profecit, quod gratiosa quædam ars, quod nonnullis etiam quæstuosa, videbatur Poesis. Inde paullatim primis illis accrevit infinita Poetarum varietas;

> Quam qui scire velit, Libyci velit æquoris idem
> Discere quam multæ Zephyro turbentur arenæ,
> Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,
> Nosse quot Ionii veniant ad litora fluctus.

Attamen, quemadmodum in musicis fieri aiunt, ut sua cuique harmoniæ insint quasi primordia, et semina quædam, quibus semel rite perceptis, totius harmoniæ nexum intelligere possis: ita Poesis illud sui initium, pristinamque ac propriam medendi vim, nullo tempore non respiciet. Quæ si quando penitus evanuerit, scripseris licet elegantissima carmina, tantum egregius Poetarum imitator, non ipse primarius evades Poeta.

Hic erunt fortasse, qui a me primariæ istius, toties laudatæ, Poeseos, signa atque indicia deposcant. Quos primum illud cavere jubebo, ne scilicet in re maxime subtili disertis quidque verbis efferri postulent. Nam sicubi alias, hic certe valet illud, "Nequeo monstrare, ac sentio tantum." Nempe haud aliter se res habet, atque in moribus hominum judicandis. Sensu, non formula aliqua, dignoscitur simplex illa atque nuda, seu vitæ sive carminum, Veritas, colore et lumine quodam suo: ut neque dubitandi nec docendi sit locus. Quis autem tot res, tam diversas, tam tenues, tam variis inter se nexibus hinc illinc implicatas et confusas, quarum conjunctione vel minimus efficitur Poetarum, aut se penitus perspexisse

credat, aut perspectas mandare posse literis? Satis superque a nobis erit factum, si unam tantum et alteram lineam, crassioris licet notæ, ita ducemus, ut ab ipsa veræ Poeseos forma non omnino videamur aberrare.

Sed hæc separatim alio tractabimus tempore: ne forte gravissimæ res aut nimia festinatione secus agantur, aut vobis, Academici, jam defessis, satietatem ac fastidium pariant.

PRÆLECTIO QUINTA.

Exponuntur primariæ Poeseos Indicia quædam. Primarii sibi constant; novitatem negligunt; verecunde de rebus dilectis agunt. Docetur, quid valeat in sacris ejusmodi Pudor; deinde quibus maxime rationibus utatur in re Poetica. Significat plurima: quæ narrat modeste narrat; εἰρωνείᾳ gaudet.

VIDISTIS, Academici, Poesin universam in duas distribui posse partes: quarum quæ primaria sit, et cæteras, tum re, tum tempore, antecedat, ejus quænam fuerit origo, quantum conjectura auguramur, edidimus. Sequitur ut indicemus quædam quasi vestigia, quibus Imitatores a Primariis discernere soleat communis omnium sensus. Atque in ejusmodi discrimine statuendo non parum, ni fallor, adjuvabit, probe nosse vitam moresque hominum. Simplex enim sinceraque mens iisdem fere indiciis se prodet, sive carmine quis utatur, seu sermone hoc quotidiano: ut ne dubites, qui in colloquiis et in circulis acerrime dignoscat ficta veris, illum ad Poetas in ordinem redigendos, si id curabit, nonnihil profecisse.

Itaque tria potissimum sunt capita, quorum ope cognosci solet illa, quam quærimus, quotidiani sermonis ἀληθεία: quorum unum in Constantia, alterum in Negligentia quadam, tertium in Pudore ponitur. *Sermonis* dico *quotidiani* veritatem: non enim eam hodie tractamus, quæ in gravioribus vitæ negotiis versetur, turpique lucro contrarium agat. Sed sic intelligimus: cum multi multa se aut odisse aut diligere vehementer sane ac sæpius clament, eas tum demum veras judicari voces, quæ cum cæteris eorundem hominum dictis factisque bene congruant; neque novitatis studium præ se ferant; nec in uno aliquo genere nimis ambitiose morentur.

Jam illud primum, "Sibi constare," quam graviter huc pertineat, non erit quare multis dicam. Hæc est enim conditio fere vivendi, ut nemo facile sententiam mutet, ne in levioribus quidem rebus, quin in suspicionem veniat, finxisse quæ prius declararat studia, et vanitatem orationis adhibuisse. "Conveniet," aiunt, "nulli, qui secum dissidet ipse." Quod metuo ne paullo durius sit dictum. Neque enim semper verba audientibus dederat, qui cito dispar sibi evenit. Verum quid multa? veritatis est, ut plurimum, servare constantiam; fraudis, fallaciæ, vanitatis, mutari.

Atque haud scio, an longius recedat a veri specie illorum sermo, qui semper aliquid inauditum venantur, nihilque se egisse reputant, ni auribus animisque καινόν τι, καὶ παρὰ δόξαν objicere potuerint.

Denique natura ipsa diffidere jubemur, siquis alieno loco suas præ se ferat ubique delicias: nulla rerum, nulla temporum, nulla eorum, quibuscum loquitur, ratione, nec delectu habito.

Hac velut triplici ficti verique nota ad rem

poeticam translata, videamus, si placet, quid ea valeat in classibus Poetarum constituendis, lustroque, ut ita dicam, condendo.

Principio, is omnino judicetur ex animi sui sententia scripsisse, qui aut per omnia sibi constat, aut, si quando longius evagatur, ὁμαλῶς tamen esse videtur ἀνώμαλος. Sin studia colligat ac ponat temere, et pro ratione temporum mutetur, verendum sane, ne artificio magis, quam animi impetu, Poeta prodierit.

Atque ut domesticis utar exemplis: sibi per omnia constare dixerim, siquem alium, Spenserum nostrum: qui ubicunque terrarum deferatur, seu lyrico carmine utatur, sive heroico; sive amatorio, sive lugubri; formam ipsam et faciem veræ Nobilitatis miro quodam amore intuetur: excipias modo quæ secus exciderint curiose nimis imitanti vetera: quæ quidem rarissima sunt. At Spenseri æqualis, Tragœdorum ille princeps, qua tandem ratione stabilis et constans vocetur? qui adeo "humani nihil a se alienum" putaverit, ut eum, veluti Aristippum quendam, "omnis color et status, et res," pariter ferme "decuisse" videatur. Ac fuere sane, qui eum nihil unquam serio egisse putarent, sed præstantibus modo viribus, ut dicitur, ἄειρα ϐέρειν. Quorum si vera esset sententia, nobis certe fatendum erat, parum nos in universa Poetica vidisse: nam quænam foret ejusmodi ratio, quæ Illum primoribus adscribi vetuerit? Sed memoria repetatis, oro, quæ cuique vestrum fuerit animi sententia, fabulas istas prima vice perlegenti. Nonne, cum totius Poematis decursu, proborum vos ac piorum, si qui erant, partes suscipere meministis; tum præcipue cum ventum erat ad "Plaudite," quasi stimulos virtutis in animo relictos sentire? neque ejus modo

virtutis, quæ specie quadam et fervore juvenum corda commovere valeat, verum etiam severioris hujus, castimoniæ, fidei, industriæ, pietatis? Ut facile quis intelligere possit, quæ aliquando subturpicula intexuntur, partim sæculi esse, non scriptoris; partim, ut ebrios Laconicis pueris, tanquam odiosa ac vitanda proponi. Ergo illum virtuti ex animo favisse non est cur dubitemus: cum præsertim plerique eorum, qui tunc scenicis dabant operam, in alia omnia abire consueverint. Hic igitur ejus quasi *ἀνωμαλίας*, qua Primarios aliquos notari dicebamus, splendidum sane documentum proferatur.

Alia est illorum ratio, qui omnia, repugnantia quoque, pari studio, pari facilitate, petere, spernere, omittere, repetere videntur: quale apud nos ingenium fuit (absit dicto invidia) Drydeni. Nulli vis major et copia verborum; nulli sententiarum uberior seges; nemo felicius sese tentare, nemo liberius quodammodo et lætius spatiari, suarum virium sensu. Unum illud Vate sacro indignissimum, quod ita parum sibi congruat, ut neminem unquam ex animo laudasse, nulli earum, quas cantaverit, rerum, impensius eum studuisse dicas.

Sed in his fortasse nimii sumus. Ponatur jam alterum Primariæ Poeseos indicium. Eam videlicet, ni fallor, propius aliquanto videbitur attingere, ut erit quisque novitatis negligentior, minusque curabit illud,

> "Dicam insigne, recens, adhuc
> Indictum ore alio."

Quid enim? otiosi, non flagrantis est animi, longinqua sectari, usitata respuere. Quare is, quem quærimus, Poeta multus erit in locis illis, qui communes

sunt omnium, non solum Poetarum, sed hominum quoque: quales sunt de cœli facie, de anni conversionibus, de vitæ fragilitate. Sed tamen communia ista proprie quodammodo poterit tractare. Id quod Natura ipsa satis curabit, modo plane et vere aliquis quæ sint intus expromere valeat. Sicut enim ora gestusque hominum, ita animorum quoque habitus, quasi de industria variari videmus: ut in mirifica universorum similitudine facile tamen internoscantur singuli. Ergo iisdem fere in rebus iterum atque iterum versari solent, nullo fastidii metu, Poetarum maximi.

Ne verba quidem ipsa, siquæ adamaverint, aut a se aut ab aliis interdum mutuari verentur. Quo in genere (ut notissima proferam) Homerus sua sæpius videtur compilasse, Virgilius Homerica, Spenserus noster aut Virgiliana aut clarissima Italorum monumenta. Atque ut in talibus nonnihil tribuatur (verum enim dicam) Desidiæ :—(quanquam mihi quidem plura ejusmodi videntur ingenuo cuidam priorum vatum amori ac reverentiæ deberi :)—illud tamen perspicuum fit, facile istos ac libenter Inventorum certe laude caruisse. Contra, qui trepidant ac torquentur, nihil non inauditum proferendo, ambitiosius quam verius putandi sunt agere, etiam optime quæ sint acta.

Hoc vitio pæne cumulatum est notissimum apud nostrates Poema, (grave profecto et eruditum, et clarissimis distinctum luminibus.) cui titulus, "*Nocturnæ lugentis excubiæ*." Possim allegare sexcenta ejus loca, quæ, initio satis dulci, desinunt in verborum ineptias; variatis ad fastidium clausulis, dum inusitatum aliquod emicet.

Quare, si forte de Poeta quovis, ut fit, oriatur

quæstio, Primariis sit adnumerandus, necne: et hoc nobis sumamus indicium, quod ab inveniendi gloria affectata aut neglecta ducitur; et alterum illud, quod ante diximus in servanda constantia poni.

His jam tertium, si placet, addamus, quo uno pulcherrime dignoscitur, qui sint veri vividique affectus, quæ sincera sine fuco Poesis. Videndum, ne sit nimius scriptor, ne sine ullo discrimine luxuriet, ne sacra profanis indigne misceat. Nonne communis hæc vita edocet, qualis sermo sit ejus viri, qui affectu aliquo graviore permoveatur? Postquam semel alte vulnus insedit, omnia, quæ loquitur, id sonant, quo tendit ægra desiderio mens: sed tamen obscurius sonant. Non omnia vult omnibus palam dici, sed tanquam cithara pulsa, paucularum vocum ope, docet cordatos, quid sibi velit:

"Incipit effari, mediaque in voce resistit."

Habetis formulam amore captorum: quæ formula satis bene Poetis, dulcedine quadam captis, conveniet. Eam autem tribus promulgasse verbis hoc tempore satis foret: monstratur enim ipsa Poeseos indole, qualem nos initio diximus; multisque posthac declarabitur exemplis. Sed quoniam in eo quasi cardine totius instituti ratio vertitur, adjicere decrevi pauca quædam, quæ planum faciant in re cognata, quantum polleat innatus hominibus pudor.

Æterni illius Numinis veneratio, quæ quidem germana sit, et ab imo corde proficiscatur, non lucem modo nimiam ipsa refugiet, verum etiam, si quis, verecundiæ oblitus, in re sacrosancta temere garriat, illum nescio quomodo a se summovere et arcere

conabitur. Ut in materia longe graviore subeat meminisse Horatiani illius,

> " vetabo, qui .... sacrum
> Vulgarit arcanum, sub iisdem
> Sit trabibus, fragilemve mecum
> Solvat phaselum."

Omnino primævi illi Patres, maximeque idonei Pietatis auctores, nulla non solicitudine cavendum censebant, ne ad inimicos atque impios perveniret notitia sacramentorum ac tesseræ Fidei. Solennia ista, *ἴσασιν οἱ μυσταί· ἴσασιν οἱ μεμυημένοι· τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις.* Ea " siquis insinuarit nondum initiatis, prodidisse non edidisse æstimabatur." Quod eo magis notandum arbitror, quoniam talia non levi periculo, primis certe temporibus, dicebantur. Nimirum hoc illud erat, de quo Christiani male audiebant; " nocturni cœtus, arcana religio, cærimoniæ non omnibus impertitæ." Quod si illi, spretis vulgi rumoribus, quibus tum vitæ suæ, tum gloriæ Dei jactura videbatur fieri, nihilo minus, aliqua saltem ex parte, suis in adytis delitescere voluerunt, neque palam omnia profanis aperire: sentitis plane, ni fallor, Academici, quid apud simplices incorruptosque animos valeat rei divinæ reverentia, et pudor quidam illis dignissimus, quorum modo expiantur scelera. Nullum enim, quod sciam, Dei aut Ecclesiæ monitum habebant, quod de talibus loqui prohiberet. Ipsa satis prohibebat Natura. Quæ ni clara voce testaretur, plurimos bene celari multa, quæ religionis ergo fiunt, non equidem intelligo, qua ratione, toto fere terrarum orbe, Christianis quoque mos invaluerit, ut preces canerent peregrina lingua. Fuerit sane ista sacerdotum fraus; fuerit, (ut erat fortasse aliqua ex

parte) inconsulta barbaræ plebis superstitio: num credibile est, potuisse eam ita diu lateque obtineri, nisi ad naturam indolemque hominum congrueret quodammodo ac responderet? Jam nostris quoque semper id placuit, ut nequis sanctissimis adsit mysteriis, præter eos, qui τέλειοι vocantur: gravissimo sane exemplo, dignoque piis et pudicis hominibus. Sin e cœtu et republica Ecclesiæ ad singulos homines descendere libeat; nonne integerrimæ pietatis est, ea, quæ ad Deum pertinent, parce ac verecunde proloqui? religiose in religionibus versari? paucorum valde hominum esse, cum de placando Numine, cæloque merendo, sermo oritur? Re non verbis sanctitatem præ se ferunt: aureumque illud semper reminiscuntur, "Non magna loquimur, sed vivimus:" nisi siquando religionis ipsius intersit, ut coram populo, quid sibi velint, declarent.

"At enim nonnulli, simplici pietate, non cessant peccare in verecundiam: immo, religiones ineptius ingerendo, fiunt molesti, ne dicam odiosi."

Ac fateor equidem: aut enim fanatico quodam urgentur errore, aut spem fovent inanem, fore ut isto modo plures alliciantur ad veritatem. Quos tamen ipsos sæpenumero crediderim, cum primum istiusmodi sectæ darent nomina, miris modis angi ac torqueri: donec usus callum obduxerit animo, pristinæ queillius sive inertiæ seu pudoris dedocuerit infantiam. Ut maneat ferme, quod effectum velim: tacita plerumque reverentia ac pudore nosci veros Dei cultores.

Jam eorum qui amant, eorum etiam qui sacris anxie invigilant, eadem ac Poetarum est ratio: Poetas dico qui animi causa scribunt, quales a nobis vocari solent Primarii. Omnes quippe in eo con-

sentiunt, ut sibi quisque habeat nomen aliquod, præ cæteris carum ac venerabile: quod adeo ne nominari quidem, nisi digne coram dignis, velit. Dignus autem, qui ista audiat, vix unus alterque de multis videbitur: quotus enim quisque flagranti non frigebit? quis, commoto alterius animo, satis se commovebit atque efferet?

Porro, cum acute cernant homines, quæ ad ea spectant, quæ sibi valde sunt cordi; mirum ni ridiculi quoque metu retrahant se frequenter ac revocent, qui alias erupturi erant in ardentissima verba vocesque. Quid enim ridiculo propius, quam graves animorum motus et certamina, nullo eorum, qui adstant, consensu, nullo mutui affectus indicio? Surdis canere et saltare, quamvis eleganter, nihil, credo, attinet. Juvenilis quidem ætas vi quadam fertur, neque tam negligit quid alii sentiant, quam pro certo sumit, alios sui similes fore. Sed cito vel inviti docentur illud Epicharmi,

Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρένων.

Ineptos se haberi cum suis tragœdiis sentiunt; quod ubi semel atque iterum evenit, nihil tam solicite agunt, quam ut ea, quibus delectantur, a vulgo et scena in secreta removeant; ne aliquando cursu calentes subito quasi frigore quis feriat.

Ne multa: quæ lex omnes tenet, ea Poetis imprimis conveniebat, Ut quo quis aliquid impensius agat, eo parcius plerumque laudet.

Verum, ut satis huic loco fiat, expendamus brevi, quanta ejus habita sit ratio omni tempore, et a summis quidem viris, in quaque regione artis poeticæ: primum, quod inviti ac raro eas res aut depingere,

aut curiose narrare consueverint, quorum præ cæteris amore ferverent: deinde quicquid tale inciderit, id ita depingunt, itáque narrant, ut plurima omittantur, quæ vulgi oculos eminentia quadam percellere soleant: postremo Socratica illa fraude, quæ contraria agit ac simulat, mirifice delectantur hi homines, varioque ejus usu præcipue vigent.

Prima igitur pars erit hujus quasi modestiæ Poetarum, ut pleraque significent potius, quam data opera describant ac demonstrent. Neque enim opus erat, ut plurimum, expressa totius rei imagine; neque ad ipsius memoriam (servabatur enim intus mente animoque); neque ad mentes auditorum erigendas, qui, dum omnia recensemus ordine, aut languent, aut nos, non nostra, mirantur. Itaque, qui sapiunt, paucis tangunt, quæ maxime commendata velint legenti: et velut convivatoris, ita scriptoris, id erit certissimum ingenii specimen, si homines dimittat excitato quasi palato.

Quo in genere nihil Virgilio præclarius, iis duntaxat in locis, ubi ille delicias suas, rura videlicet ac rem agrestem, persequitur. Sane quam feliciter, uno sæpe verbo, integram nobis ornavit scenam: velut ubi armentarios jubet

> Æstibus in mediis umbrosam exquirere vallem,
> Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus
> Ingentes tendat ramos: aut sicubi nigrum
> Ilicibus crebris sacra nemus *accubet* umbra[a].

Rem universam ante oculos ponit, quasi quodam jactu penicilli, illud "*accubet*." Eodem fere verbo usus Horatius, picturam satis amœnam adumbravit:

> "Valles, et Usticæ *cubantis*
> Lævia personuere saxa[b]."

[a] Georg. III. 331—4. [b] Carm. I. 17.

Sed abest his οἰκεῖον illud, quod in Virgilianis mirifice placuit. Cum enim totus hic locus ita sit aptus, ut nihil magis, ad mollissimam illam sub dio quietem, tum gratissima supervenit clausula, unice ad eam rem comparata.

Verum (ne vagemur, dulcedine capti) conferat aliquis hæc Virgilii, quibus suas, ut dixi, delicias tractat, cum decantatis illis de Fama, de monte Ætna, de Furia nocte visa, carminibus. Inveniet profecto, quas res verisimile sit Poetam adhibuisse moris, non animi causa, eas plerumque longo verborum apparatu, justa serie imaginum, exponi: quas autem ipse ex animo cecinerit, eas obiter modo tangi, et tanquam aliud agendo.

Neque vero multum vereor, ne vetita licitis indigne videar miscere, si vobis in hoc loco audeam nobile sane exemplum proferre, de Sacrosanctis depromptum Literis; et cum profanis eodem spectantibus componere. Doctissima est in nono Pharsaliæ de serpentibus Afris narratio, qui Catonis milites singuli singulos diverse pro suis venenis necarint. Nulla utique aptior materies, in qua se jactet atque efferat Lucani facilior quam felicior manus. Inter alios siti morientem depingit:

> Ebibit humorem circum vitalia fusum
> Pestis, et in sicco linguam torrere palato
> Cœpit: defessos iret qui sudor in artus
> Non fuit, atque oculos lacrymarum vena refugit.
> Non decus imperii, non mœsti jura Catonis
> Ardentem tenuere virum, quin spargere signa
> Auderet, totisque furens exquireret agris
> Quas poscebat aquas sitiens in corde venenum....
> Nunc redit ad Syrtes, et fluctus accipit ore,
> Æquoreusque placet, sed non et sufficit, humor.
> Nec sentit fatique genus, mortemque veneni,
> Sed putat esse sitim, ferroque aperire tumentes
> Sustinuit venas, atque os implere cruore[c].

[c] Phars. IX. 473. et seqq.

Pollent hæc artificio non mediocri: sed rem ipsam qui velit intueri, Threnos adeat Judæi Vatis [d].

ἐξέλιπον ἐν δάκρυσιν οἱ ὀφθαλμοί μου,
ἐτάραχθη ἡ καρδία μου,
ἐξεχύθη εἰς τὴν γὴν ἡ δόξα μου,
ἐπὶ τὸ σύντριμμα τῆς θυγατρὸς λαοῦ μου,
ἐν τῷ ἐκλείπειν νήπιον καὶ θηλάζοντα ἐν πλατείαις πόλεως·
ταῖς μητράσιν αὐτῶν εἶπαν, ποῦ σῖτος καὶ οἶνος;
ἐν τῷ ἐκλύεσθαι αὐτοὺς ὡς τραυματίας ἐν πλατείαις πόλεως,
ἐν τῷ ἐκχεῖσθαι ψυχὰς αὐτῶν εἰς κόλπον μητέρων αὐτῶν.

Sunt et illa ejusdem alio in loco: quæ quidem propius ad rem accedunt [e]:

ἡ κραυγὴ τῆς Ἱερουσαλὴμ ἀνέβη·
καὶ οἱ μεγιστᾶνες αὐτῆς ἀπέστειλαν τοὺς νεωτέρους αὐτῶν ἐφ' ὕδωρ.
ἦλθοσαν ἐπὶ τὰ φρέατα, καὶ οὐκ εὗροσαν ὕδωρ,
καὶ ἀπέστρεψαν τὰ ἀγγεῖα αὐτῶν κενά.

Ταῖς μητράσιν αὐτῶν εἶπον, ποῦ σῖτος καὶ οἶνος;

Sentitis, opinor, hoc uno versu, quid sit fame ac siti perire, clarius quam longissimo carmine aut Ovidii aut Lucani. Quid enim? scribebant illi quæ legerant; Jeremias canebat quæ oculis videbat suis, quæque toto corde lugebat ac deprecabatur.

Interdum tamen hi quoque ipsi, qui ex animi impetu Poetæ fiunt, justa quasi tabula res in conspectu ponunt. Sed operæ pretium erit cognoscere, quo judicio, qua subtilitate, quo (pæne dicam) fastidio agant. Quod quidem alterum nobis modo posuimus Primariorum indicium.

Sicut enim, cum rumores seruntur, vulgus hominum, nulla religione, teterrima quæque libentissime repetit; qui autem vere anguntur, delectu habito, molliora quærunt: ita, perspecto quid quisque Poetarum narrando aut depingendo deligat, non male fit conjectura de animo cujusque et sententia.

[d] II. 11. [e] Jerem. xiv. 3.

Celeberrimo et elegantissimo carmine se puerum effingit Horatius:

Me fabulosæ Vulture in Appulo,
Altricis extra limen Apuliæ,
Ludo, fatigatumque somno
Fronde nova puerum palumbes
Texere: mirum quod foret omnibus,
Quicunque celsæ nidum Acherontiæ,
Saltusque Bantinos, et arvum
Pingue tenent humilis Ferenti;
Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et ursis: ut premerer sacra
Lauroque collataque myrto,
Non sine Dis animosus infans[f].

Simili fere argumento Pindarus:

ἦλθεν δ' ὑπὸ σπλάγχνων ὑπ' ὠ-
δῖνος τ' ἐρατᾶς Ἴαμος
ἐς φάος αὐτίκα· τὸν μὲν κνιζομένα
λεῖπε χαμαί· δύο δὲ γλαυκῶπες αὐτὸν
δαιμόνων βουλαῖσιν ἐ-
θρέψαντο δράκοντες, ἀμεμφεῖ
ἰῷ μελισσᾶν, καδόμενοι· βασιλεὺς
δ' ἐπεὶ πετραέσσας ἐλαύνων ἵκετ' ἐκ
Πυθῶνος, ἅπαντας ἐν οἴκῳ
εἴρετο παῖδα, τὸν Εὐάδνα τέκοι·
Φοίβου γὰρ αὐτὸν φᾶ γεγάκειν
πατρός· περὶ θνατῶν δ' ἔσε-
σθαι μάντιν ἐπιχθονίοις
ἔξοχον, οὐδέ ποτ' ἐκλείψειν γενεάν.
ὣς ἄρα μάνυε· τοὶ δ' οὔτ' ὢν ἀκοῦσαι
οὔτ' ἰδεῖν εὔχοντο, πεμ-
πταῖον γεγεναμένον· ἀλλ' ἐγ-
κέκρυπτο γὰρ σχοίνῳ βατίᾳ τ' ἐν ἀπει-
ράτῳ, ἴων ξανθαῖσι καὶ παμπορφύροις
ἀκτῖσι βεβρεγμένος ἁβρὸν
σῶμα· τὸ καὶ κατεφάμιξεν καλεῖ-
σθαί μιν χρόνῳ σύμπαντι μάτηρ
τοῦτ' ὄνυμ' ἀθάνατον[g].

Hic, pace omnium Quiritium dixerim, palma, me judice, dabitur Thebano: qui non ad venturam

[f] Carm. III. 4.

[g] Olymp. VI. 73—95.

pueri famam, sed ad periclitantis salutem, nescio quomodo converterit legentium animos. Quid intelligam, duo verba monstrabunt; eaque, si libet, ab ipso Flacco mutuabimur: Nihil hoc *pulchrius;* nihil illo *dulcius*. Quæ diversitas, si modo eam recte tenemus, pendet omnino e rerum delectu; quem agit Horatius, ut unus vicinorum, Pindarus vero, *μάτηρ οἶα, φράζει*: anxie quærit puerum, invento lætatur.

Verum hæc hactenus. Jam ejus formulæ, quam a Primariis Poetis servari diximus, pudoris causa, ea postrema pars erat, ut plurimis in locis Ironiam, (quæ vocatur,) dolo minime malo, adhiberent. Atque equidem crediderim, primores aliquos sibi ultro universi quoque carminis sumpsisse materiam, haud paullo remotam ab ea, quam ipsi unice desideraverint: ita tamen, ut per flexus nescio quos crebro revocarent adamatas quisque res. Insigne apud vetere, ni fallor, exemplum est in Æneide Virgilii. Sed eam causam fusius et melius posthac, uti spero, explicabimus. Nunc, quid in mentem venerit de Virgilio Anglicano, dicam: sic enim appellari Spenserum nostrum nulla, ut opinor, Musarum vetabit. Puto illum (ut alia omittantur) per mellitum illud Epithalamion prodidisse, quid ante oculos sæpius habuerit, in heroicis quoque scribendis. Sponsus cum esset fidelissimus omnium, tam suos amores, quam Reginæ suæ laudes, multis locis ingeniose intexuit: ut neque legentibus fastidium gigneret, et curas cantando leniret, salvo pudore.

Quod si etiam in materia sumenda tantum valet honesta dissimulandi ratio, utique in styli colore, atque in genere dicendi, latius ea dominetur necesse

est. Non raro evenit, ut qui acerbissime omnium, afflictis perditisque rebus, mœrebant, iidem verbis cœperint nugari ac ludere. Quid enim facerent? æstuabat

"ingens
Imo in corde pudor, mixtoque insania luctu."

Id e vita in scenam, suo more, transtulerunt Tragœdi: quo non satis intellecto, arguitur interdum a nonnemine vel summus ille Naturæ interpres, induxisse, qui mediis in ærumnis frigide et inepte jocarentur.

Neque vero mœrentibus solum, aut aliquo modo graviter commotis, fictus ille quasi lusus conveniet; sed in gravissimis quoque rebus nonnunquam eo sunt usi, qui suos severissime monitos vellent. Ipsi talia non sprevere, cum maxime Dei causam dicerent, animasque ad pietatem revocarent, sacri ac fatidici Vates. Veluti in Libro Regum, fortissimus ille Michaias iterat ultro mendax hariolorum carmen, quo Achabum in Syros dictis incitare videatur, re deterreat[h]:

"Ite signis, ite faustis, Gilead Israel petat,
Ultor in manus Achabi tradet invictas Deus."

Immo diserta vox est Jehovæ, populum suum, ingratum scilicet, a se ad impuros ritus amandantis:

Vos, O Domus Israel,
audite, quæ dicit Dominus Deus:
Singuli post idola vestra ambulate,
et servite iis;
atque etiam posthac, quoniam Me non audietis:
sed ne polluatis ultra Nomen Meum sanctum
in muneribus vestris, et in idolis vestris[i].

Hæc plane et proprie εἰρωνικά. Alias verbo tenus luditur, et sonorum similitudines captantur: qualia

[h] 1 Reg. xxii. 15. [i] Ezech. xx. 39.

vix transferas in alienam linguam. Exempli loco sit illud in quinto Esaiæ distichum: Græcis tale aliquid sonabit [k]:

> ἔμεινα τοῦ ποιῆσαι κρίμα,
> ἐποίησε δὲ δεῖμα·
> καὶ οὐ τὸ εἶκος,
> ἀλλὰ τὸ νεῖκος.

In eodem censu habenda sunt illa, Hebræis perquam familiaria, quæ in nominibus locorum atque hominum novandis, cum lepore quodam, versantur [l].

Est etiam Ironiæ, sed lenioris, latiusque toto orationis corpore diffusæ, cum res amatas ultro extenuant homines, et sua se irridere simulant. Itaque, ut cum Aristotele, planius fortasse quam gravius, loquar, *προγαργαλίσαντες οὐ γαργαλίζονται*: tela, morsusque dicacium acute præveniunt. Mire festivus in hoc genere Virgilius: eo præsertim libro, quo "aerii mellis cœlestia dona" exsequitur. Amplissimam nobis apium suarum rempublicam atque urbem instaurat; reges, Quirites; aulas, mœnia; stationes, prætoria; nihil non elatum, nihil non grande, nihil non Romanis accommodatum auribus. Numeris quoque ipsis incedere videtur fastuosior solito et augustior. Nemo in oblectamentis suis amabilius unquam, credo, lusit.

Exposui pauca de multis, Academici, quorum ope nosceretur illa eorum, qui ex animo scribunt, subrustica (pæne dixerim) verecundia. Per has illi

[k] Esai. v. 7.

[l] E. g. Judic. vii. 32; Ruth i. 20; Hos. x. 5. ubi pro *Bethel*, "domo Dei," ponitur *Bethaven*, "domus malitiæ."

ambages laborabant, ut nequid aut celarent dignos, aut temerario proderent indignis. Quarum tandem hæc erit summa; pleraque libentius ab istis mitigari narrando, quam augeri; cum vulgus Poetarum in nulla re tam vehementer sibi placeat, quam si nova quis, ardentia, atrocia, præ aliis potuerit elicere.

Diximus de Primariorum indiciis: superest ut Primarios ipsos, alia jam divisione instituta, in genera quædam ordinesque digeramus.

PRÆLECTIO SEXTA.

Formulam nostram, de summa Poeseos, non nimis angustam fore: præsertim cum ea comprehendantur tam leniores affectus quam vehementiores. Primarii sunt partim quieti, partim actuosi. Horum nobilissimum exemplum, Homerus, Heroici sæculi desiderio flagrans. Iliadem et unam esse, et ab uno profectam auctore.

INGREDIENTI mihi primum hanc de Poetica disputandi viam, nihil molestius occurrere videbatur, Academici, quam quod, omnium judicio, quæ sint ejus perfectissimæ partes, (Tragicum dico genus et Epicum,) illæ artem maxime redoleant; nec nisi longissimo tempore, summo labore ac studio, maturescant. "Quid igitur?" dicat aliquis:—"quid tandem iis, qui impense meditantur, cum animi impotentis æstu? Quem unquam vehementior adegit affectus, ut dimidia vita sibi putaret laborandum, quo planius et melius rem narraret, non modo sibi suisque alienam, verum etiam, si fors ita tulerit, qualem ipse nullo unquam tempore ne fieri quidem potuisse crediderit?"

Præterea, qui partes sibi sumpserunt docendi

potius quam narrandi; quales de rerum natura Lucretius, de arvorum cultu Virgilius, de moribus, de philosophia, de variis artibus multa multi carmine disputarunt; verendum sane nonnullis videtur, ne formulam illi nostram omnino recusent ac rejiciant. Nam in iis plerumque versantur, quæ partim remotiora sunt, partim vulgatiora, quam quibus facile credat aliquis percelli posse hominum mentes, et in eam, quam quærimus, Poesin, quasi fato quodam, incitari atque abripi. Itaque aut nos vanitatis argui, aut Lucretium, cæterosque id genus, Poetarum numero excerpendos esse aiunt.

Hæc et similia si quis ingerat, ita fere responsum ei velim: primum, non ita bene judicare, qui tam penitus ab omni graviore affectu limæ laborem et moram sejungat. Quid enim sæpius usu venit, animis majorem in modum commotis, quam ut ea, quæ forte scripserint homines, iterum putent iterumque relegenda; singulis pæne verbis inhæreant; minuant, augeant, immutent omnia; nulla ratione satis sibi placeant?

Deinde, quod sæpius evenire aiunt, ut Epici Tragicive carminis argumentum ab ipso scriptore longissime sit disjunctum: non plane nescimus quæ sint animorum contagia; quam nihil intersit generis, temporis, loci, postquam semel aut ridentibus adridendum aut flentibus adflendum Natura decreverit. Num, qui theatris spectatum veniunt, tardius irritantur, mulcentur, anguntur, quoniam scilicet ad eos nihil pertineat aut Cæsar aut Œdipus aut quisquis in scenam prodeat? Ut ne cui mirum esse videatur, actores ipsos vel Poetas nihil a se alienum putasse, quod flagranti animo foret subsidio.

Postremo ne ad physicorum castra relegandi sint

Lucretiani isti, (quod quidem Aristoteli videtur placuisse,) in partes quasdam, re ipsa monente, distribuemus hodie Primariorum Poetarum chorum: cujus distributionis ratio erit ejusmodi, ut nemini postea sit dubitandum, quin ab animo inflammato potuerit oriri, tum Œdipus, tum ipsa Ilias, tum siqua longior exstat ac limatior carminum series.

Diximus utique, Primarios illos, et tanquam αὐτόχθονας regionis poeticæ Incolas, ea præcipue nota definiri, quod omnia pleno animo canant; quod affectus quasi scaturientes carminum ope lenire noverint. Quo posito atque concesso, sequitur, ut quot quibusque generibus varientur humani animi affectus, eadem quoque Poeseos extare dicantur.

Jam vero (Quintiliani verbis utar[a]) Affectuum "duæ sunt species: Alteram Græci πάθος vocant; quam nos recte vertentes ac proprie Affectum dicimus: Alteram ἦθος; cujus nomine, ut ego quidem sentio, caret sermo Romanus; *Mores* appellantur; atque inde pars quoque illa philosophiæ ἠθικὴ, Moralis est dicta. Cautiores voluntatem complecti, quam nomina interpretari, maluerunt. Affectus igitur hos concitatos, illos mites atque compositos esse dixerunt: in altera vehementer commotos, in altero lenes: denique hos imperare, illos persuadere."

Quidni igitur, pari discrimine, duplicem quoque nobis constituamus Poesin? Erit nimirum, quæ concitatis; erit, quæ lenioribus hisce et compositis medeatur affectibus. Illa metuentem, cupientem, dolentem, gaudentem, ipso turbine atque æstu τοῦ πάθους, recreatum ac levatum veniet: Hæc indolem declarabit animi, timidam, cupidam, tristem, ala-

[a] vi. 2. 2.

crem; et libero quasi lusu Phantasiam exercebit, eo scilicet aventem excurrere, quo si per fortunas liceret, libentissime quemque suum ferret ἦθος.

Atque, ut de Sacris exempla proferam; alia Balaami ratio erat, œstro quodam pietatis ad tempus perciti, mortemque justorum mirifice laudantis[b]: alia Illius divini prorsus viri, quisquis Poema Jobi scripserit. Eadem tamen utriusque summa. Videlicet Hic piorum ἦθος, Ille πάθος tantum carminibus reliquit expressum. Jam simili fere discrimine cæteros Poetas cæteris in affectibus quisque pro se facile notabit. Fuere, quibus semel atque iterum versus extorserit sceleris execrandi odium: qualia sunt illa sanctissimi Vatis, vivide a Buchanano expressa[c]:

Quid gloriaris, impie
Tyranne, pravis artibus?
Tua lingua semper fraudibus
Intenta comminiscitur
Nefas, nitente cotibus
Acutior novacula.
Te prava rectis plus juvant,
Plus falsa veris recreant;
Dolisque pestilentibus
Libenter aurem commodas.
Ergo Deus te conteret,
Hominumque contubernio
Eliminabit, ac domum
Evertet omnem funditus.

Fuerunt etiam, quales Juvenalis et Archilochus, quibus seu rabies, sive justa indignatio totum coloraverit scribendi genus. Nihil alteri tam dispar, quam Sapphicis Tibullus: dum hic inveteratis indulget amoribus, illa nascentibus quærit remedium.

Ne multa: neminem fugiet, opinor, quam late pateat illa partitio, quantaque vi dirimere ea valeat lites Poetarum ac jurgia de finibus.

[b] Num. xxiii. 10. [c] Psalm. lii.

Quoniam vero ardentis est animi citius ut plurimum deflagrare, sint breviora, si vis, et simpliciore deducta filo, quæ vehementer commotis oriuntur, unoque impetu absolvuntur, Poemata: ea certe, quæ stabilem produnt indolem, nihil neque in longius trahi vetabit, neque repetitas auctoris curas, lucernamque (ut aiebant de Demosthene) olere.

Videtis ergo, non adeo absurde etiam de Epopœia dici, mederi eam fervido scriptoris animo, insitumque et inustum mulcere desiderium.

Jam rarius affectu flagramus; indoli et ingenio tantum non semper indulgemus: ne mirere Poetarum opera longe plura lenius sonare. Etenim, si excipias Lyrica quædam, et Elegos, unumque et alterum de acerbioribus Iambeis, nescio an nullum celebretur carmen, de affectu aliquo mero simplicique oriundum. Omnia morum ac vitæ tenorem, gustumque (qui dicitur) menti animoque longo usu familiarem sapiunt. Nihilo tamen minus putanda sunt ab ipso corde ultro manasse: immo verius quodammodo et perfectius ad intimam cujusque naturam comparari et congruere dixeris. Nam alia non desunt piacula, quæ subitos iræ aut doloris æstus sive moderentur, sive alio devertant. Rapidi motus, cum sponte languescunt, tum veram animi vim et constantiam provocare solent et expergefacere. Quid faciendum istiusmodi curis, quibus plane insenuerit ingenium, quæque tacite ac latenter toti se immiscuerint vitæ? Omnino præsentissimum erit solatium, si quis earum, quas deperit, rerum formam aliquam et faciem versibus utcunque valeat effingere.

Porro, qua ratione diximus carmina magis ad mulcendum valere, quam solutam hanc orationem;

eadem, opinor, haud obscure docebit, cur in carminibus quoque pangendis fabulam aliquam aut doctrinam ante oculos habere malis, quam temere quæque pro tempore efferre. Illud ipsum, ordine ac via incedere, proderit fortasse non parum ægritudini ac desiderio mulcendo: quum ex infinita rerum verborumque silva, uno tempore animis obversantium, deligendæ erunt res, quæ suscepto operi, verba, quæ et rebus et numeris conjunctissima sint et maxime utilia.

Quo in loco mirari subit eorum præcipue juvenum inscitiam, quibus omnia, quæ arte ac consilio fiunt, jejuna ac frigida solent videri, et homine poetico minus digna. Itaque tum demum sese præclarum aliquod excogitasse putant, cum splendida quædam et ingeniosa, forte quadam, huc illuc assuerunt; quam inepte, nihil curant; legibus enim negant teneri Poetam æstu ingenii abreptum. Quos semel equidem admonitos velim, jejuni id esse scriptoris, ut prima quæque, inopia meliorum, mordicus teneat; frigidi, parumque de re soliciti, ut in suis facile sibi placeat; magni vero et ardentis ingenii, ut omnia tentet, optima deligat, nulli neque labori neque studio parcat, si modo rerum, quas adamaverit, ampla ac venusta paretur effigies.

Verum, ut ad rem redeamus; nemini jam trepidandum censeo, ne nos edicto quasi nostro nimis angustos pepigisse limites, et in arctum violenter coegisse videamur generosam illam Poetarum familiam. Vidistis enim, nihil omnino, quod mentes hominum aut subito percellere aut diutius occupare valeat, ea, quam constituimus, formula, non contineri ac concludi. Jam ad partes, et genera

accedamus. Infinitum esset in singulis morari. Satis erit, si in paucis quibusdam et notissimis periculum faciemus.

Ac primum quidem, quorum scripta vitæ tenorem quasi perpetuum et stabile quoddam ἦθος indicant, ii fortasse non incommode binos se in ordines revocari patientur. Nam veluti qui Pictores in sua genera dispertiendos curant, alterius provinciæ quieta fore aiunt, alterius actuosa ac vitæ plena: ita quoque erit in rebus poeticis. Alter itinere fallentis vitæ, alter rerum undis strepituque delectabitur. Uterque efformabit sibi suam Poesin: Epicam scilicet, aut Dramaticam, aut si qua alia πράττοντας μιμεῖσθαι noverit, agilis hic, moribusque et negotiis intentus: qui autem tranquilla sectatur, sive ruris seu studiorum amans, is sane Georgicis quibusdam aut Bucolicis dabit operam.

Quod si cui forte acciderit humanitus, ut sumat materiem sibi minus aptum, suo aut suorum errore; si prælia, verbi causa, regumque fata, narrabunt "gaudentes rure Camœnæ:" profecto spectaculum haud invenustum cordatis præbebit ejusmodi carmen. Recurret enim usque Natura victrix, notasque et avitas delicias, alienissimis quoque rebus occupata, respiciet. Ut fiat tandem nobile opus, non tamen eo prorsus in genere, quod scriptor initio erat professus.

Rei igitur ipsius habebis delectum, qua cura, qua perspicacia poteris. Illud non multum intererit, opinor, agaturne res, an acta narretur; scenicorum an rhapsodorum ritu semel inventa in lucem proferas. Nisi forte aut Homero Tragœdiam, aut Shakspero nostro Epopœiam, suspicetur aliquis male cessuram. Externa sunt ista, et adventitia: ut in iis

deligendis non tam suam, quam sæculi sui, indolem referant.

Sequitur, ut in exemplo omnium, quæ unquam fuere, splendidissimo, quid valeat ratio nostra tentemus. Eo enim devenimus, Academici, ut dicendum sit de Iliade Homeri. Monstrandum, quo potissimum affectu, quo desiderio Ille commotus, virgula quasi divina collegerit intactas antea Poeseos opes:

δρόμῳ δ' ἰσώσας τῇ φύσει τὰ τέρματα,
νίκης ἔχων ἔξηλθε παντίμου γέρας.

Satis quidem incommode accidit, ea, quæ ad vitam ipsius pertinebant, aut evanuisse injuria temporis, aut fabulis immistis ita fœdari, ut vix et ne vix quidem, uno atque altero loco, argumentis ab ipso carmine ductis tenuem modo facem prætendant. Veruntamen id Homeri studiosis eo minus officere debet, quod neminem omnino novimus scriptorem, qui simplicius atque apertius qua sit indole, quo habitu animi, omni fere carmine ostendat.

Qui primum quidem otiosis illis minime se adnumerari patietur: semper enim festinat, et ulteriora molitur, animumque rebus agendis aptum nulla non pagina præ se fert. Hoc illud est, quod in Homericis ab Aristotele toties laudatur[d]: *μόνος γὰρ*, inquit, *οὐχ ὅτι εὖ, ἀλλ' ὅτι καὶ μιμήσεις δραματικὰς ἐποίησεν . . . . . μόνος τῶν ποιητῶν οὐχ ἁγνοεῖ ὃ δεῖ ποιεῖν αὐτόν. Αὐτὸν γὰρ δεῖ τὸν ποιητὴν ἐλάχιστα λέγειν . . . . οἱ μὲν οὖν ἄλλοι, αὐτοὶ μὲν δι' ὅλου ἀγωνίζονται, μιμοῦνται δὲ ὀλίγα καὶ ὀλιγάκις. ὁ δὲ, ὀλίγα προοιμιασάμενος, εὐθὺς εἰσάγει ἄνδρα ἢ γυναῖκα, ἢ ἄλλο τι ἦθος· καὶ οὐδὲν ἄηθες, ἀλλ' ἔχον ἦθος.* Nimirum Aristoteles laudem omnem, ut Virtutis, ita Poeseos, in

[d] Poet. cann. viii. et xliv.

actione consistere putavit; neque facile quenquam, ut videtur, præter Homerum ac Tragœdos Atticos, ne nomine quidem tenus Poetarum ordinibus adscripsit. Nos, qui Lucretios et Virgilios, (ne dicam recentiora,) novimus, ita summi viri accedimus sententiæ, ut otiosis suam demus Poesin; quibus autem laudibus ille Homerum, Dramaticorum Principem, vigere voluit, eas nulla ex parte minui velimus.

Finganus itaque flagranti ingenio virum, summis Phantasiæ (quam vocant) dotibus, quo tempore labi cœperunt et in deterius ferri apud Græcos Heroum sæcula: fingamus etiam, seu forte quadam, seu vitio temporis, neque ad rempublicam neque ad militiam ei viro fuisse accedendum. Facile crediderim, nomen dedisse ῥαψῳδοῖς, tunc temporis apud suos vigentibus: ut ea, quæ agere vetaretur, canendo saltem tereret ævum. Ecqua tandem ratione potuit ejusmodi desiderio consuli melius, quam ut una de multis eligeretur narratio, amplissimo decursu, celeberrima materia, clarissimis ubique nominibus distincta; quæ et scribenti referret indies præterita tempora, delicias suas; et mortuo fortasse memoriam propagaret, augustissimæ heroum memoriæ annexam?

Sed operæ pretium erit meminisse, quid sonet *Heroicum* illud, cujus amori ac desiderio pulcherrimum opus acceptum referimus. Nemo nescit. Heroum præcipuam laudem in bellica virtute fuisse positam; ita tamen pluribus temperata modis, ut ad similitudinem quandam accesserit majorum nostrorum, Mediique, quod vocant, Ævi. Erat etiam tum Argivis (nondum enim Hellenes, teste Thucydide[a],

[a] i. 3.

vocabantur) communis patriæ ac generis amor; sæpius quidem, quam par erat, dissidiis tribulium et longinquitate regionum interclusus. Erat optimatium insignis reverentia, cum religionibus haud obscure conjuncta: inesse enim aliquid divini quoque seminis patriciis suis vulgo tradebatur: *διοτρέφεας βασιλῆας* passim appellat noster, et tertio quartove gradu stirpes eorum de numine aliquo magna cum solicitudine derivat. Neque enim ulla gens erat, quæ diligentius singulis, non dico regionibus, sed hominibus quoque, suos assignaret tutores ac patronos, de cœlestium numero sumptos: eorum videlicet, qui *δαίμονες* vocabantur,

ἕσθλοι, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Quorum etiam in cœtum seipsum aliquando forte perventurum, primario cuique spes quædam obscura suberat.

His in memoriam revocatis (quæ quidem omnibus nota sunt) interroganda jam nobis ipsa erit Ilias, videndumque an ea ex omni parte vetustioribus illis adeo respondeat, ut ab ingenti eorum amore credibile sit eam potuisse nasci. Enimvero ad ejusmodi signa res redit, ubi quæstio fit de scriptoris animo, deficientibus ipsius vitæ annalibus. Diligenter excutienda cum operis universi tum singularum partium ratio: quærendum quid in materia deligenda, quid in personis constituendis, quid in sententiarum, quid in verborum delectu præ cæteris poeta respexerit. Id tantum sedulo cavendum, ne propriorum, ut fit, studio, solicite nimis, ne dicam putide, ad eandem omnia normam digeramus; ne ineptias quasdam nostras magnorum virorum luminibus offundamus. Ita tandem, ex ipso carmine deducta probabili saltem

sententiæ nostræ ratione, veniemus ad externa, si quæ proferri poterunt, Grammaticis testibus atque Historicis: quibus, ni fallor, credibile fiet, iis temporibus vixisse Homerum, quibus ad heroica illa contemplanda, non sine mœsto quodam desiderio, ultro vocabantur ingeniosi ac fervidi homines.

Verum universa quæstio major est, quam ut ad eam, hoc tempore, commode accedendum fore arbitrer. Nunc duo tantum verba liceat addere, illorum gratia, quibus forte mentes turbaverint doctorum quorundam virorum argutiæ, negantium omnino, Homerum, qualem nos dicimus, unquam extitisse: quas autem homines, octoginta jam ætates. Iliada et Odysseam nominant, oculatiores hi non uno consilio, non uno auctore prodiisse aiunt, sed carmina a pluribus sparsim edita, multos post annos in duo poemata convenisse, seu Lycurgo, sive Hipparcho jubente. Quod et multos crederem ægre laturos, et nobis certe molestissimum id fore sentio: nos scilicet operam et oleum perdere, Criticorum vero tantam vim in manifesta *σκιομαχίᾳ* teneri:

> *ἀμφὶ δ' ἄρ'* ΕΙ'ΔΩ'ΛΩι *Τρῶες καὶ δῖοι Ἀχαιοὶ*
> *ἔῤῥωον ἀλλήλων ἀμφὶ στήθεσσι βοείας*
> *ἀσπίδας εὐκύκλους, λαισήϊά τε πτερόεντα*[a].

Verum non est cur adeo metuamus, Academici. Remittendi sunt homines, in hujusmodi controversiis, ad simplices animorum suorum sensus. Provocandum, ut ita dicam, ad populum, missis paucorum nobilium commentis. Recordandum, qua quisque fuerit sententia, cum primum attentius Homerica perlegerit. Equidem si quid in his rebus video, nulla unquam in quæstione certius quidquam constitisse dixerim, quod quidem ab ipsius rei signis adjunc-

[a] Il. v. 451.

tisque colligendum foret, quam ista de Iliade; tum unam eam esse, tum ab uno profectam auctore.

Quod primum declarat ipsius partium admirabilis quædam junctura et series: de qua severissimus in eo genere censor, Συνέστηκεν, inquit, ὡς ἐνδέχεται ἄριστα, καὶ ὅτι μάλιστα μιᾶς πραξέως μίμησίς ἐστιν [a]. Ac nequeo satis mirari, quanam sibi quis ratione persuaserit, quod ab Aristotele et Horatio propositum sit omnibus. Ordinis Exemplar, illud ipsum carmen aut casu potuisse confici, aut Amphionis alicujus arte, dispersa quasi membra in unum cogentis.

Quinetiam toto opere, cum nihil fere non sit moratum, singulis actoribus sui mores cum præclara quadam æquabilitate servantur: ut quales in prima rhapsodia fuerint Achilles, Agamemnon, Nestor, cæterique, tales in extrema plane maneant. Id quod imitatoribus difficillimum fore, vel ex eo satis apparet, quod omnibus Poetis usu venit, quando famam sequi volunt, et sibi personas ex historia legere. Neminem invenies, qui non ultro communi exemplari suos induxerit colores. Non uno modo Electram Æschylus et Sophocles, non uno Medeam Euripides et Ovidius, expressere. Quo magis incredibile sit, imperfectæ, quam illi somniantur, Achillis imagini manum quenquam adhibuisse, eo artificio, ut nulli commissura pelluceat; ut omnia penitus et sibi, et divini hominis splendidissimo commento, constare et respondere videantur. Accedit quod Achillem, dedita opera, ad ultima illa reservari videmus: quæ qui Homero abjudicavit, is, credo, haud absimili ratione, non vernum tempus, (ut ille apud Thucydidem,) sed

[a] Arist. Poet. c. xlvii.

quasi autumnum anno putasset eximendum; cujus quidem gratia reliquæ partes pararentur.

Genus autem dicendi quod attinet, paucissima sunt, quæ Homerum non sapiunt: neque ea crebrius extremis in libris (quoniam de iis addubitari solet) quam in cæteris, usurpata legimus. Intexuerint aliquando sua recentiores; nulla tamen adhuc ratione convincuntur, summam divini carminis corrupisse, integro aliquo membro adjecto.

Neque vero id valde moror, quod nonnemini fortasse in mentem veniet: multos his quoque sæculis prodiisse, qui versus satis canoros ad Homericam normam potuerint componere. Quod ut concesserim, rhythmo tenus et sono, vellem tamen meminerint homines, seriori ista ætati congruere, non Pisistratis et Lycurgis: quorum temporibus ne scripta quidem, nisi perpauca, extitisse credendum; quibus imitatores scilicet assuescerent.

"At enim, Iliade jam ad finem properante, mira quædam vis verborum occurrit, quibus antea nunquam usus erat scriptor." Quasi vero res prius inauditæ, quibus referti sunt isti libri, inaudita non desiderent verba.

Quod autem negant ad rem pertinere quæ adduntur, Hectore occiso; duobus enim libris nihil narrari, præter ejus et Patrocli exsequias: ea, si potero, fusius aliquando exponam. Nunc moneo, Homerum, siquidem de consilio ejus et indole nos non male conjecturam fecimus, debuisse omnino serio affectu prosequi luctus et funera Heroum.

Denique, si me audietis, Academici, minime omnium vos movebit horum qui nunc sunt acutulorum hominum arcessita sane et nimium callida ratio: quibus in ore semper est illud, Sæculi, non

Scriptoris, esse omnia; fatali quodam orbe actos prodire ingenii quoque fructus et literarum: itaque, cum Homero vivendum fuerit asperos inter incomptosque viros, potuisse eum aiunt rhapsodias sigillatim exsequi, Iliadem ex iis non potuisse componere. Quæ quidem ejusmodi sunt, ut ea qui semel verbis enunciarit, is omnino refutasse videatur. Itaque, defessis præsertim auribus, non hic rationes ingeram: modo erant adolescentes admonendi, ne facilem nimis assensum præberent adeo nihil ingeniose agentibus: neve Sæculo tantum tribuerent, neque in libris, neque in republica, neque in moribus et vita communi, ut non longe plura ac majora ingenio cujusque, virtuti, industriæ, liberrime crederent a Numine Benigno permitti.

Ad summam, Homerum, qualem nobis initio tradidit erudita antiquitas, læti ac lubentes accipiamus: Pisistrato sua laus sit, aut quisquis ille tandem fuerit, qui disjecta Poetæ membra conquirenda curaverit et in unum cogenda: ita tamen, ut non casu, sed consilio pene divino auctoris, Totum illud coiisse existimemus.

Proximum est, ut ejus consilii summa quæ sit diligentius exponamus, argumentis ab ipso carmine allatis.

PRÆLECTIO SEPTIMA.

Expenditur primo universæ Iliadis argumentum, deinde ipsius Achillis persona. Utrinque efficitur, Homerum ad scribendum impelli potuisse rerum Heroicarum desiderio.

DISPUTATIO nostra de Iliade duas fere complectetur partes: Alteram, eamque longe potiorem, ductam ab ipsius Poematis serie; quæ videlicet, attente legenti, nusquam non erit indicio, Poetam omnia eodem plane animo, quo veteres Heroas, contemplari esse solitum: Alteram, scripsisse Homerum eo temporis puncto, quo maxime potuerit ad vivum penetrasse heroicum illud πάθος, et sæculi jam labentis desiderium. Ex quibus efficietur, probabili certe ratione, Homerum ideo ad scribendum accessisse, ut inquieto, quo flagrabat, priorum temporum hominumque amori aliqua ex parte posset mederi.

Jam ante omnia spectemus oportet universum ipsius Iliadis argumentum. Videndum an id ejusmodi sit, quod votis respondeat fervidi hominis, oculo in res heroicas unice defixo et intento.

Quo in loco illud primum occurrit, vix illos assequi mentem Homeri, qui summam præclari

operis ira tantum Achillis definiunt; illud scilicet, Μῆνιν ἄειδε, θεά, religiose nimis ad literam captantes. Verius multo, ni fallor, dixerint, id sibi proposuisse auctorem, ut Trojam caneret ab Achivis devictam. Neque aliter sensisse videtur Horatius, cum Homerum appellet "Trojani belli scriptorem:" laudetque, quod non "gemino ab ovo" carminis sui repetat exordia. Etiam "promissori" cuidam opponit, cujus fuerant grandia illa,

Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.

Istis laudibus non erat locus, nisi Critico bene perspectum esset, res æque magnas ab utroque Poeta comprehendi. Idem Horatius alio in loco, duobus fere verbis, universam explicat Iliada:

. . . . ademptus Hector
Tradidit fessis leviora tolli
Pergama Graiis.

Totius quidem belli fortunas agi, cum de Hectoris capite agitur, palam sæpius ab ipso indicatur Homero:

οἷος γάρ σφιν ἔρυτο πύλας καὶ τείχεα μάκρα[a].

Atque in ea re vertitur omnis illa Priami deprecatio, ab ultimo jam duello filium frustra revocantis:

ἀλλ' εἰσέρχεο τεῖχος, ἐμὸν τέκος, ὄφρα σαώσῃς
Τρῶας καὶ Τρωάς, μηδὲ μέγα κῦδος ὀρέξῃς
Πηλείδῃ, αὐτὸς δὲ φίλης αἰῶνος ἀμερθῇς·
πρὸς δ', ἐμὲ τὸν δύστηνον ἔτι φρονέοντ' ἐλέησον,
δύσμορον, ὅν ῥα πατὴρ Κρονίδης ἐπὶ γήραος οὐδῷ
αἴσῃ ἐν ἀργαλέῃ φθίσει, κακὰ πολλ' ἐπιδόντα[b].

Videtis plane, spem omnem fortunamque Trojani nominis in unius vita et victoria poni: qui nimirum non armis modo, verum etiam pietate ac religionibus patriæ mœnia Laresque tueatur: atque adeo sæpissime audiat, Διὶ φίλος.

[a] Il. xxii. 507. [b] xxii. 56.

Igitur postquam is, annos jam novem, ingruentibus Achivis solus pæne restiterat, tradebatur, credo, Historicorum quoque annalibus, talis aliquis rerum ordo, qualem nobis exponit Poeta: in eo fuisse res Trojanas, ut nemo jam amplius, ne Hector quidem ipse, aperto in campo signa conferre auderet. Expressis verbis gloriatur Achilles;

> ὅφρα δ' ἐγὼ μετ' Ἀχαιοῖσιν πολέμιζον,
> οὐκ ἐθέλεσκε μάχην ἀπὸ τείχεος ὀρνύμεν Ἕκτωρ,
> ἀλλ' ὅσον ἐς Σκαιάς τε πύλας καὶ φηγὸν ἵκανεν[a].

Factum itaque Numinis consilio, quo nihil non studiose refert Noster, ut capitalis illa Ira Agamemnona inter et Achillem intercederet. Itaque vacante Achillis loco, rursus prœlia tentare Trojani, animisque adeo confirmari, re semel atque iterum feliciter gesta, ut ne redeuntis quidem impetum, velut antea, detrectarent: sic demum perdidere omnia, Asiaque potentior evasit Græcorum gens.

Hæc est Iliadis summa, annalium ritu, jejune ac simpliciter enarrata: quam Grammatici, frigide nimis, placato Achille terminari aiunt: quæ quidem materies carmini Panegyrico, qualia sunt Pindari, bene forsan conveniret; non erat per se tanta, ut spatia Homerica implere posse videretur. Itaque et Iliada nominari suum voluit carmen, non, ut Statius, Achilleida quandam: et ad universam Argivorum nationem, non ad Phthiotas solos, aut Myrmidonum filios pertinere. Immo vero ad omnes gentes: hæc enim prima erat, quæ Græcos generatim cum Barbaris committeret, causa. Πρὸ γὰρ τῶν Τρωϊκῶν οὐδὲν φαίνεται πρότερον κοινῇ ἐργασαμένη ἡ Ἑλλάς[b]. Neque inter veterum monumenta exta-

[a] Il. ix. 353.

[b] Thucyd. i. 3.

bat, quod unum magis late jam sparsas Græciæ familias tum inter se conciliare posset, tum ex adverso Asiaticis opponere.

Quare pro rato nobis maneat, morte Hectoris, certoque Trojæ excidio, contineri summum caput Iliadis: Iram Achillis verius dici Nodum Fabulæ, (quem vocat Aristoteles), quam totius poematis argumentum. Per eam nempe diu stetisse perhibetur, ne Danai superiores evaderent: ea primum, accensa, locum dedit pugnæ, ea deinde, placata, certissimam victoriam attulit.

Habetis, Academici, carminis universi materiem, magnificam cumprimis, vereque Epicam, et quidem ex eo bello petitam, quo in gerendo conjunctissimæ fuerunt, et extremo quasi nisu elatæ, hinc Græciæ illinc Asiæ vires. Itaque plane *καθ' εὐχὴν* contigit, ut tanquam sub uno conspectu poneretur quicquid utrinque venerabile esset ac magnum, quicquid heroica virtute famaque percelleret maxime ac pertentaret animos.

Præterea, de universo bello ea videtis deligi tempora, quæ et bellicis rebus intentum (quod primum statuimus heroicæ indolis indicium) præ cæteris commovere possint, et gloriam tum Graiorum, tum præcipue Achillis sui (*ἡρωικωτάτου* scilicet omnium) in clarissima luce ponant. Quod enim ait Aristoteles, jucundius esse *τὸ ἀθροωτέρον*, omnia nimirum conferta ac densa vividius quodammodo ferire animum; id in argumento Iliadis, sicubi alias, animadverti potest. Certamina diu lateque dispersa, omnibus circum littoribus et insulis, angusto jam spatio incluserat fortuna belli, et in brevissimum tempus compulerat. Quibus rebus mirifice juvatur

ἐναργεία illa simplex, et vivida vis animi, præterita revocantis, et huc illuc, quo velit Poeta, sese transferentis. Exempli gratia: languet prorsus, si cum Iliade comparatur, militia Æneæ, Virgilio narrante: vel quia plurimis diffusa mensibus, vel quia sit longinquis divisa regionibus, multisque et variis negotiis implicita, non ita rapide ad unum quasi punctum vergentibus. Quæ licet mira arte sint contexta, fieri tamen vix potuit, quin aliqua ex parte vagaretur animus, et segnius multo festinaret ad eventum. Verbo dicam, Virgilius in belli universi fortunis, re sane multiplici, detinet animos: Iliadem qui legit, unius prœlii videtur sibi vices spectare, et veluti Thucydideus ille exercitus, *δι' ὀλίγου οὔσης τῆς θεᾶς . . ἀεὶ παρ' ὄλιγον ἢ διαφεύγειν ἢ ἀπόλλυσθαι.*

Neque vero quidquam obstiterunt temporis et locorum angustiæ, quominus omni genere prœliandi, omni officio militum ac ducum pro tempore suos exerceret Poeta. Maxime quidem semper delectatur justa illa ac stabili pugna: quam equidem dixerim ad fastidium usque repeti, si modo aliquid apud Homerum possit unquam fastidio adhærescere. Verum et locus datur componendis paribus nobilium bellatorum, nunc forte occurrentium, nunc pacto fœdere; et celebris illa *τειχομαχία* instruitur; et nocte egressi Diomedes et Ulysses castra Trojanorum insidiis tentant: et quod unum est instar omnium, non ingenio et arte variari, sed ab ipso eventorum ordine proficisci videtur, quicquid agunt.

Vidit nimirum, quo erat consilio, Poeta, si istos sibi constituat terminos, optime et patriæ consultum iri laudibus, et ejus viri, quem sibi designaverat unicum heroicæ indolis exemplar. Neque vero Asiaticos moleste laturos, cum et Hectori suo tam

præclara tribui cernerent, et ipsam non sine potentia quadam fatali, tantaque mole divinarum quoque virium, tandem potuisse Trojam everti. Mirabili plane solertia fecit, ut semper staret a causa Achivorum suorum, neque ulla tamen ex parte parcum se præstaret et infrequentem in laudanda virtute hostium: id quod ingenio vere heroico optime convenire nemo negaverit. Nota sunt omnibus exordia primi prœlii:

> . . . ἐπασσύτεραι Δαναῶν κίνυντο φάλαγγες
> νωλεμέως πολεμόνδε (κέλευε δὲ οἷσιν ἕκαστος
> ἡγεμόνων· οἱ δ' ἄλλοι ἀκὴν ἴσαν, οὐδέ κε φαίης
> τόσσον λαὸν ἕπεσθαι, ἔχοντ' ἐν στήθεσιν αὐδὴν)·
> σιγῇ δειδιότες σημάντορας· . . . . . .
> . . Τρώων δ' ἀλαλητὸς ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν ὀρώρει·
> οὐ γὰρ πάντων ἦεν ὁμὸς θρόος, οὐδ' ἴα γῆρυς,
> ἀλλὰ γλῶσσα μέμικτο, πολύκλητοι δ' ἔσαν ἄνδρες.
> ὤρσε δὲ τοὺς μὲν Ἄρης, τοὺς δὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη [a].

Ita suis primas tribuit, ut non tam virtute, quam forte quadam, inferiores evasisse dicat Trojanos.

Quid, quod, Diis discedentibus, victoriam semper adipiscuntur Argivi?

> Τρώων δ' οἰώθη καὶ Ἀχαιῶν φύλοπις αἰνή . . .
> ἔνθα κεν αὖτε Τρῶες Ἀρηιφίλων ὑπ' Ἀχαιῶν
> Ἴλιον εἰσανέβησαν, ἀναλκείῃσι δάμεντες [b],

ni, Heleni consilio, abierit Hector, votis Minervam placaturus. Postero die Diomedes, nullo numinum auxilio, solus renovabat inclinatum prœlium:

> ἔνθά κε λοιγὸς ἔην καὶ ἀμήχανα ἔργα γένοντο,
> καὶ νύ κε σήκασθεν κατὰ Ἴλιον, ἠΰτε ἄρνες,
> εἰ μὴ ἄρ' ὀξὺ νόησε Πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε [c].

Porro, quibus in locis præcipue commoveri solent lectorum animi, ut Trojanis bene precentur, iis ipsis Poeta, haud temere, credo, injecit mentionem Paridis atque Helenæ. Dulcissimam videlicet illam

[a] Il. iv. 427. [b] vi. 1, 73. [c] viii. 130.

Hectoris cum uxore sua ὀαρίστυν, nonne dedita opera antecedit fratris illius δυσπάριδος objurgatio?

> λαοὶ μὲν φθινύθουσι περὶ πτόλιν αἰπύ τε τεῖχος,
> μαρναμένοι· σέο δ' εἵνεκ' ἀϋτή τε πτόλεμός τε
> ἄστυ τόδ' ἀμφιδέδηε[a] . . . . . .

Nonne jam moribundus Hector, expressis verbis, temerarii belli ac violati juris culpam in se suosque suscipit Trojanos?

> εἰ δέ κεν ἀσπίδα μὲν καταθείομαι ὀμφαλόεσσαν,
> καὶ κόρυθα βριαρὴν, δόρυ δὲ πρὸς τεῖχος ἐρείσας,
> αὐτὸς ἴων Ἀχιλῆος ἀμύμονος ἀντίος ἔλθῳ,
> καὶ οἱ ὑπόσχωμαι Ἑλένην καὶ κτήματ' ἅμ' αὐτῇ
> πάντα μάλ', ὅσσα τ' Ἀλέξανδρος κοίλῃς ἐνὶ νηυσὶν
> ἠγάγετο Τροίηνδ', ἥ τ' ἔπλετο νείκεος ἀρχὴ,
> δώσεμεν Ἀτρείδῃσιν ἄγειν[b]· . . . . .

Ut jure quodam plecti videatur, qui se addixerit nefariæ causæ, pietate licet meritisque gravissimus.

Hæc pauca de multis protuli, quibus Homerum id egisse dixerim, ut bene vellent homines Achivis, tum cum maxime Hectori faverent. Quibus omnino consentaneum videtur, eum, in summa quoque carminis condenda, totius Graiorum gentis, velut patriæ suæ, habuisse rationem: et de temporibus Iliacis ea sibi potissimum legisse, quæ magna ex parte acta sunt absente Achille; præsens enim ille, præstantia sua cæterorum virtutem plane obscuraverat.

Sed properandum jam nobis ad ipsius Achillis ἦθος: quod et per se significationem habet longe clarissimam Homericæ indolis, et cum fabula totius Iliadis ita convenit et quasi commiscetur, ut hanc separatim ab illo tractare non valde sit in promptu. Igitur (quod pace elegantissimi Critici dixerim)

[a] Il. vi. 327. [b] xxii. 111.

non nimis acute vidit. me judice. Horatius, cum decantata illa scripsit,

> Honoratum si forte reponis Achillem,
> Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
> Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

Ea glorioso cuidam militi, de castris Prætorianis aut Neronis, aut ipsius (si placet) Octavii, melius ac verius convenirent, quam *ἀμύμονι Πηλείωνι*.

Quin attendite, quæso, paulisper, Academici, dum pauca quædam ordine recensemus, quibus ab immani ista feritate Achillem suum vindicavit Poeta. Non enim bellicis solum virtutibus ultra humanum modum ornavit, sed et pluribus aliis de causis commendari eum voluit animis hominum, carumque haberi ac pæne sacrosanctum.

Ac primum, quantum illud, quam grave, quam penitus affectu dulcissimo imbutum, quod sponte sua morti addictum ad Ilium venisse narrat! Nam licet identidem sua quoque fata revocare videatur ad *Μοῖραν* illam, durissimam humanæ sortis Imperatricem, est tamen ubi docet, disertis verbis, ipsius voluntati et consilio a Superis fuisse permissum, ut mortis ipse suæ eligeret et genus et tempestatem:

> *μήτηρ γάρ τέ με φησὶ θεὰ, Θέτις ἀργυρόπεζα,*
> *διχθαδίας Κῆρας φερέμεν θανάτοιο τέλοσδε.*
> *εἰ μέν κ' αὖθι μένων Τρώων πόλιν ἀμφιμάχωμαι,*
> *ὤλετο μέν μοι νόστος, ἀτὰρ κλέος ἄφθιτον ἔσται·*
> *εἰ δέ κεν οἴκαδ' ἵκωμι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,*
> *ὤλετό μοι κλέος ἐσθλόν, ἐπὶ δηρὸν δέ μοι αἰὼν*
> *ἔσσεται, οὐδέ κέ μ' ὦκα τέλος θανάτοιο κιχείη*[a].

Nescio quomodo per totum ejus *ἦθος* pervadere mihi videtur ac perfundi certa illa mortis expectatio, brevissimo tempore post Hectora occisum subeundæ:

> *ὠκύμορος δή μοι, τέκος, ἔσσεαι, οἷ' ἀγορεύεις·*
> *αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' Ἕκτορα πότμος ἑτοῖμος*[b].

[a] Il. ix. 410. [b] xviii. 95.

Itaque non cæco impetu, velut unus de vulgo bellantium, in cædes atque in vulnera ruit; neque inter spem metumque fluctuat, illorum more, qui alea ludunt: qui quidem ob ipsum illud unum, Dubitare, præ se ferunt fortitudinis quasi similitudinem. Sed Achilli præsaga mens est omnium, adeo tamen immota atque fixa, ut mortem non voluntariam arcessere, sed fatalem subire crederes: neque is fortissimi modo bellatoris, verum etiam (absit dicto invidia) deditæ ac devotæ victimæ imaginem gerit haud obscuram.

Ac videte, quam ea res unice valeat in animis lectorum conciliandis. Etenim aliquantum erat periculi, ne in Achillis persona tardius paullo commoverentur affectus: tum quod is fortitudine et viribus mortalium modum adeo superat, ut letho vulneribusque vix videatur obnoxius: tum quod, indomita ejus ira, tota fere Iliade peccatur. Utrinque optimo consilio opposuit Homerus illam, quam dicimus, mortis propinquæ ac prævisæ mentionem. Ipsis certe initiis infaustæ iræ,

> ὀακρύσας, ἑτάρων ἄφαρ ἕζετο νόσφι λιασθείς,
> θῖν' ἔφ' ἁλὸς πολιῆς, ὁρόων ἐπὶ οἴνοπα πόντον.
> πολλὰ δὲ μητρὶ φίλῃ ἠρήσατο, χεῖρας ὀρεγνύς·
> μῆτερ, ἐπεί μ' ἔτεκές γε μινυνθάδιόν περ ἐόντα,
> τιμήν πέρ μοι ὄφελλεν Ὀλύμπιος ἐγγυαλίξαι[a].

Tum quæ Thetidi vicissim tribuuntur:

> ὤ μοι, τέκνον ἔμον, τί νύ σ' ἔτρεφον, αἰνὰ τεκοῦσα;
> αἴθ' ὄφελες παρὰ νηυσὶν ἀδάκρυτος καὶ ἀπήμων
> ἧσθαι· ἐπεὶ νύ τοι αἶσα μινυνθά περ, οὔτι μάλα δήν·
> νῦν δ' ἅμα τ' ὠκύμορος καὶ ὀϊζυρὸς περὶ πάντων
> ἔπλεο[b].

Quid? ea, quæ modo audistis, de duplici Fatorum ordine, certoque ejus letho, ni ab Ilio discedat, nonne præclare eo tempore inducuntur, quo is maxime

[a] Il. i. 349. [b] i. 414.

immitem se ostendit et odiosum, negata Agamemnoni resipiscenti venia? Quid, quod acerbis, quibus Hectora insequitur, minis, luctuosa illa præire voluit?

> αἴθ' ὄφελες σὺ μὲν αὖθι μετ' ἀθανάτῃς ἁλίῃσι
> ναίειν, Πηλεὺς δὲ θνητὴν ἀγαγέσθαι ἄκοιτιν.
> νῦν δ', ἵνα καὶ σοὶ πένθος ἐνὶ φρεσὶ μυρίον εἴῃ,
> παιδὸς ἀποφθιμένοιο· τὸν οὐχ ὑποδέξεαι αὖτις
> οἶκαδε νοστήσαντ'· ἐπεὶ οὐδ' ἐμὲ θυμὸς ἀνώγει
> ζώειν, οὐδ' ἄνδρεσσι μετέμμεναι, αἴ κε μὴ Ἕκτωρ
> πρῶτος ἐμῷ ὑπὸ δουρὶ τυπεὶς ἀπὸ θυμὸν ὀλέσσῃ,
> Πατρόκλοιο δ' ἕλωρα Μενοιτιάδεω ἀποτίσῃ [a].

Et paulo post,

> νῦν δ' εἶμ', ὄφρα φίλης κεφαλῆς ὀλετῆρα κιχείω
> Ἕκτορα· κῆρα δ' ἐγὼ τότε δέξομαι, ὁππότε κεν δὴ
> Ζεὺς ἐθέλῃ τελέσαι, ἠδ' ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι . . . .
> κείσομ', ἐπεί κε θάνω· νῦν δὲ κλέος ἐσθλὸν ἀροίμην,
> καί τινα Τρωϊάδων καὶ Δαρδανίδων βαθυκόλπων
> ἀμφοτέρῃσιν χερσὶ παρειάων ἁπαλάων
> δάκρυ' ὀμορξαμένην, ἀδινὸν στοναχῆσαι ἐφείην·
> γνοίεν δ', ὡς δὴ δηρὸν ἐγὼ πολέμοιο πέπαυμαι [b].

Quin et crudelissima illa, maximeque ab Heroica virtute aliena, Lycaona supplicem trucidari et conculcari, male et indigne mulcari Hectoris cadaver, mitigantur tamen aliquantulum, ni fallor, Achillis etiam morientis imagine interposita:

> ἀλλὰ, φίλος, θάνε καὶ σύ· τίη ὀλοφύρεαι οὕτως;
> κάτθανε καὶ Πάτροκλος, ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων.
> οὐχ ὁράας, οἷος κἀγώ, καλός τε, μέγας τε;
> πατρὸς δ' εἶμ' ἀγάθοιο, θεὰ δέ με γείνατο μήτηρ·
> ἀλλ' ἐπί τοι καὶ ἐμοὶ θάνατος καὶ Μοῖρα κραταιὴ
> ἔσσεται, ἢ ἠὼς, ἢ δείλης, ἢ μέσον ἦμαρ,
> ὁππότε τις καὶ ἐμεῖο Ἄρει ἐκ θυμὸν ἕληται,
> ἢ ὅγε δουρὶ βαλὼν, ἢ ἀπὸ νευρῆφιν ὀϊστῷ [c].

Apertius Hector, ipso mortis articulo, nominum quoque mentione adjecta: qui mos est vaticinantium, rebus ad exitum properantibus:

> φράζεο νῦν, μὴ τοί τι θεῶν μήνιμα γένωμαι,
> ἤματι τῷ, ὁτέ κέν σε Πάρις καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων,
> ἐσθλὸν ἔοντ', ὀλέσωσιν ἐνὶ Σκαιῇσι πύλῃσι [d].

[a] Il. xviii. 86. [b] xviii. 114. [c] xxi. 106. [d] xxii. 358.

Veniamus ad ea, quæ per se spectata videantur esse nimis excelsa, neque ad comparandam hominum, quam vocant, *συμπάθειαν*, satis idonea. Qualia sunt illa de Vulcaniis armis, semel atque iterum Achilli datis: *ἄμβροτα τεύχεα* vocantur

> Πηλείδεω Ἀχιλῆος, ἃ οἱ θεοὶ Οὐρανίωνες
> πατρὶ φίλῳ ἔπορον· ὁ δ' ἄρα ᾧ παιδὶ ὄπασσεν
> γηράς[a].

Grave hoc et magnificum, sed nullo cum affectu conjunctum. Quis enim non diceret, vix et ne vix quidem in ancipiti Marte versari, qui tali frueretur faventium Numinum auxilio? Eo magis excitat remissos, erigitque animos illud in fine versus additum,

> ——— ἀλλ' οὐχ υἱὸς ἐν ἔντεσι πατρὸς ἔγηρα.

Necopinato ferimur, et sentimus plane, rem nobis esse non cum Dæmone, sed cum homine, et *μιννθαδίῳ* quidem.

Quod idem dedita opera sæpius in mentem revocat nobis Poeta, ea parte operis, quæ Achillem, cum splendidissimo illo apparatu, instauratum quasi reducit in prælia. Audiamus Thetida, quo omine arma poscat filio:

> τὸν μὲν ἐγὼ θρέψασα, φυτὸν ὡς γουνῷ ἀλωῆς,
> νηυσὶν ἐπιπροέηκα κορωνίσιν Ἴλιον εἴσω
> Τρωσὶ μαχησόμενον· τὸν δ' οὐχ ὑποδέξομαι αὖτις,
> οἴκαδε νοστήσαντα, δόμον Πηληίον εἴσω[b].

Audiamus ab altera parte Vulcanum:

> αἴ γάρ μιν θανάτοιο δυσήχεος ὧδε δυναίμην
> νόσφιν ἀποκρύψαι, ὅτε μιν μόρος αἶνος ἱκάνοι,
> ὡς οἱ τεύχεα κάλα παρέσσεται[c].

Ipse tandem, cœlestia indutus arma, curru et equis immortalibus vectus, Diis hominibusque nihil

[a] Il. xvii. 195. [b] xviii. 438. [c] Ibid. 464.

usquam simile aut secundum judicantibus, prodit in certissimam victoriam Achilles.

πειρήθη δ' ἕο αὐτοῦ ἐν ἔντεσι δῖος Ἀχίλλευς,
εἰ οἱ ἐφαρμόσσειε, καὶ ἐντρέχοι ἄγλαα γυῖα·
τῷ δ' αὖτε πτερὰ γίγνετ', ἄειρε δὲ ποιμένα λαῶν.
ἐκ δ' ἄρα σύριγγος πατρώιον ἐσπάσατ' ἔγχος,
βριθύ, μεγά, στιβαρόν· τὸ μὲν οὐ δύνατ' ἄλλος Ἀχαιῶν
πάλλειν, ἀλλά μιν οἷος ἐπίστατο πῆλαι Ἀχίλλευς,
Πηλιάδα μελίην, τὴν πατρὶ φίλῳ πόρε Χείρων
Πηλίου ἐκ κορυφῆς, φόνον ἔμμεναι ἡρώεσσιν.
. . . κορυσσάμενος βῆ Ἀχίλλευς,
τεύχεσι παμφαίνων, ὥστ' ἠλέκτωρ Ὑπερίων,
σμερδαλέον δ' ἵπποισιν ἐκέκλετο πατρὸς ἑοῖο[a].

Excelsiora pæne sunt hæc, quam pro affectu captuque hominum. Erat itaque verendum, ne Achillis personam, tanquam *θεοῦ ἀπὸ μηχάνης*, languidius forsan intueretur mens, nullo metu, nulla dubitatione suspensa. Sed istis statim mirifice occurritur:

τὸν δ' ἄρ' ὑπὸ ζυγόφι προσέφη πόδας ἀΐολος ἵππος,
Ξάνθος, ἄφαρ δ' ἤμυσε καρήατι, πᾶσα δὲ χαίτη,
ζεύγλης ἐξεριποῦσα παρὰ ζυγὸν, οὖδας ἵκανεν·
αὐδήεντα δ' ἔθηκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη·
καὶ λίην σ' ἔτι νῦν γε σαώσομεν, ὄβριμ' Ἀχιλλεῦ,
ἀλλά τοι ἔγγυθεν ἦμαρ ὀλέθριον· οὐδέ τοι ἡμεῖς
αἴτιοι, ἀλλὰ θεός τε μέγας καὶ Μοῖρα κραταίη.
νῶι δὲ καί κεν ἅμα πνοιῇ Ζεφύροιο θέοιμεν,
ἥπερ ἐλαφροτάτην φάσ' ἔμμεναι· ἀλλά σοι αὐτῷ
μορσιμόν ἐστι, θεῷ τε καὶ ἀνέρι ἶφι δαμῆναι.
ὡς ἄρα φωνήσαντος Ἐρίννυες ἔσχεθον αὐδήν·
τὸν δὲ μέγ' ὀχθήσας προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχίλλευς·
Ξάνθε, τί μοι θάνατον μαντεύεαι; οὐδέ τί σε χρή.
εὖ νύ τοι οἶδα καὶ αὐτός, ὅ μοι μόρος ἔνθαδ' ὄλεσθαι,
νόσφι φίλου πατρὸς καὶ μήτερος· ἀλλὰ καὶ ἔμπης
οὐ λήξω, πρὶν Τρῶας ἄδην ἐλάσαι πολέμοιο.
ἦ ρα, καὶ ἐν πρωτοῖς ἴαχων ἔχε μώνυχας ἵππους.

Hæc fusius paullo recitare, quam fert hujus loci consuetudo, non sum equidem veritus, Academici, cum probe intelligerem, non alia re clarius illustrari posse tum Achillis tum ipsius Homeri indolem.

[a] Il. xix. 384.

Nam primum, id quod satis jam, ut videtur, expositum habetis, mitigatur quodammodo. his interpositis. acer ille fulgor fortitudinis plusquam humanæ. Mulcemur nescio qua dulcedine, cum apud illum etiam invictum, immitem, inexorabilem,

Sunt lacrymæ rerum, et mentem mortalia tangunt.

Deinde aliud hic animadvertere licet, quo uno maxime solet emolliri ardentium nimis ingeniorum ferocia: cum quis pio gratoque animo parentum suorum servat memoriam. Quod eo magis in Achille notandum, quo non illum, velut Hectora, conjugis amore captum fingit Poeta: voluit tamen pollere vi animi vivida illa et inquieta, et cogitationibus in longinqua ferri: quæ ferme amantium habetur indoles. Sed illam Homerus in Achille suo partim ad res bellicas convertit, partim ad ingentem et inexplebilem patris, Patrocli, domus paternæ amorem. Itaque hoc ipso in loco illud fore omnium acerbissimum indicat, quod moriendum sibi erat *νόσφι φίλου πατρὸς καὶ μήτερος* ; ast Hectori, male aliquando (ut fit) ominanti, statim ante oculos versantur *ἄστυ τε, καὶ Τρώων ἄλοχοι, καὶ νηπία τέκνα* [a].

Immo et luctus ille super Patroclo cum patris et patriæ desiderio dulcissime conjungitur.

. . . οὐ μὲν γάρ τι κακώτερον ἄλλο πάθοιμι·
οὐδ' εἴ κεν τοῦ πατρὸς ἀποφθιμένοιο πυθοίμην,
ὅς που νῦν Φθίηφι τέρεν κατὰ δάκρυον εἴβει
χήτει τοιοῦδ' υἷος· ὁ δ' ἀλλοδαπῷ ἐνὶ δήμῳ
εἵνεκα ῥιγεδανῆς Ἑλένης Τρωσὶν πολεμίζω [b].

Interjecta deinde mentione filii, ad patrem rursus convertitur oratio:

ἤδη γὰρ Πηλῆά γ' οἴομαι ἢ κατὰ πάμπαν
τεθνάμεν, ἤ που τυτθὸν ἔτι ζώοντ' ἀκάχησθαι,
γήραϊ τε στυγερῷ, καὶ ἐμὴν ποτιδέγμενον αἰεὶ
λυγρὴν ἀγγελίην, ὅτ' ἀποφθιμένοιο πύθηται.

[a] Il. vi. 276. [b] xix. 321.

Denique non Priami precibus, sed patris memoriæ, condonat implacabiles etiam, quos in Hectora conceperat, furores.

Neque vero non magnam habet lenioris cujusdam affectus significationem amor ille plusquam fœmineus, quo ille Patroclum suum, vivum mortuumque, constantissime prosequitur. Sed quoniam is amor jamdudum abiit in proverbium, ejus exemplis supersedendum duxi. Unum modo consideretis velim, (quod salva fiat divinarum rerum reverentia,) rectene possit in hanc rem trahi perfectissimum illud amicitiæ exemplar, quod in Davide et Jonathano præstat nobis Historia Sacrosancta. Mihi quidem, fateor, cum de rebus heroicis fit quæstio, semper fere solet venire in mentem Davidis: qui dum vixit, oculis pene cernebant homines formam ipsam ac faciem heroicæ virtutis. Quacunque igitur ex parte videmus cum illo vero ac vivo convenire ea, quibus fabulosos ornant Poetæ; ibi intelligendum, rem illis bene cessisse. Nusquam autem melius conveniunt, quam ex ea parte, quam modo dicebamus. Nempe, ut germano Heroi Jonathanus, ita commentitio Patroclus comes additur, acerrimis mitissimi et suavissimi.

> *νῦν τις ἐνηείης Πατροκλῆος δειλοῖο*
> *μνησάσθω· πᾶσιν γὰρ ἐπίστατο μείλιχος εἶναι*[a].

Docet autem communis vita, firmissimas evadere amicitias eorum, qui ita similes habeant voluntates, ut hic remissius et lenius, ille cum magna contentione, eadem ambo sectari ac diligere soleant.

Jam quod credibile est, amico mortuo, Davidi præcipue luctum accendisse, id Achilli quoque contigisse aut finxit Poeta aut fando audiverat: ipsos quodammodo in causa fuisse, inscios licet, cur

[a] Il. xvii. 670.

amici perirent. Quod quanquam neutrius verbis sit expressum, intelligi tamen debet: neque parum valet ad mentem utriusque assequendam. Utcunque erit, mitigabitur certe atrocitas illa Achilleæ indolis, si modo semel ea digna videbitur, quæ in comparationem Sanctissimi Regis veniat.

Sed hæc hactenus. Altera erat heroicæ indolis pars, ut Græcis suis sedulo primas tribuerent, virtuti autem bellicæ, hostium quoque, nullo modo suas negarent laudes. Quod ab Homero ipso per universam Iliada servatum, Achilli cum primis conveniebat. Igitur ille princeps, exorsa peste, vocat in concilium optimates. Illius maternæ pæne vigiliæ ingratæ patriæ fiunt opprobrio:

> . . . ἐπεὶ οὐκ ἄρα τις χάρις ἦεν,
> μάρνασθαι δηΐοισι μετ' ἀνδράσι νωλεμὲς αἰεὶ . .
> . . οὐδέ τι μοὶ περίκειται, ἐπεὶ πάθον ἄλγεα θυμῷ,
> αἰεὶ ἐμὴν ψυχὴν παραβαλλόμενος πολεμίζειν.
> ὡς δ' ὄρνις ἀπτῆσι νεοσσοῖσι προφέρῃσι
> μάστακ', ἐπεί κε λάβῃσι, κακῶς δέ τε οἱ πέλει αὐτῇ·
> ὡς καὶ ἐγὼ πολλὰς μὲν ἀϋπνους νύκτας ἴανον,
> ἤματα δ' αἱματόεντα διέπρησσον πολεμίζων,
> ἀνδράσι μαρνάμενος, ὀάρων ἕνεκα σφετεράων[a].

Ille Patroclum, incensis jam navibus, ultro ad arma concitat, μηρὼ πληξάμενος:

> Ὄρσεο, Διογενὲς Πατρόκλεις, ἱπποκέλευθε·
> λεύσσω δὴ παρὰ νηυσὶ πυρὸς δηΐοιο ἰωήν·
> μὴ δὴ νῆας ἕλωσι, καὶ οὐκέτι φυκτὰ πέλωνται·
> δύσεο τεύχεα θᾶσσον, ἐγὼ δέ κε λαὸν ἀγείρω[b].

Hostibus autem non ultra modum insæviisse, prout erat usus illius temporis, locupletem testem habemus ipsum:

> πρὶν μὲν γὰρ Πάτροκλον ἐπισπεῖν αἴσιμον ἦμαρ,
> τόφρα δέ μοι πεφιδέσθαι ἐνὶ φρεσὶ φίλτερον ἦε
> Τρώων, καὶ πολλοὺς ζωοὺς ἕλον, ἠδὲ πέρασσα[c].

Sed in hac parte palmarium est, quod de nocturno

[a] Il. ix. 323. [b] xvi. 124. [c] xxi. 100.

ejus cum Priamo colloquio narratur: quo in loco semper videre mihi videor verissimum temporis heroici specimen.

> αὖτικ' ἀπὸ θρόνου ὦρτο, γέροντα δὲ χειρὸς ἀνίστη,
> οἰκτείρων πολιόν τε κάρη, πολιόν τε γένειον[a].

Et post paullo,

> ἀλλ' ἀγὲ δὴ καὶ νῶι μεδώμεθα, δῖε γεραιὲ,
> σίτου, ἐπειτά κεν αὖτε φίλον παῖδα κλαίοισθα,
> Ἴλιον εἰσαγάγων· πολυδάκρυτος δέ τοι ἔσται.—
> αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδήτυος ἐξ ἔρον ἕντο,
> ἦτοι Δαρδανίδης Πρίαμος θαύμαζ' Ἀχιλῆα,
> ὅσσος ἔην, οἷός τε· θεοῖσι γὰρ ἄντα ἐῴκει·
> αὐτὰρ Δαρδανίδην Πρίαμον θαύμαζεν Ἀχιλλεὺς,
> εἰσορόων ὄψιν τ' ἀγαθὴν, καὶ μύθον ἀκούων.

His omnino consentaneum erat, ut insigni quadam reverentia viros prosequeretur ætate provectos. Itaque Phœnica, quanquam Agamemnoni gratificantem, lautissimo hospitio, blandissimo sermone excipit. Nestora ludis assidentem verbis muneribusque ambitiose colit, ab eoque vicissim eas reportat grates, quibus maxime decuit generosum juvenem a gravissimo sene ornari.

> τοῦτο δ' ἐγὼ πρόφρων δέχομαι, χαίρει δέ μοι ἦτορ,
> ὥς μευ ἀεὶ μέμνησαι ἐνηέος, οὐδέ σε λήθω,
> τιμῆς ἧς τέ μ' ἔοικε τετιμῆσθαι μετ' Ἀχαιοῖς.
> σοὶ δὲ θεοὶ τῶνδ' ἀντὶ χάριν μενοεικέα δοῖεν[b].

Qui versus ipsam, ut mihi videtur, elegantioris humanitatis spirant animam.

Neque vero nos in meris argutiis putet aliquis inepte morari, si unum et alterum addamus de iis, quæ tanquam fortuito et aliud agendo declarant fortissimi viri *ἦθος*: sive Phthiam ille suam fideli memoria conservet, mœstus videlicet desiderio natalis soli, notorumque, quibus puer assuevit, locorum:

> . . . ἐπειὴ μάλα πολλὰ μεταξὺ
> Οὔρεά τε σκιόεντα, θάλασσά τε ἠχήεσσα[c] . . .

[a] Il. xxiv. 515. [b] xxiii. 647. [c] i. 156.

sive Musicæ et carminibus det operam, Patroclo auditore,

> . . . φρένα τερπόμενος φόρμιγγι λιγείῃ,
> καλῇ, δαιδαλίῃ, ἐπὶ δ' ἀργύρεον ζύγον ἦεν,
> τὴν ἄρετ' ἐξ ἐνάρων, πόλιν Ἠετίωνος ὀλέσσας·
> τῇ ἄρα θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν.
> Πάτροκλος δέ οἱ οἶος ἐναντίος ἧστο σιωπῇ,
> δέγμενος Αἰακίδην, ὅποτε λήξειεν ἀείδων [a]:—

sive præcones ab ipso Agamemnone missos ad rapiendam Briseida non illæsos modo dimittat, verum etiam verbis honorifice acceptos.

Hæc omnia unice illud cumulat, quod in toto poematis decursu diligentius inculcatur, Achillem fuisse Diis eximie carum: mirifice cum eo communes pati affectus quicquid est ubique divinæ potestatis. Lacrymatur ille solus in tentorio? commoventur statim Oceanides Nymphæ,

> ἦμεναι ἐν βένθεσσιν ἁλὸς παρὰ πατρὶ γέροντι [b].

Supplex ille Ventos invitat ad ossa amici comburenda? sentit Iris, nunciatque Ventorum Choro; illi cum magno apparatu properant, et quasi ministerium exsequuntur [c].

Liceat tandem exemplorum seriem claudere, dulcissima illa quasi nænia adjecta, quæ est in Patrocli funere: qua una se monstrat Heros vitæ prodigum; patriæ, parentis, amici memorem; adnumerandum hinc miseris mortalibus, illinc cœlestium liberis et alumnis: ut ex uno hoc loco totum ferme possis adumbrare Achillem.

> ἔνθ' αὖτ' ἀλλ' ἐνόησε ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεύς·
> στὰς ἀπάνευθε πυρῆς ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην,
> τήν ῥα Σπερχειῷ ποταμῷ τρέφε τηλεθόωσαν·
> ὀχθήσας δ' ἄρα εἶπεν, ἴδων ἐπὶ οἴνοπα πόντον;
> Σπερχεῖ', ἄλλως σοί γε πατὴρ ἠρήσατο Πηλεὺς
> κεῖσέ με νοστήσαντα φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,
> σοί τε κόμην κερέειν, ῥέξειν θ' ἱερὴν ἑκατόμβην, . . .

[a] Il. ix. 186. [b] i. 358. [c] xxiii. 198.

ἐς πηγὰς, ὅθι τοι τέμενος βωμός τε θυήεις.
ὣς ἠρᾶθ' ὁ γέρων, σὺ δέ οἱ νόον οὐκ ἐτέλεσσας.
νῦν δ' ἐπεὶ οὐ νέομαί γε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,
Πατρόκλῳ ἥρωϊ κόμην ὀπάσαιμι φέρεσθαι[a].

Videtisne, Achillem satis longo intervallo separari ab immani isto genere bellantium, qui nihil nisi mortem minasque spirant; proxime autem accedere ad eam, quam nos non ita pridem rudibus uteunque lineis effinximus, imaginem quasi et ἴδεαν Ætatis Heroicæ? Non hic deest neque militaris ardor, neque amor ille, paulo jactantior, patriæ et Achivorum stirpis, neque religio perquam familiaris, quæ Deos hominibus, singulos pæne singulis, tutores atque comites tribuat.

Statuimus itaque, non temere eum prodiisse, tanquam e rusticani officina gladiatoris nescio cujus effigiem; sed cum arte plusquam Phidiaca imaginem poni longe augustiorem, quam fuit illa commentitii Jovis; posterisque in æternum tradi vera et viva lineamenta heroicæ virtutis, qualem eam apud Græcos suos Homerus credidit, voluit quidem certe, vigere.

[a] Il. xxiii. 140.

PRÆLECTIO OCTAVA.

Disputatur iterum de Achillis persona, primum, quo consilio Homerus cuncta ad eam retulerit; deinde quibus quasi gradibus gloriæ ejus imposuerit cumulum. Quid in ea re valeant tum Patrocli, tum Hectoris exsequiæ. Componitur Achilles cum cæteris, qui in Iliade laudantur, bellatoribus.

ETSI nonnihil vereor, Academici, ne in uno forsan curriculo nimis diu versari videar, Homerica tamen, et quidem Achilleia, tertia jam vice proferenda judicavi. Etenim cum de universa Poetæ indole fiebat quæstio, nihil mihi antiquius videbatur, quam probe nosse illam personam, cui dedita opera primas ille detulit. Quare venia sit nobis, oro, iterum jam in scenam deducentibus Achillem, principem illum et quasi conditorem totius ubique nationis Heroum.

Quem quoniam, ut potui, vindicavi ab iniqua Horatii censura, tempus jam erit exponendi, quam præclare ejus gloriæ inserviat universus fere Iliadis decursus: rerum nexu, ordine causarum, omni respectu et serie partium. Deinde, conferamus cum aliis bellatoribus, quos suo quemque loco scriptor induxit, variatis, mira arte, moribus cujus-

que et ingenio, ita tamen compositis, ut magis magisque, comparatione facta, emineat et exstet Achilles. Quibus absolutis, ad alia transeundum erit, per quæ certissime declarari solent magnorum Poetarum studia et voluntates.

Igitur, ut ab ea parte incipiam, qua mihi semper visus est Homerus se quoque ipsum consilio superasse: nota jam res est pluribus exemplis, quantum valeat ad animos quo quis velit agendos, ut aliquamdiu suspensa teneatur expectatio, latente quodammodo, et quasi per transennam aspecto eo, cui totius Fabulæ primariæ partes assignentur. Hujus rei vim optime callebat elegantissimus ille nostratum, Spenserus: qui postquam apud se excogitasset Arturum, perfectum magnanimi herois exemplar, ita retulit ad eum omnia, ut ipsum tamen in scenam mitteret quam parcissime, longissimis intervallis. Nimirum, cum apud Arturum cuncta ferme sunt divina, tum illud quoque, Deorum maxime proprium, quod nunquam ille prodire soleat, nisi dignus vindice nodus inciderit. Unum hoc merito doleas; intervenire illum plerumque laborantibus, ipso vitæ ac mortis articulo, non rerum serie adductum, sed forte quadam fortuna. Quod aut festinantis erat calami, aut dormitantis, ut fit, ingenii: præsertim sicubi nimia facilitate (quæ erat Spenseri indoles) sat habuit sectari Ariostum, veteresque illos Italicæ Poeseos auctores. Omnes quippe Ovidium potius quam Homerum fabularum genere exprimunt: non magnopere scilicet de verisimilitudine, neque de rerum ratione laborantes, modo per portenta subitosque casus detinere valeant animos in præsens. Sed enim Spenserus ipse testatur, id sibi propositum fuisse, ut semper quasi digitum in unum Arturum

intenderet, ipsum coram in scenam atque in oculos rarius evocaret.

Jam, quo minus feliciter ex ea parte Spensero res cesserit, tali viro, tam acri ingenio, tam exquisito præ cæteris judicio, eo magis laudandus Homerus, qui in Achille suo idem plane non voluit modo, verum etiam copiosissime potuit exsequi. Neminem enim fugit, opinor, desiderare aliquid oculos legentium, vel maxima parte Iliadis, latente ac remoto Achille.

Quicquid usquam agunt Achivi, seu concionentur, sive aciem instruant, seu de curribus, seu de equis, seu de armis fiat quæstio, occurrit ubique Achillis memoria.

> Multa viri virtus animis multusque recursat
> Gentis honos.

Ea vero omnia (quod maximum est) sponte se offerunt, et non vocata respondent. Exempli loco sint ea, quæ in recensione navium ponuntur, elegantissima sane:

> *ἀνδρῶν αὖ μέγ' ἄριστος ἔην Τελαμώνιος Αἴας,*
> *ὄφρ' Ἀχιλεὺς μήνιεν· ὁ γὰρ πολὺ φέρτατος ἦεν,*
> *ἵππους θ', οἵ φορέεσκον ἀμύμονα Πηλείωνα.*
> *ἀλλ' ὁ μὲν ἐν νήεσσι κορωνίσι ποντοπόροισι*
> *κεῖτ', ἀπομηνίσας Ἀγαμέμνονι, ποιμένι λαῶν,*
> *Ἀτρεΐδῃ· λαοὶ δὲ παρὰ ῥηγμῖνι θαλάσσης*
> *δίσκοισιν τέρποντο καὶ αἰγανέῃσιν ἱέντες,*
> *τόξοισίν θ'· ἵπποι δὲ παρ' ἅρμασιν οἷσιν ἕκαστος,*
> *λωτὸν ἐρεπτόμενοι, ἐλεόθρεπτόν τε σέλινον,*
> *ἕστασαν· ἅρματα δ' εὖ πεπυκασμένα κεῖτο ἀνάκτων*
> *ἐν κλισίῃς· οἱ δ' ἄρχον Ἀρηΐφιλον ποθέοντες*
> *φοίτων ἔνθα καὶ ἔνθα κατὰ στρατόν, οὐδ' ἐμάχοντο*[a].

Illustris vero et evidens narratio, quæque rem plane oculis subjiciat. Ipsis in litoribus spatiari videmus: militares ipsi lusus cernimus, Myrmidonasque in

[a] Il. ii. 768.

castrensi tumultu se solos otiari indignantes. Præclara sunt hæc: illud autem præclarius, quod ipsis magnarum rerum initiis, cum obscuro quodam augurio, ad Achillem absentem revocantur animi, majorque futurorum exspectatio movetur.

Leviuscula sunt, neque tamen sua vi carent, quæ tanquam aliud agenti excidunt: cujusmodi est illud de forma Nirei:

> Νίρευς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε
> τῶν ἀλλῶν Δαναῶν, μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα[a].

Vel ea quibus Ajax in pugnam aliquando præludit:

> Ἕκτορ, νῦν μὲν δὴ σάφα εἴσεαι οἷοθεν οἷος,
> οἷοι καὶ Δαναοῖσιν ἀριστῆες μετέασιν,
> καὶ μετ' Ἀχιλλῆα ῥηξήνορα, θυμολέοντα.

Mentione quasi forte facta dignitatem ejus maxime commendavit.

Verum fortuita et minuta linquamus: ad ea veniamus, quæ et certissima sunt, et ita magni ponderis, ut merito instar omnium habeantur. Etenim præstantissimus ille artifex, ne dubites de ejus consilio, fabulam universam, quanta quanta est, ab uno Achille pendere voluit. Immo, quod immensæ erat solertiæ, ita res rebus implicavit, ut omnia eo deferri videantur ultro, vi scilicet ipsa ac ratione eventorum: nihil fortuitum, nihil coactum, nihil quod quis incredulus oderit. Semel tantum, quod meminerim, casu suppletur ordo ac series causarum. Videlicet in undecimo libro Achilles Patroclo utitur nuncio, qui sciscitetur, quem tandem, quo vulnere laborantem, secum ex prælio agat Nestor:

> ὁ δὲ κλισίηθεν, ἀκούσας,
> ἔκμολεν ἶσος Ἄρηϊ· κακοῦ δ' ἄρα οἱ πελεν ἀρχή[b].

Nam, conspectis suorum vulneribus, facere non potuit mitissimus Heroum, quin Achillem id saltem exoraret,

[a] Il. ii. 673. [b] xi. 602.

ut ipse Patroclus, Vulcania indutus arma, rem utcumque restituendam susciperet. Hac una et sola vice. Fortunam fecit Deam Homerus: quam dissimilis eorum vatum, quibus in omni discrimine præsto sunt magnanimi Heroes, velut *θεοὶ ἀπὸ μηχανῆς*, errantes ac pæne jam confectos vel in extremis liberaturi! "Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte!" neque Fortunæ, quam vocant, arbitrio plus ullo in loco tribuit, quam facile ferat communis vitæ ratio.

Quid ego quasi gradus numerem, quorum ope, quem diu consulto celarat, in lucem tandem atque in aciem reducit? Primum, sub Patrocli persona quid valeant nomen ejus et arma splendide et ingeniose docemur.

> *Μυρμιδόνες, ἕταροι Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος,*
> *ἀνέρες ἔστε, φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς·*
> *ὡς ἂν Πηλείδην τιμήσομεν, ὃς μέγ' ἄριστος*
> *Ἀργείων παρὰ νηυσὶ, καὶ ἀγχέμαχοι θεράποντες·*
> *γνῷ δὲ καὶ Ἀτρείδης εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων*
> *ἦν ἄτην, ὅτ' ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισεν*[a].

Videtis, Academici, quam nihil de suo agat Patroclus; quanta cum religione ad amicum remittat omnia; quod et per se dulcissimum est, et præcipue pertinet ad Achillis gloriam.

Deinde illud cum primis magnificum, quod mortuo Patroclo ne Ajax quidem ingruentes sustinere valeat Trojanos, Achilles inermis voce vultuque terreat. Quo in loco erit operæ pretium, si paulisper ea quis respiciat, quæ alibi in consimili materia de Diomede erant dicta.

> *. . . . Τυδείδῃ Διομήδεϊ Πάλλας Ἀθήνη*
> *δῶκε μένος καὶ θάρσος, ἵν' ἔκδηλος μετὰ πᾶσιν*
> *Ἀργείοισι γένοιτο, ἰδὲ κλέος ἐσθλὸν ἄροιτο.*
> *δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ,*

[a] Il. xvi. 269.

ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅστε μάλιστα
λαμπρὸν παμφαίνῃσι, λελουμένος 'Ωκεανοῖο·
τοῖόν οἱ πῦρ δαῖεν ἀπὸ κρατός τε καὶ ὤμων·
ὧρσε δέ μιν κατὰ μέσσον, ὅθι πλεῖστοι κλονέοντο[a].

Dixeris plane, nil præclarius ne cogitari quidem posse. Sed mutanda erit, opinor, sententia, postquam ad illa Achilleia veneris.

αὐτὰρ 'Αχιλλεὺς ὦρτο Διῒ φίλος· ἀμφὶ δ' 'Αθήνη
ὤμοις ἰφθίμοισι βάλ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν·
ἀμφὶ δέ οἱ κεφαλῇ νέφος ἔστεφε διὰ θεάων
χρύσεον, ἐκ δ' αὐτοῦ δαῖε φλόγα παμφανόωσαν.
ὡς δ' ὅτε κάπνος ἴων ἐξ ἄστεος αἰθέρ' ἵκηται
τηλόθεν ἐκ νήσου, τὴν δῄϊοι ἀμφιμάχονται,
οἵ τε πανημέριοι στυγερῷ κρίνονται Ἄρηϊ
ἄστεος ἐκ σφετέρου. ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι
πυρσοί τε φλεγέθουσιν ἐπήτριμοι, ὕψοσε δ' αἰγὴ
γίγνεται αἰσσουσα, περικτιόνεσσιν ἰδέσθαι,
αἴ κέν πως σὺν νηυσὶν ἀρῆς ἀλκτῆρες ἵκωνται·
ὡς ἀπ' 'Αχιλλῆος κεφαλῆς σέλας αἰθέρ' ἵκανεν.
στῆ δ' ἐπὶ τάφρον ἴων ἀπὸ τείχεος· οὐδ' ἐς 'Αχαιοὺς
μίσγετο· μητρὸς γὰρ πυκινὴν ὠπίζετ' ἐφετμήν.
ἔνθα στὰς ἤϋσ'· ἀπάτερθε δὲ Παλλὰς 'Αθήνη
φθέξατ'· ἀτὰρ Τρώεσσιν ἐν ἄσπετον ὦρσε κυδοιμόν.
ὡς δ' ὅτ' ἀριζήλη φωνὴ, ὅτε τ' ἴαχε σάλπιγξ
ἄστυ περιπλομένων δῃτῶν ὕπο θυμοραϊστέων·
ὣς τότ' ἀριζήλη φωνὴ γένετ' Αἰακίδαο.
οἱ δ' ὡς οὖν ἄϊον ὄπα χάλκεον Αἰακίδαο,
πᾶσιν ὀρίνθη θυμός· ἀτὰρ καλλίτριχες ἵπποι
ἆψ ὄχεα τρόπεον· ὄσσοντο γὰρ ἄλγεα θυμῷ.
ἡνίοχοι δ' ἔκπληγεν, ἐπεὶ ἴδον ἀκάματον πῦρ
δεινὸν ὑπὲρ κεφαλῆς μεγαθύμου Πηλείωνος
δαιόμενον· τὸ δὲ δαῖε θεὰ γλαυκῶπις 'Αθήνη[b].

Equidem, cum ista mecum revolvo, nequeo non vereri, Academici, ne profanius paullo agant Critici, qui vocantur, homines, quod moris habeant tales poetarum delicias absque ulla religione rimari, atque, ut ita dicam, manibus attrectare. Quo fit ut quorundam quasi obdurescant animi, et in pulcherrimis rebus quo plus intelligant, eo commoveantur minus. Veruntamen, ut iis qui vulnera curant sua non inter-

[a] Il. v. 1. [b] xviii. 203.

dicimus studia, quæ tamen eos reddant obtusiores ad ea sentienda, quæ corpus angant: ita nobis quoque venia debetur, audacius aliquanto scrutantibus nobilium Poetarum carmina; præsertim cum ipsorum splendoris et gloriæ intersit, clausas eorum ac reconditas opes in clariorem lucem promi. His præmissis, Diomedea illa cum Achilleis argutius paullo ausim componere.

Uterque nimirum, a Pallade tactus, tanquam æthereis collucet ignibus: sed ille armatus, hic inermis. Illius divinitus ardent clypeus et galea; huic et galeæ instar et clypei sola lux cœlestis obtinet.

> . . . ἀμφὶ δ' Ἀθήνη
> ὤμοις ἰφθίμοισι βάλ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν·
> ἀμφὶ δέ οἱ κεφαλῇ νέφος ἔστεφε δῖα θεάων
> χρύσεον, ἐκ δ' αὐτοῦ δαῖε φλόγα παμφανόωσαν.

Hac una re, ni fallor, luculentissime depingitur Diomedis et Achillis, militis et herois, discrimen. Neque vero non præclaram ejusdem habet significationem, quæ utrique apponitur, similitudo. Lucet ardetque Diomedeus ignis,

> ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅστε μάλιστα
> λαμπρὸν παμφαίνῃσι, λελουμένος Ὠκεάνοιο.

Achilli pro corona tribuitur, non lucidum nescio quid atque ardens, sed et ipsa lux et salus cœlo demissa: id quod optime docemur, inserta quasi fabella ista, de insula obsessa, facibusque e specula procul elatis. Postremo, quale quantumque illud, quod equis etiam agnoscitur vox Herois, fatale nescio quid augurantibus!

> . . . ἅτερ καλλίτριχες ἵπποι
> ἂψ ὄχεα τρόπεον· ὄσσοντο γὰρ ἄλγεα θυμῷ.

Atque ea quidem popularis ac trita opinio, siquem

aut Di Superi aut Manes mittant ad homines nuntium, illum mutis quoque animalibus notum ac manifestum fieri. Hoc in viventem Achillem transtulit Homerus, ut esset indicio majestatis plusquam humanæ: gravissime sane; eoque, ut opinor, efficacius, quod rem nullis præstigiis auctam nude tantum et aperte narravit: quo ferme ritu solet Historia Sacrosancta, cum de miraculis ac portentis agitur.

Sed hæc hactenus. Nunc venio ad illud, quod mihi semper visum est exquisiti plane judicii opus: quod placato etiam Achille, data opera differatur in longum, seque veluti sustentet Fabula: quod eum Poeta tardo, quo decuit, incessu, in vulgus atque in scenam reduxerit, non sine grandissimo Deorum hominumque apparatu. Quod primum per *ὁπλοποιΐαν* effectum est. Neque enim esset audiendus, si quis affirmaverit, Homerum ornandi tantum gratia, et speciosa miracula promendi, *ἐπεισόδιον* istud attexuisse. Quin defessus bellando animus fruitur paulisper gratissima requie, contemplando primum Vulcani ipsius fabricam, deinde quasi picturæ genus eximie tranquillum ac pastorale: armenta, vineta, segetes, pecudes, aratra. Accedit quod ex sensu illius sæculi suis omnino ornandi erant armis, quos sors quædam fatalis delegerat de vulgo hominum, ad exsequenda majora quælibet. Denique, id quod prius attigimus, hac in parte, velut sacra ferenti, tardius erat incedendum Poetæ; in minima quaque re nectendæ moræ: quo suus Achilli constaret honos, præ Diomede et Agamemnone, cæterisque quorum ad prælium exitus semel iterumque splendide narrantur.

Ac nescio an gravius ac melius id officium præstiterit Homerus, quam qui eum insecutus est,

Virgilius: qui suo Æneæ "famamque et fata nepotum," per clypeum Vulcani, dederit ferenda. Nimirum Æneæ Deos modo tutelares Quiritium, Achilli quicquid ubique est Deorum, in vota ac preces vocari facile intelligas: siquidem illo quoque tempore, si fides Æschylo, solebant bellantes quid sibi vellent depictis scutis declarare. Universa itaque Mundi hujus compages, qualis erat in Achillis clypeo, cum omni varietate vitæ hominum conjuncta, ecquid aliud præ se tulit indicium, quam illud, dignissimum alumno Deorum: Nihil usquam divinæ esse potentiæ, quo non ille fidentior in pugnam prodeat?

Verum hæc missa faciamus, ne nimium argutias sectari videamur. Illud certe nemo negabit; Quoniam cum majestate quadam erat quasi tardanda narratio, optime Scriptorem, alioqui rapidissimum, ea potissimum operis sui parte longas illas traxisse ambages.

Quin et eodem plane consilio, toto libro, qui proxime sequitur, causando et concionando tempus terit: qui quidem liber, ut verum fatear, lentius mihi videri solet negotium; nisi forte putet aliquis liberius hic lusisse Homerum, et in Agamemnonis sui persona notasse, qualia diverticula sibi fingant homines, siqui, paullo elatiore animo, non satis sibi placent, rerum a se actarum memoria. Certe non multum abhorrent a tali suspicione, quæ Rex ille Regum loco satis alieno enarrat, de Herculis et Eurysthei natalibus, de Jove per Junonem eluso, de Discordia cœlo exturbata. Naturam quidem ipsam verumque non male refert illius colloquii tenor, licet ab ampullis heroicis et verborum magnificentia longius fortasse recedere videatur. Sed de

ea re viderint qui apud Epicos omnia rotundo proferri volunt ore, cum tumore quodam et sonitu. Nobis sat erit tribus ostendisse verbis, quam sedulo, per seria, perque ludos, ducatur in longum reditus Achillis in prælia: ne forte raptim cum incuria quadam agatur, quæ summa totius operis esse debuit. Adeo, qui prius ad eventum festinaverat, in ipso eventu suspensos detinere novit; quod erat profecto artificis tum peritissimi, tum longe aliter rem agentis atque agere solet vulgus Poetarum.

Egressus tandem in aciem Achilles, talis vir, cui nihil unquam simile aut secundum viguit, periculum erat ne uno quasi ictu rem totam bellique fortunam absolveret. Videamus igitur, qua prudentia certissimos rerum exitus tardaverit scriptor, ita tamen ut nihil deminuerit de invicti viri gloria. Primum, satis clare docemur, ne pugnare quidem ausuros fore Trojanos, nisi Deorum suorum instinctu; ideoque veniam dedisse Jovem pugnam ineundi, prius vetitum:

> *ἔρχεσθ', ὄφρ' ἂν ἵκησθε μετὰ Τρῶας καὶ Ἀχαιούς·*
> *ἀμφοτέροισι δ' ἀρήγεθ', ὅπη νόος ἐστὶν ἑκάστου.*
> *εἰ γὰρ Ἀχιλλεὺς οἷος ἐπὶ Τρώεσσι μαχεῖται,*
> *οὐδὲ μίννυθ' ἕξουσι ποδώκεα Πηλείωνα* [a].

Deinde, qui primus cum Achille ausus est manum conferre, Æneas, divinitus e medio prælio eripitur: interveniente (quod mirere) Neptuno, qui semper ex partibus Achivorum steterat. Omnino is quasi cumulus imponi debuit laudibus Achillis, cavere ipsius Dii auxiliares, ne vel *ὑπὲρ μοῖραν* triumphos ageret. Postremo, ubi jam, strage incredibili, dicas profligatum plane bellum, subito excitatur irati

[a] Il. xx. 24.

Fluvii persona. Oculis fere cernimus actuosa illa, et fervida, et acerrimo affectu plena.

. . . . Ἀχιλλεὺς μὲν δουρικλυτὸς ἔνθορε μέσσῳ,
κρημνοῦ ἀπαΐξας· ὁ δ' ἐπέσσυτο, οἴδματι θύων·
πάντα δ' ὄρινε ῥεέθρα κυκώμενος· ὦσε δὲ νεκροὺς
πολλοὺς, οἳ ῥα κατ' αὐτὸν ἅλις ἔσαν, οὓς κτάν' Ἀχιλλεύς.
τοὺς ἔκβαλλε θύραζε, μεμύκως, ἠΰτε ταῦρος,
χέρσονδε· ζωοὺς δὲ σάω κατὰ κάλα ῥεέθρα,
κρύπτων ἐν δίνῃσι βαθείῃσιν μεγάλῃσιν·
δεινὸν δ' ἀμφ' Ἀχιλῆα κυκώμενοι ἵστατο κῦμα,
ὤθει δ' ἐν σάκεϊ πίπτων ῥόος· οὐδὲ πόδεσσιν
εἶχε στηρίξασθαι· ὁ δὲ πτελέην ἕλε χερσὶν
εὐφυέα, μεγάλην· ἡ δ' ἐκ ῥιζῶν ἐριποῦσα
κρημνὸν ἅπαντα διῶσεν, ἐπέσχε δὲ καλὰ ῥεέθρα
ὄζοισιν πυκινοῖσι· γεφύρωσεν δέ μιν αὐτόν,
εἴσω πᾶσ' ἐριποῦσ'· ὁ δ' ἄρ' ἐκ δίνης ἀνορούσας,
ἤϊξεν πεδίοιο ποσὶ κραιπνοῖσι πέτεσθαι,
δείσας· οὐδέ τ' ἔληγε μέγας θεός· ὦρτο δ' ἐπ' αὐτὸν
ἀκροκελαινιόων, ἵνα μιν παύσειε πόνοιο
δῖον Ἀχιλλῆα, Τρώεσσι δὲ λοιγὸν ἀλάλκοι.
Πηλείδης δ' ἀπόρουσεν, ὅσον τ' ἐπὶ δουρὸς ἐρωὴ,
αἰετοῦ οἴματ' ἔχων μέλανος, τοῦ θηρητῆρος,
ὅς θ' ἅμα κάρτιστός τε καὶ ὤκιστος πετεηνῶν·
τῷ εἴκως ἤϊξεν· ἐπὶ στήθεσσι δὲ χαλκὸς
σμερδαλέον κονάβιζεν· ὕπαιθα δὲ τοῖο λιασθεὶς
φεῦγ'· ὁ δ' ὄπισθε ῥέων ἔπετο μεγάλῳ ὀρυμαγδῷ [b].

Eo denique res adducitur, ut licet de eventu jampridem certiores sint facti, trepident tamen et inhorreant lectores, mirantes, quid Achille fiet: qui primus fere fabulosa narrantis honos.

Jam levis illa Deorum quasi velitatio, quæ Platoni tantopere displicuit, nescio equidem an non satis pro rerum dignitate adhibeatur: illud certo scire mihi videor, eam non absque consilio hoc potissimum loco adhiberi. Nam postquam ex ea satis apparuit, superiores evasuros Achivorum Deos, modo res ad justum certamen redeat; tum demum ex acie discedunt Juno, Minerva, Neptunus, cæteri: soli Achilli conceditur victoriæ laus.

[b] Il. xxi. 233.

Sic itaque statuo, Academici: veluti spissis tardisque gradibus consulto rem trahere Homerum, donec ad summam belli perveniatur: quæ quidem summa, ut ante diximus, Hectoris unius cæde continetur.

"At enim, amoto Hectore, qui duo attexuntur libri, quo tandem pacto non erunt inutiles censendi? ex quibus alter athletarum magis quam bellatorum videtur esse proprius; alter ita quidem, ut nihil dulcius, lugentem patrem, placatum Heroa depingit; friget uterque, quod ad exitum belli attinet."

Profecto, si qui ita judicant, ii duriusculos se profitentur judices, neque multum audiendos in materia Poetica. Usque adeone in his quoque rebus omnia ad utilitatis normam severe et absolute exigentur? Tædebit homines circa inferias magnanimorum Heroum paululum morari? Nihil ne Patrocli, nihil Hectoris, talium virorum, funus et exsequiæ movebunt? Quasi vero Iliadis clausula non suavius multo et plenius cadat, quam si (quod Virgilio placuit) altum silentium, profligato bello, sequatur.

Quod si nos non inepte prorsus universam Homericæ poeseos indolem ex Achillis persona judicamus, quod exquisitissimum ille specimen et exemplar Heroum esse voluit: utique graves non deerant causæ, cur et Patrocli funus, et Hectoris, justo carmine ornari deceret. Erat amicitiæ, mortuum sodalem nullo non honore prosequi; erat pietatis et misericordiæ, devicto tandem inimico ignoscere; utrumque erat religionis, ut inter Ethnicos, accuratissimæ, qualem Homerus in Achille suo voluit proculdubio multum valere, solaque vi ejus domari posse effrænes ardentis animi motus.

Hoc illud est, quod etiamnum boni quoque viri

non parum Achilli favent: vident illum non ea modo curare, quæ oculis cerni et digito demonstrari possunt, sed alte spectare, sed æternas Heroum sedes et debita Manibus jura contueri. Quod cum palam fit toto illo carmine, quod ἆθλα ἐπὶ Πατρόκλῳ inscribitur, tum illo præcipue loco, quo nihil unquam ullius vatis in mentem aut dulcius venisse, crediderim aut flebilius[c].

Πηλείδης δ' ἐπὶ θινὶ πολυφλοίσβοιο θαλάσσης
κεῖτο βαρυστενάχων, πολέσιν μετὰ Μυρμιδόνεσσιν
ἐν καθαρῷ, ὅθι κύματ' ἐπ' ἠϊόνος κλύζεσκον·
εὖτε τὸν ὕπνος ἔμαρπτε, λύων μελεδήματα θυμοῦ,
νήδυμος ἀμφιχυθείς· μάλα γὰρ κάμε φαίδιμα γυῖα
Ἕκτορ' ἐπαΐσσων προτὶ Ἴλιον ἠνεμοέσσαν.
ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Πατροκλῆος δειλοῖο,
πάντ' αὐτῷ, μέγεθός τε καὶ ὄμματα κάλ', εἰκυῖα,

(Repetit sub fine versus spondæos, ne non et ipsi numeri, summissi ac flebiles, mœrorem indicent.)

καὶ φωνὴν, καὶ τοῖα περὶ χροΐ εἵματα ἕστο·
στῆ δ' ἀρ' ὑπὲρ κεφαλῆς, καί μιν πρὸς μῦθον ἔειπεν·
εὕδεις, αὐτὰρ ἐμεῖο λελασμένος ἔπλευ, Ἀχιλλεῦ;
οὐ μέν μευ ζώοντος ἀκήδεις, ἀλλὰ θάνοντος·
θάπτε με ὀττιτάχιστα, πύλας Ἀΐδαο περήσω·
τῆλέ με εἴργουσι ψυχαὶ, εἴδωλα καμόντων,
οὐδέ μέ πω μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἐῶσιν·
ἀλλ' αὖτως ἀλάλημαι ἀν' εὐρυπυλὲς Ἄϊδος δῶ.
καί μοι δὸς τὴν χεῖρ', ὀλοφύρομαι· οὐ γὰρ ἐτ' αὖτις
νίσσομαι ἐξ Ἀΐδαο, ἐπήν με πυρὸς λελάχητε.
οὐ μὲν γὰρ ζωοί γε φίλων ἀπάνευθεν ἑταίρων
βουλὰς ἑξόμενοι βουλεύσομεν . . . . . .

Atque hæc etsi longiuscula, venia tamen sit nobis allegantibus, quoniam, ni fallor, mirificam habent ejus rei significationem, qua una maxime mitigari dicimus atrocem irati bellatoris animum. Considerate, quæso, paullo attentius, atque intuemini, convitium istud:

Οὐ μέν μευ ζώοντος ἀκήδεις, ἀλλὰ θάνοντος.

[c] Il. xxiii. 59.

Videlicet etiam somnianti recurrit, tanquam nefas et insigne piaculum, se non vivi sed mortui vel brevi hora fuisse immemorem. Quod contra omnino his qui nunc sunt hominibus usu venire quotidie cernimus. Jampridem enim eo mollitiæ ventum est, ut vix ferendum videatur, uno atque altero mense vestem, mortuis amicis, mutare. Quocirca non erit mirandum, inepta haberi, his judicibus, quæ curiosius exsequitur Homerus de solenni fletu Myrmidonum; de rogo exstructo, dedicato, incenso: de epularum ludorumque ratione. Semper tamen nonnullos fore crediderim, quibus ea valde placebunt; non solum antiquitatis colore, quo quidem gratissimo tota quasi tabula imbuitur, verum etiam quoniam ad naturam et ad humanitatem ea proxime accedunt.

Quid, quod suas ipse quodammodo exsequias, una cum exsequiis amici, præsaga mente, celebrat Achilles? quo quidem reliqua pertinet umbræ per somnium visæ oratio.

. . . . Ἀλλ' ἐμὲ μὲν Κὴρ
ἀμφέχανε στυγερή, ἦπερ λάχε γεινόμενόν περ.
καί δέ σοι αὐτῷ μοῖρα, θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ,
τείχει ὑπὸ Τρώων εὐηγενέων ἀπολέσθαι.
ἀλλὸ δέ τοι ἔρεω καὶ ἐφήσομαι, αἴκε πίθηαι·
μὴ ἐμὰ τῶν ἀπάνευθε τιθήμεναι ὀστέ', Ἀχιλλεῦ·
ἀλλ' ὁμοῦ, ὡς ἐτράφημεν ἐν ὑμετέροισι δόμοισιν,
εὖτέ με τύτθον ἔοντα Μενοίτιος ἐξ Ὀπόεντος
ἤγαγεν ὑμέτερόνδ', ἀνδροκτασίης ὑπὸ λυγρῆς,
ἤματι τῷ, ὅτε παῖδα κατέκτανον Ἀμφιδάμαντος,
νήπιος, οὐκ ἐθέλων, ἀμφ' ἀστραγαλοῖσι χολωθείς·
ἔνθα με δεξάμενος ἐν δώμασιν ἵππότα Πηλεὺς
ἔτραφε τ' ἐνδυκέως, καὶ σὸν θεράποντ' ὀνόμηνεν·
ὣς δὲ καὶ ὅστεα νῶϊν ὁμὴ σορὸς ἀμφικαλύπτοι,
χρύσεος ἀμφιφορεύς, τόν τοι πόρε πότνια μήτηρ.

Neque aliud Achillis ipsius verba declarant[d]:

ὅστεα Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο λέγωμεν· . . . . .
. . . καὶ τὰ μὲν ἐν χρυσέῃ φιάλῃ καὶ δίπλακι δημῷ
θείομεν, εἰσόκεν αὐτὸς ἐγὼν Ἀΐδι κεύθωμαι·

[d] Il. xxiii. 239.

τύμβον δ' οὐ μάλα πολλὸν ἐγὼ ποneέσθαι ἄνωγα,
ἀλλ' ἐπιείκεα τοῖον· ἔπειτα δὲ καὶ τὸν Ἀχαιοὶ
εὐρύν θ' ὑψηλόν τε τιθήμεναι, οἵ κεν ἐμεῖο
δεύτεροι ἐν νήεσσι πολυκλήισι λίπησθε.

Præterea, nulla vox ne lugenti quidem excidit, quæ forti, magnoque animo sit indigna: sed tamen nihil ea tranquillitate acerbius. Intelligas plane, vivendum ei posthac in luctu; non autem delicato illo ac muliebri, neque qui communis vitæ muneribus officiat. Quin omni ludorum decursu adest animo, paratus promptusque; tum demum, velut in præscriptum officium, se in mœrorem atque in gemitus recipit.

Jam ut paucissimis absolvam, quæ de altero illo ἐπεισοδίῳ sunt dicenda: primum animadvertant velim homines, non tam cæco furore, quam atroci quadam religione peccari, quod Hectoris corpus male ab Achille mulcatur. Ille nimirum commota ac fervida mente id unum spectabat, id agebat, ut nullo non honore defunctum amicum prosequeretur. Pars autem honoris putabatur, Hectorem plenissimas pœnas luere. Itaque contumeliæ illæ certis tempo ribus, solennis officii loco ingerebantur: pertinebant ad exsequias Patrocli. Immo finitis etiam exsequiis, ipso initio libri ultimi, Achilles, mœrore et insomnia confectus [e],

δινεύεσκ' ἀλύων παρὰ θίν' ἁλός· οὐδέ μιν Ἠὼς
φαινομένη λήθεσκεν ὑπείρ ἄλα τ' ἠϊόνας τε.
ἀλλ' ὅγ' ἐπεὶ ζεύξειεν ὑφ' ἅρμασιν ὠκέας ἵππους,
Ἕκτορα δ' ἕλκεσθαι δησάσκετο δίφρου ὄπισθεν·
τρὶς δ' ἐρύσας περὶ σῆμα Μενοιτιάδαο θανόντος,
αὖτις ἐνὶ κλισίῃ πανέσκετο.

Ergo de cœlo admonendus erat, ut fas esse crederet ei funus concedere, quo inhumato gauderent amici Manes. Atque etiam, restituto cadavere, quod

[e] Il. xxiv. 12.

quidem suis ipse manibus Priami rhedæ imposuisse narratur, velut impietatis alicujus reus, supplex Patrocli veniam orat[f].

> *μή μοι, Πάτροκλε, σκυδμαίνεμεν, αἴ κε πύθηαι*
> *εἰν Ἀΐδός περ ἐων, ὅτι Ἕκτορα δῖον ἔλυσα*
> *πατρὶ φίλῳ· ἐπεὶ οὔ μοι ἀεικέα δῶκεν ἄποινα·*
> *σοὶ δ' αὖ ἐγὼ καὶ τῶνδ' ἀποδάσσομαι, ὅσσ' ἐπέοικεν.*

Ad summam; interroget aliquis, Quorsum hi duo libri? concedam fortasse, importunius eos adjici, si res ad historiæ modulum exigatur. Nam historia versatur in serie causarum; qua semel absoluta, (debellato enim Hectore novimus Trojam brevi perituram,) cætera adjungi nihil attinebit. Sin fuerit ea mens Summo Poetæ, ut res Iliacas non modo eversas narraret, verum etiam per eum eversas, qui esset heroicæ virtutis exemplar; profecto ex his paucissima invenies, quæ absque detrimento potuerint omitti.

Videtis, Academici, quemadmodum Tragici suas fabulas accommodare solent ad histriones primarum partium, ita Homericam quasi fabulam studiose ad Achillem accommodari. His quasi cumulum addere liceat, omnia in eo clariora fieri, si eum cum aliis bellatoribus conferas. Cum enim tot tantique homines, tam inter se dissimiles, decorentur suis quisque laudibus, divinitus quodammodo est effectum, ut non solum Homerus de fortitudine melius disserere videatur quam omnes philosophi, verum etiam princeps Achilles ex tacita cæterorum collatione major evadat.

Ac de Hectore quidem diximus: qui licet Achille longe sit amabilior, nequaquam tamen ad ejus majestatem accedit. Neque enim Dis genitum

[f] Il. xxiv. 592.

effinxit Poeta, sed tantum *θεοῖς ἐπιείκελον ἀνδρά*; neque eum vi ista fatali fortunas ejus obscure temperavit. Nihil in Hectore non forte ac splendidum sonat: sed vix unquam eum dicas ultra humanum modum assurgere. Sicut unus paterfamilias, pro patria moriendum docet [g].

> *ἀλλὰ μάχεσθ' ἐπὶ νηυσὶν ἀολλέες· ὃς δέ κεν ὑμέων*
> *βλήμενος, ἢε τυπεὶς, θάνατον καὶ πότμον ἐπίσπῃ,*
> *τεθνάτω· οὔ οἱ ἀεικὲς ἀμυνομένῳ περὶ πάτρης*
> *τεθνάμεν· ἀλλ' ἄλοχός τε σόη καὶ παῖδες ὀπίσσω,*
> *καὶ οἶκος καὶ κλῆρος ἀκήρατος, εἴ κεν Ἀχαιοὶ*
> *οἴχωνται σὺν νηυσὶ φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.*

Conferas ea, quibus Paridem alloquitur [h]:

> *ἀλλ' ἴομεν· τὰ δ' ὄπισθεν ἀρεσσόμεθ', αἴ κέ ποθι Ζεὺς*
> *δῷῃ, ἐπουρανίοισι θεοῖς αἰειγενετῆσιν*
> *κρητῆρα στήσασθαι ἐλεύθερον ἐν μεγάροισιν,*
> *ἐκ Τροίης ἐλασάντας ἐϋκνήμιδας Ἀχαιούς.*

Videtis plane quosnam sibi proponat, parta victoria, domesticæ pacis et otii fructus. Nihil ejusmodi Achilli obversatur, postquam semel apud se decrevit, gloriæ ergo moriendum apud Trojam.

Quid alios moremur? Agamemnona scilicet; quem *ἦθους* cujusdam *ἀριστοκρατικοῦ*, ni fallor, specimen haberi voluit Poeta; patriæ amantem, sed majestatis suæ amantiorem.

Quid Diomedem, diligentem sane dignitatis, honoris, immo etiam opum petitorem? qui quidem Achillis quasi rivalem non uno loco proferre se videtur: qualia nono in libro leguntur, postquam legatos ille dimiserat [i]:

> *Ἀτρεΐδη κύδιστε, ἄναξ ἀνδρῶν, Ἀγαμέμνων,*
> *μὴ ὄφελες λίσσεσθαι ἀμύμονα Πηλείωνα*
> *μυρία δῶρα διδούς· ὁ δ' ἀγήνωρ ἐστὶ καὶ ἄλλως·*
> *νῦν αὖ μιν πολὺ μᾶλλον ἀγηνορίῃσιν ἐνῆκας.*
> *ἀλλ' ἤτοι κεῖνον μὲν ἐάσομεν, ἤ κεν ἴῃσιν,*
> *ἤ κε μένῃ· τότε δ' αὖτε μαχήσεται, ὁππότε κέν μιν*
> *θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν ἀνώγῃ, καὶ θεὸς ὄρσῃ.*

[g] Il. xv. 494. [h] vi. 526. [i] ix. 692.

Atqui satis longo intervallo eos a se invicem, credo, separabunt vel ea sola, quæ in proverbii loco sunt habita, de armis cum Glauco commutatis [k]:

> ἔνθ' αὖτε Γλαύκῳ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς,
> ὃς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε,
> χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Non magis Glauco consilium ademit, quam Diomedi laudem ingenui ac simplicis animi. Nemo de Achille talia narrantem ferret, ne per ludum quidem et jocum.

Diversa ab utrisque depingitur Ajacis indoles, quæ tamen et ipsa nihil non militare et castrense sapiat. Apertus ac directus sermo: mens ad parendum prompta, ad agendum expedita, non nimis acuta ad excogitandum. Videre mihi videor quasi famulum bona fide servientem domino, non laudis gratia, non mercedis. Rectene an secus imperatum sit, nihil moratur; unum illud curat, suum pensum gnaviter exsequi. Jubetur supplex adire Achillem: non recusat, non abnuit, in hoc dissimilis omnino Diomedis. Renuentem Achillem urget, subrustice sane [l].

> ἴομεν· οὐ γάρ μοι δοκέει μύθοιο τελευτὴ
> τῇδε γ' ὁδῷ κρανέεσθαι· ἀπαγγεῖλαι δὲ τάχιστα
> χρὴ μῦθον Δαναοῖσι, καὶ οὐκ ἀγαθόν περ ἔοντα,
> οἵ που νῦν ἕαται ποτιδέγμενοι· αὖταρ Ἀχιλλεὺς
> ἄγριον ἐν στήθεσσι θέτο μεγαλήτορα θυμόν·
> σχέτλιος, οὐδὲ μετατρέπεται φιλότητος ἑταίρων,
> τῆς, ᾗ μιν παρὰ νηυσὶν ἐτίομεν ἔξοχον ἄλλων·
> . . . . . σοὶ δ' ἄλληκτόν τε κακόν τε
> θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι θεοὶ θέσαν εἵνεκα κούρης
> οἴης· νῦν δέ τοι ἕπτα παρίσχομεν ἔξοχ' ἀρίστας,
> ἄλλα τε πόλλ' ἐπὶ τῇσι· σὺ δ' ἴλαον ἔνθεο θυμόν.

En militarem hominis simplicitatem! illi meræ sunt argutiæ, quibus Achilles tempus terit: non capit.

[k] Il. vi. 234. [l] ix. 621.

non intelligit. "Una rapta est famula, redduntur septem: quid est, quod dubites quærasve amplius?"

Verum de Ajace palmaria sunt, quæ a Jove super mortuo Patroclo precatur [m]:

> Ζεῦ πάτερ, ἀλλὰ σὺ ῥῦσαι ὑπ' ἠέρος υἷας Ἀχαιῶν,
> ποίησον δ' αἴθρην, δὸς δ' ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι·
> ἐν δὲ φάει καὶ ὄλεσσον, ἐπεί νύ τοι εὔαδεν οὕτως.

Hæc toties decantata repetere volui, quoniam, ut puto, ille locus unice declarat Ajacis ingenium, meri sane verique militis; non tam de victoria soliciti, quam de re strenue agenda. Ut uno verbo dicam: qualis in hac republica solet haberi plebeiorum hominum indoles, talem ferme, me judice, finxit sibi Homerus Ajacem.

Quod si quis velit hanc quasi telam pertexere, præsto erunt illi quamplures, Ulysses, Nestor, Antilochus, Sarpedon, alii: quorum cuilibet in communi bellicæ virtutis splendore et gloria suus quidam color indueitur. Sed jampridem vereor equidem, ne in re parum obscura nimius et molestus fiam. Animadverteram autem, Homerica legentibus id sæpius usu venire, ut impetu quasi narrationis et affectuum turbine abreptos lateat admirabile Poetæ consilium, uberrima varietas, singularis ordo. Quare non abs re fore putabam, si juniorum maxime gratia fusius paullo hoc tempore docerem, Homero ut plurimum præ oculis servari Heroicum illud Achillis ἦθος: tum in componenda rerum gerendarum serie, tum in ordinandis secundarum partium personis.

Jam ad reliqua pergendum erit: sicubi aut e rerum et imaginum delectu, aut ex ipso colore et genere dicendi, conjectura quædam de voluntate et indole Scriptoris capi poterit.

[m] Il. xvii. 645.

PRÆLECTIO NONA.

Declaratur Homeri bellicosa atque adeo Heroica indoles, exemplis tum ad castra pertinentibus, tum ad aciem, tum ad cætera, quæ militiæ sunt maxime propria.

MAGNA veteribus opinio fuit, Academici, Homero non Poeseos modo, verum etiam omnium, quotquot sunt, artium laudem quandam eximiam deberi. Inepte quidem illi ac nimis pueriliter: habet tamen eorum jactatio significationem aliquam non dubiam neque inutilem, siquis digne æstimare velit tum artis tum artificis indolem. Intellexerunt videlicet, ita cum omnia tangere, ut non in alieno versari videatur, sed ad suam voluntatem propria tractare et fingere. Atqui hac una re summam Poeticæ artis contineri, nobis certe jampridem est visum. Nimirum, quos vere Poetas appelles, ii non hac aut illa regione terminantur, sed usquequaque late vagari solent. Sua quisque luce, suis coloribus imbuunt atque variant omnia.

> Largior hic campos æther et lumine vestit
> Purpureo, solemque suum, sua sidera norunt.

Jam Homero suum solem, sua sidera præstiterunt Heroica, quæ vocantur, sæcula: quorum vel ipse erat æqualis, vel ab illis ita remotus erat, ut cerneret oculis formam eorum ac faciem; totus inhæreret eorum vestigiis; nihil noverit, nihil curaret, nisi quod Heroibus cordi fuerit. Quid quæritis? ni esset Homerus, dixeris omnino, velle eum fieri Achillem.

Spero autem, hanc meam sententiam satis me probasse vobis, quod ad summam Iliaci carminis, quodque ad personam Achillis attinet. Superest ut paucula quædam adjiciam, quorum ope vel in rerum pictura, vel in ratione ac delectu verborum idem plane ἦθος regnasse doceam.

Atque haud scio, an vehementius id quod velim ex hisce confirmetur, quam ex iis quæ ante sunt dicta. Fieri enim potuit, immo exemplis minime contemnendis factum fuisse plus semel certo scimus, ut in universa materie carminis non suum sed sæculi sui ingenium sequeretur primariæ quoque notæ Poeta. At vero, cum singulas partes exsequimur, cum excutimus rerum imagines, cum verba ac numeros ad nostrum arbitrium fingimus, ultra recurret animi indoles, sive insita, seu longo usu firmata: de qua tum demum certissima conjectura fiet, cum videbuntur bene convenire magna cum parvis, repentina cum præparatis, colores temere quasi jacti cum ratione totius picturæ. Quo in genere nemo profecto melius sibi constat, quam auctor Iliadis: qui, quo animo *totum* illud posuit, eodem expressit minuta quæque membra; libere prorsus ac feliciter, tanquam qui suas res semper ageret.

Verum ad exempla veniamus. Quorum ut modus

aliquis servetur, (quot enim versus sunt in Iliade, tot ea cogitantibus subeunt animum) consideremus, primo, quas res ille, velut amator, narrare gestiat; deinde, quasnam potissimum similitudines cupide ac libenter intexat; postremo, quo genere dicendi, quo verborum modulo gaudeat.

Atque ut inde sumam initium, quo et principia omnia et exitus apud istos homines sunt referendi: Homerum, ubi res bellicas narrat, plane bellantium partes induere, et mirifice iis quasi *συμπάσχειν*, omnes, ut opinor, sentiunt. (Sit enim venia Græco verbo, quoniam Latinis in hac re non facile suppetit quod dicatur.) Συμπάσχει, inquam, bellatoribus suis Homerus, non quo dedita opera Martia præ cæteris elegerit studia; quin potius eum declarat animum, cui ne somnianti quidem ullo unquam tempore occurrerit alia virtutis et gloriæ forma, atque ea quam ante oculos indies haberet.

Hoc illud est, quod eximie designat *æquales* rerum gestarum scriptores: quod vix et ne vix quidem exprimere valent, qui posteris temporibus, assidua quamvis lectione, et ingenio maxime versatili, ad eadem narranda sese accingunt. Hoc illud est, quo veteres nostratium cantilenæ, sive illæ Runicæ sint, sive Teutonicæ, ab hodiernis imitatorum operibus discrepent. Neque enim Illum excipio, quem nos hoc biennio amissum lugemus: quanquam ejus quasi tactu revixerunt pæne, nobis intuentibus, Heroum Occidentalium sæcula.

Quod si quis unquam, vi sola Phantasiæ, accedente fructu doctissimi otii, potuit abunde supplere vicem rerum a se impense amatarum, næ is erat, Academici, quem diximus: quem equidem non solum honoris, sed et doloris causa memoro. Nemo enim

Poeta, me judice, propius ad Homericum cursum, actuosum illum ac rapidum, accessit. Hoc maxime intererat, quod habuit Homerus verum vitæ morumque exemplar, quod omni tempore posset respicere; Nostro semper evolvendi erant libri, annales, veterum carmina. Ille, quos depingeret, vidit; modo erant omnia in majus ac pulchrius mutanda: Hujus fuit, obsoletum genus hominum a tenebris et situ, ut potuit, vindicare.

Sed redeo ad ea, quibus Homerus eorum, quæ ad militiam pertinent, gnarum se amantemque prodidit. Quorum ipsorum luculentior erit ratio, si militantem quasi prosequemur primum in castra, deinde in aciem, postremo per otium, gymnasia, epulas. Apparebunt ubique non pauca, qualia vix alicui potuerint in mentem venire, nisi re ac veritate ipsa magistra.

Principio, ponamus ante oculos clamosa illa castra, et inquieta, omnique motu huc illuc nutantia [a].

> Ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἀδινάων,
> πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων·
> βοτρυδὸν δὲ πέτονται ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν·
> αἱ μέν τ' ἔνθα ἅλις πεποτήαται, αἱ δέ τε ἔνθα·
> ὣς τῶν ἔθνεα πολλὰ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων
> ἠϊόνος προπάροιθε βαθείης ἐστιχόωντο
> ἰλαδὸν εἰς ἀγορήν. μετὰ δὲ σφίσιν Ὄσσα δεδήει,
> ὀτρύνουσ' ἰέναι, Διὸς ἄγγελος· οἱ δ' ἀγέροντο.
> τετρήχει δ' ἀγορή, ὑπὸ δὲ στοναχίζετο γαῖα,
> λαῶν ἱζόντων, ὅμαδος δ' ἦν· ἐννέα δέ σφεας
> κήρυκες βοόωντες ἐρήτυον, εἴ ποτ' ἀϋτῆς
> σχοῖεν, ἀκούσειαν δὲ Διοτρεφέων βασιλήων.
> σπουδῇ δ' ἕζετο λαός, ἐρήτυθεν δὲ καθ' ἕδρας,
> παυσάμενοι κλαγγῆς· . . . . . .

Nolite vero putare (id quod vereor ne maxima pars hominum judicet, cum ea prima vice legunt) rem

[a] Il. ii. 87.

eam confuso sonitu verborum, cœcoque militum ruentium impetu confici. Nihil clarius ea narratione, quod ad ordinem attinet, nexumque partium, nihil memini me legisse accuratius; credo equidem non multa exstare, quæ propius ad Naturam verumque accedant.

Primum, ut apes singulæ specus, ita tentoria singuli linquunt milites: quorum quasi continuum lapsum, vel pueris notum, optime depingit illud, *αἰεὶ νεὸν ἐρχομενάων*. Deinde non uno glomerantur examine, sed laxis quasi agminibus incedunt, *ἴλαδὸν εἰς ἀγορήν*, quemadmodum apes *βοτρυδὸν*, suo quisque tramite, ut fit, aperto atque nudo litore. Illud autem, *ἠΐονος προπάροιθε βαθείης*, ipsos quoque oculos videtur ferire, transeuntium forma et incessu; quos tanquam e terra spectare se fingit Poeta, interpositos videlicet inter se et profundum illum æquoris et cœli concursum, sive (ut cum ipso loquamur) *ἠΐονα βαθεῖαν*. Num potuit quidquam describi vividius? et tamen dubitant homines an veteribus illis Poetis — dubitant, inquam, an ipsi Homero bene depingendi laudem tribuant! Sed de ea re viderint ipsi: nobiscum faciunt hi versus, quod et oculatum testem declarant, et cum amore quodam simpliciter in res militares intentum.

Sequuntur magnifica sane:

> . . . . . *μετὰ δέ σφισιν Ὄσσα δεδήει*
> *ὀτρύνουσ' ἴεναι, Διὸς ἄγγελος* . . . . . .

Cavete autem existimetis, hoc eum adhibuisse ornandi tantum gratia: qualis ferme est Criticorum hominum sententia, si quando tenues res cum sonitu et ampullis efferuntur. Ut dicam quod vere sentiam: qui in istiusmodi argumento mentem Poetæ vult assequi, erunt ei partes suscipiendæ

non rhetoris cujusdam aut rhapsodi, sed gregarii potius militis. Solet autem id genus hominum majorem in modum commoveri grandiore quavis turba, qualis fit, opinor, tumultuantibus castris: quæ si verbis erit explicanda, mirum ni illi *ὑπερβολικῶς* complura narrent, et rotundiore, quam par sit, ore. Illis itaque rumor per castra casu deditus *ὅσσα* fit, *Διὸς ἄγγελος*: terram ipsam ingemuisse aiunt strepitu militum, cum impetu quodam sternentium se cavo in cespite;

> . . . . . *ὑπὸ δὲ στοναχίζετο γαῖα,*
> *λαῶν ἰζόντων* . . . . . .

Quin sexcenta sunt ejusmodi, quibus, qui volet, facile intelliget, Homerum non audita loqui, sed tanquam unum de plebe, quæ aures oculosque acutissime perstrinxerint, ea grandioribus sæpe verbis, quam res per se ferat, enarrare.

Quod quoniam in castris turbulentis satis exposuimus, jam ad pacata et tranquilla veniamus. Nocturnas intueamur ducum vigilias, de quibus in decimo libro Iliadis agitur. Neque vero nos hoc tempore laudamus præclaram illam Agamemnonis insomnis imaginem[b]:

> *ὣς δ' ὅταν ἀστράπτῃ πόσις Ἥρης ἠϋκόμοιο,*
> *τεύχων ἢ πολὺν ὄμβρον ἀθέσφατον, ἠὲ χάλαζαν,*
> *ἢ νίφετον, ὅτε πέρ τε χίων ἐπάλυνεν ἀρούρας,*
> *ἠέ ποθι πτολέμοιο μέγα στόμα πευκεδανοῖο·*
> *ὣς πύκιν' ἐν στήθεσσιν ἀνεστονάχιζ' Ἀγαμέμνων*
> *νειόθεν ἐκ κραδίης· τρομέοντο δὲ οἱ φρένες ἐντός.*
> *ἤτοι ὅτ' ἐς πεδίον τὸ Τρωϊκὸν ἀθρήσειεν,*
> *θαύμαζεν πυρὰ πολλὰ, τὰ καίετο Ἰλιόθι πρὸ,*
> *αὐλῶν συρίγγων τ' ἐνοπήν, ὁμαδον τ' ἀνθρώπων.*
> *αὖταρ ὅτ' ἐς νῆάς τε ἴδοι καὶ λαὸν Ἀχαιῶν,*
> *πολλὰς ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἔλκετο χαίτας*
> *ὑψόθ' ἐόντι Διΐ· μέγα δ' ἔστενε κυδάλιμον κῆρ* . . .

[b] Il. x. 5—16.

neque cætera moramur, quæ pulcherrime demonstrant hinc exultantes victoria et epulis Trojanos, illinc tacitas anxiasque Græcorum excubias: sed erunt, ut arbitror, e re nostra, si quæ forte castris assuetum declarant. Exempli gratia, deliberant inter se Atridæ, ne diverso itinere mutuo se perdant in tenebris. Interrogat Agamemnona Menelaus[c]:

πῶς γάρ μοι μύθῳ ἐπιτέλλεαι ἠδὲ κελεύεις;
αὖθι μένω μετὰ τοῖσι, δεδεγμένος εἰσόκεν ἔλθῃς,
ἦέ θέω μετὰ σ' αὖτις, ἐπὴν εὖ τοῖς ἐπιτείλω;—
τὸν δ' αὖτε προσέειπεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων·
αὖθι μένειν, μή πως ἀβροτάξομεν ἀλλήλοϊν
ἐρχομένω· πολλαὶ γὰρ ἀνὰ στρατόν εἰσι κέλευθοι.

Immo, quod minutioris esse videatur industriæ, non modo sua cuique arma, verum etiam suum statum, suum incessum, suum pæne dormienti situm, flexumque membrorum, assignari voluit. Nestori quippe, ætate fere confecto, mollius et lectum sterni et parari curavit indumenta[d]:

τὸν δ' εὗρεν παρά τε κλισίῃ καὶ νηῒ μελαίνῃ,
εὐνῇ ἔνι μαλακῇ· παρὰ δ' ἔντεα ποικίλ' ἔκειτο,
ἀσπὶς καὶ δύο δοῦρε, φαεινή τε τρυφάλεια.
πὰρ δὲ ζωστὴρ κεῖτο παναίολος, ᾧ ῥ' ὁ γεραιὸς
ζώννυθ', ὅτ' ἐς πόλεμον φθισήνορα θωρήσσοιτο
λαὸν ἄγων· ἐπεὶ οὐ μὲν ἐπέτρεπε γήραϊ λυγρῷ.

Videtisne, Homerum ea ipsa narranda legere, quæ Agamemnoni, tentorium ingresso, credibile est in animum ventura?

Jam Diomedes cum suis, acerrima velut militia, sub dio dormiens in cespite offenditur[e]:

..... τὸν δ' ἐκίχανον
ἐκτὸς ἀπὸ κλισίης σὺν τεύχεσιν· ἀμφὶ δ' ἑταῖροι
εὗδον· ὑπὸ κρασὶν δ' ἔχον ἀσπίδας· ἔγχεα δέ σφιν
ὀρθ' ἐπὶ σαυρωτῆρος ἐλήλατο· τῆλε δὲ χαλκὸς
λάμφ', ὥστε στεροπὴ πατρὸς Διός· αὐτὰρ ὅγ' ἥρως
εὗδ'· ὑπὸ δ' ἔστρωτο ῥινὸν βοὸς ἀργαύλοιο·
αὐτὰρ ὑπὸ κράτεσφι τάπης τετάνυστο φαεινός·

[c] Il. x. 61. [d] x. 74. [e] x. 150.

Quid, qua ratione humi consedisse demonstret trepidum illud Heroum concilium?

> ἐν καθαρῷ, ὅθι δὴ νεκύων διεφαίνετο χῶρος
> πιπτόντων· ὅθεν αὖτις ἀπετράπετ' ὄβριμος Ἕκτωρ.
> ὀλλὺς Ἀργείους, ὅτε δὴ περὶ νὺξ ἐκάλυψεν·
> ἔνθα καθεζόμενοι, ἔπε' ἀλλήλοισι πιφαυσκον [f].

Cujusmodi omnia, quo per se sint leviora, et ad poeticam illam venustatem minus pertinere videantur, eo clarius et evidentius docent, ni fallor. Homerum aut ipsum aliquando fecisse stipendia, aut certe militantibus comitem se adjunxisse.

Nunc Homericos in aciem euntes, atque adeo in ipsum certamen prosequamur. Succurrit ante omnia dulcissimum illud, et cum bellica virtute, si quid aliud, arctissime, ut opinor, conjunctum [g]:

> τοῖσι δ' ἄφαρ πόλεμος γλυκίων γένετ', ἠὲ νέεσθαι
> ἐν νηυσὶ γλαφυρῇσι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.

Animadvertite, quæso, paullo subtilius, quid ea sententia valeat. Primo, ipsum illud Pugnare, non propter laudis spem et victoriæ, sed tanquam per se carum et amabile, proponi. Deinde, momento temporis mutari animos, tanti exercitus, tam graviter commoti, semel modo Ulyssis quasi sceptro tacti: quam scimus esse castrensis plebeculæ levitatem. Quid quæritis? Simplex omnino sententia, fortique animo maxime omnium conveniens: Nullius rei causa, præterquam bellicæ gloriæ, facile carendum esse domo, patria, liberis; proposita autem ejusmodi spe, ne posse quidem, nedum oportere, rem in dubium vocari. Idem plane sonant, longiore modo filo deducta, notissima illa Lycii regis [h]:

> Γλαῦκε, τίη δὴ νῶϊ τετιμήμεσθα μάλιστα
> ἕδρῃ τε, κρέασίν τ', ἠδὲ πλείοις δεπάεσσιν,

[f] Il. x. 199. [g] ii. 453. [h] xii. 310.

ἐν Λυκίῃ, πάντες δὲ, θεοὺς ὡς, εἰσορόωσιν ;
καὶ τέμενος νεμόμεσθα μέγα, Ξάνθοιο παρ' ὄχθας,
καλὸν φυταλιῆς καὶ ἀρούρης πυροφόροιο ;
τῷ νῦν χρὴ Λυκίοισι μετὰ πρώτοισιν ἐόντας
ἑστάμεν, ἠδὲ μάχης καυστειρῆς ἀντιβολῆσαι·
ὄφρα τις ὧδ' εἴπῃ Λυκίων πύκα θωρηκτάων·
οὐ μὰν ἀκληεῖς Λυκίων κατακοιρανέουσιν
ἡμέτεροι βασιλῆες, ἔδουσί τε πίονα μῆλα,
οἰνόν τ' ἔξαιτον, μελιηδέα· ἀλλ' ἄρα καὶ ἵς
ἐσθλὴ, ἐπεὶ Λυκίοισι μετὰ πρώτοισι μάχονται.
ὦ πέπον, εἰ μὲν γὰρ πόλεμον περὶ τόνδε φυγόντες,
αἰεὶ μὲν μέλλοιμεν ἀγήρω τ' ἀθανάτω τε
ἔσσεσθ', οὔτε κεν αὐτὸς ἐνὶ πρώτοισι μαχοίμην,
οὔτε κε σὲ στέλλοιμι μάχην ἐς κυδιάνειραν·
νῦν δ'—ἔμπης γὰρ κῆρες ἐφεστᾶσιν θανάτοιο
μυρίαι, ἃς οὐκ ἔστι φυγεῖν βροτὸν, οὐδ' ὑπαλύξαι—
ἴομεν· ἠέ τῳ εὖχος ὀρέξομεν, ἠέ τις ἡμῖν.

Diximus de iis, quæ cupidum declarant pugnandi: nunc de iis, quæ peritum arguunt, pauca quædam afferre liceat: non quo ignorem plurima extare ejusmodi, quæ vix et ne vix quidem capi possint ab his qui nunc sunt hominibus, mutata penitus belli gerendi ratione: præsertim si quibus, ut nostrum plerisque, vita degatur umbratilis et plane otiosa. Sed tamen non erat omittendus ille locus: id modo probe teneatis velim, multo plura id genus latere, quam quæ a doctissimis nedum a nobis hoc tempore possint erui.

Unum alterumque primo proferamus, quæ cum usu rei militaris egregium aliquod conjungant Poeseos lumen. Non splendidior est, quam verior, Hectoris imago turmas suorum obeuntis[1]:

οἷος δ' ἐκ νεφέων ἀναφαίνεται οὔλιος ἀστὴρ,
παμφαίνων, τότε δ' αὖτις ἔδυ νέφεα σκιόεντα·
ὣς Ἕκτωρ ὁτὲ μέν τε μετὰ πρώτοισι φάνεσκεν,
ἄλλοτε δ' ἐν πυμάτοισι, κελεύων· πᾶς δ' ἄρα χαλκῷ
λάμφ', ὥστε στεροπὴ πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο.

[1] Il. xi. 62.

Videre mihi videor magnum illum Galliarum Regem, Henricum, qui et ipse *κορυθαίολος* erat: qui prœlii cujusdam initio his fere verbis exercitum est allocutus[k]: "Cavete quidquam intueamini pugnantes, præter candidam hanc cristam. Quoad hæc progredietur, vos progrediamini; nec unquam, nisi cum ea recedet, vos de loco cedendum putetis." Credibile est, Hectoris, sicut Henrici, conspicuam in acie fuisse formam, non tam armatura, quam rapido motu. Quod autem *οὔλιον* appellat sidus, sentiunt omnes quam præclaram ea vox significationem habeat. Jam enim non meris oculis, sed tanquam præsaga mente huc illuc volitantem cernimus.

Parem in dissimili materia vim præ se ferunt, quæ Hectora describunt navibus jam jamque imminentem: acerrima illa, et actuosa, et prorsus, ut verbo dicam, vera[l].

> Ἕκτωρ δὲ πρύμνης νεὸς ἥψατο ποντόποροιο,
> καλῆς, ὠκυάλου, ἢ Πρωτεσίλαον ἔνεικεν
> ἐς Τροίην, οὐδ' αὖτις ἀπήγαγε πατρίδα γαῖαν.

Videtur quasi ominis loco Protesilai navem præ cæteris nominare.

> τοῦπερ δὴ περὶ νηὸς Ἀχαιοί τε Τρῶές τε
> δῄουν ἀλλήλους αὐτοσχεδόν· οὐδ' ἄρα τοίγε
> τόξων αἴκὰς ἀμφὶς μένον, οὐδέ τ' ἀκόντων,
> ἀλλ' οἵγ' ἐγγύθεν ἱστάμενοι, ἑνὰ θυμὸν ἔχοντες,
> ὀξέσι δὴ πελέκεσσι καὶ ἀξίνῃσι μάχοντο,
> καὶ ξίφεσιν μεγάλοισι καὶ ἔγχεσιν ἀμφιγύοισιν.
> πολλὰ δὲ φάσγανα καλά, μελάνδετα, κωπήεντα,
> ἄλλα μὲν ἐκ χειρῶν χαμάδις πέσον, ἄλλα δ' ἀπ' ὤμων
> ἀνδρῶν μαρναμένων· ῥέε δ' αἵματι γαῖα μέλαινα.

Satisne declarat se cum bellantibus sentire, qui tam curiose gladios humi jacentes enumeret, partim in vagina reconditos, partim eductos?

[k] Ivreæ, A.D. 1590: vid. *Mém. de Sully*, lib. 3.

[l] Il. xv. 704.

> Ἕκτωρ δὲ πρύμνηθεν ἐπεὶ λάβεν, οὐχὶ μεθίει,
> ἄφλαστον μετὰ χερσὶν ἔχων, Τρωσὶν δὲ κέλευεν·
> οἵσετε πῦρ, ἅμα δ' αὐτοὶ ἀολλέες ὄρνυτ' ἀϋτήν·
> νῦν ἡμῖν πάντων Ζεὺς ἄξιον ἦμαρ ἔδωκεν,
> νῆας ἑλεῖν, αἳ δεῦρο θεῶν ἀέκητι μολοῦσαι,
> ἡμῖν πήματα πολλὰ θέσαν, κακότητι γερόντων·
> οἳ μ' ἐθέλοντα μάχεσθαι ἐπὶ πρύμνῃσι νέεσσιν,
> αὐτὸν τ' ἰσχανάασκον, ἐρητύοντό τε λαόν.

Equidem, cum ista lego, sentio vel ipsis verbis numerisque rem quasi cominus agi. Nec in ulla parte luculentæ illius picturæ (quoniam de talibus judicant et imperiti) manum bello exercitam desidero.

Verum in hujusmodi disputatione maxime dominantur, quæ minime ornandi gratia sunt adhibita: quippe quæ meram redolere videantur veritatem. Quo in censu habenda sunt ea quæ passim fiunt obvia de vulneribus heroum, lethique formis, etiam atque etiam de industria variatis. Mirabile est, quam diligentem in ea re posuerit operam: quæ quidem res nobis legentibus parere solet fastidium non leve. Hujusmodi extat insigne specimen ipso sub initio quinti libri. Versa videlicet in fugam Trojanorum acie, multus in eo fit Poeta, ut vulnera singulorum recenseat. Quo facto, quasi docemur quot fere plagarum generibus terga fugientium cædi possint. Mirifica sane sedulitas, si solius Poeticæ rationem habeas: sed facit ea res insigne veritatis indicium; præsertim cum isto sæculo, nondum divisis civium muneribus, suas quisque bellatorum plagas et nosse solitus sit, et, ut in re trepida, curare. Itaque omnes illæ narrationes, quæ quidem creberrimæ sunt, vehementer faciunt cum iis, qui Homerum haud inexpertum de præliantibus loqui judicant, sed in proprio quodam campo cum studio et amore exerceri.

Ac nescio sane, an illud eodem redire dixerim, quod sæpius apud Homerum fortissimi quoque viri adversariorum ruentium impetus declinant. Nulla isti religio est, si quando de Hectore, de Diomede, de Achille ipso dicitur,

ἀλλ' ὃ μὲν ἀντὰ ἴδων ἠλεύατο χάλκεον ἔγχος.

Non pudet saucios cohorruisse, viso sanguine[m]:

ῥίγησεν δ' ἄρ' ἔπειτα ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων,
ὡς εἶδεν μέλαν αἷμα καταῤῥέον ἐξ ὠτειλῆς·
ῥίγησεν δὲ καὶ αὐτὸς ἀρηΐφιλος Μενέλαος.
ὡς δὲ ἴδεν νεῦρόν τε καὶ ὄγκους ἐκτὸς ἐόντας,
ἀψορῥόν οἱ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν ἀγέρθη.

Vix tandem, provocati ab Hectore, respondent "ductores Danaum delecti, prima virorum."

αἰδέσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δείσαν δ' ὑποδέχθαι[n].

Quin et ipse Hector, jam tandem cum Ajace compositus, ab immota illa Stoicorum fortitudine non parum recedere videtur[o]:

..... Αἴας ὦρτο πελώριος, ἔρκος Ἀχαιῶν,
μειδιόων βλοσυροῖσι προσώπασι· νέρθε δὲ πόσσιν
ἧϊε μακρὰ βιβάς, κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος.
τὸν δὲ καὶ Ἀργεῖοι μέγ' ἐγήθεον εἰσορόωντες·
Τρῶας δὲ τρόμος αἰνὸς ὑπήλυθε γυῖα ἕκαστον,
Ἕκτορί τ' αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι πάτασσεν·
ἀλλ' οὔπως ἔτι εἶχεν ὑποτρέσαι, οὐδ' ἀναδῦναι
ἂψ λαῶν ἐς ὅμιλον, ἐπεὶ προκαλέσσατο χάρμῃ.

Quo tandem animo censeas illum fore, flagrante pugna, qui egregia hac clausula præliantium utrinque fortunas animosque uno sub aspectu posuerit[p]?

ἔνθα κεν οὔκετι ἔργον ἀνὴρ ὀνόσαιτο μετέλθων,
ὅστις ἔτ' ἄβλητος καὶ ἀνούτατος ὀξέϊ χαλκῷ
δινεύοι κατὰ μέσσον, ἄγοι δέ ἑ Παλλὰς Ἀθήνη,
χειρὸς ἑλοῦσ', αὐτὰρ βελέων ἀπερύκοι ἐρωήν.
πολλοὶ γὰρ Τρώων καὶ Ἀχαιῶν ἤματι κείνῳ
πρηνέες ἐν κονίῃσι παρ' ἀλλήλοισι τέταντο.

Venio nunc ad leviora quædam, quorum non diversa

[m] Il. iv. 148. [n] vii. 93. [o] Ib. 210. [p] iv. 539.

est ratio: nempe ut scriptorem prodant natum aptumque rebus agendis, et in minima quaque cura, quæ cum bellicis rebus conjungitur, bene doctum et expertum. Quale est illud de Sarpedone hasta percusso[q]:

> *οἱ μὲν ἄρ' ἀντίθεον Σαρπήδονα δῖοι ἑταῖροι*
> *ἐξέφερον πολέμοιο· βάρυνε δέ μιν δόρυ μακρὸν*
> *ἑλκόμενον· τὸ μὲν οὔτις ἐπέφρασατ', οὐδ' ἐνόησεν,*
> *μηροῦ ἐξέρυσαι δόρυ μείλινον, ὄφρ' ἐπιβαίη,*
> *σπευδόντων· τοῖον γὰρ ἔχον πόνον ἀμφιέποντες.*

Vel ea, quæ Diomedem describunt[r],

> *.....παρ' ἵπποισιν καὶ ὄχεσφιν*
> *ἕλκος ἀναψύχοντα, τό μιν βάλε Πάνδαρος ἰῷ.*
> *ἰδρὼς γάρ μιν ἔτειρεν ὑπὸ πλατέος τελαμῶνος*
> *ἀσπίδος εὐκύκλου· τῷ τείρετο, κάμνε δὲ χεῖρα·*
> *ἂν δ' ἴσχων τελαμῶνα, κελαινεφὲς αἷμ' ἀπομόργνυ.*

Neque multum hinc abludunt, quæ sedulo aguntur, nocturno illo impetu, occiso Rheso[s]:

> *ὄντινα Τυδείδης ἄορι πλήξειε παραστὰς,*
> *τὸν δ' Ὀδυσεὺς μετόπισθε λαβὼν πόδος ἐξερύσασκεν,*
> *τὰ φρονέων κατὰ θυμὸν, ὅπως καλλίτριχες ἵπποι*
> *ῥεῖα διέλθοιεν, μηδὲ τρομείατο θυμῷ,*
> *νεκροῖς ἀμβαίνοντες· ἀήθεσσον γὰρ ἔτ' αὐτῶν....*
> *σὺν δ' ἤειρεν ἰμᾶσι, καὶ ἐξήλαυνεν ὁμίλου,*
> *τόξῳ ἐπιπλήσσων· ἐπεὶ οὐ μάστιγα φαεινὴν*
> *ποικίλου ἐκ δίφροιο νοήσατο χερσὶν ἕλεσθαι.*

Accedat nobilis Hectoris pictura, saxo frangentis Achivorum portas[t]:

> *στῆ δὲ μάλ' ἐγγὺς ἰών, καὶ ἐρεισάμενος βάλε μέσσας,*
> *εὖ διαβὰς, ἵνα μή οἱ ἀφαυρότερον βέλος εἴη.*

Etiam in re non absimili Patroclus[u]:

> *.....ἀφ' ἵππων ἅλτο χαμᾶζε,*
> *σκαιῇ ἔγχος ἔχων· ἑτέρῃφι δὲ λάζετο πέτρον*
> *μάρμαρον, ὀκριόεντα, τόν οἱ περὶ χεὶρ ἐκάλυψεν.*

Erat videlicet lapis acutior et longior, qualis projicienti commodissimam præberet ansam: idque, ut

[q] Il. v. 663. [r] Ib. 794. [s] x. 489. [t] xii. 457. [u] xvi. 733.

opinor, cum animo cerneret Poeta, optime repræsentari curavit per illud,

τόν οἱ περὶ χεὶρ ἐκάλυψεν.

Quid, quæ in mentem Agenori veniunt, summo vitæ ac mortis periculo[x]?

εἰ δ' ἂν ἐγὼ τούτους μὲν ὑποκλονέεσθαι ἐάσω
Πηλείδῃ Ἀχιλῆϊ, ποσὶν δ' ἀπὸ τείχεος ἅλλῃ
φεύγω πρὸς πεδίον Ἰλήϊον, ὄφρ' ἂν ἵκωμαι
Ἰδῃς τε κνημούς, κατά τε ῥωπήϊα δύω·
ἐσπέριος δ' ἂν ἔπειτα, λοεσσάμενος ποταμοῖο,
ἱδρῶ ἀποψυχθεὶς, ποτὶ Ἴλιον ἀπονεοίμην.

Num ea sunt, quæ facile ab imbelli quovis et delicato excogitari potuerint? Qui magnifica omnia crepant, num ferant æquo animo "sudoris abluendi" mentionem fieri, tam gravi rerum discrimine? Qua tamen ipsa, cum ventum ad verum est, nihil potuit aptius induci. Nam nescio quomodo mentes hominum, gravissimis temporibus, minima quæque tangunt: vel quia pleno quasi poculo doloris ne guttam quidem facile patiuntur infundi: vel quia germanæ fortitudinis est, quotidianas hasce molestias curare, ne anxie nimis de summa rerum cogitent.

Atque in hoc genere venia sit exemplum proferenti de recentiore memoria sumptum. Nostis utique nobilem fœminam, quæ in Occidentali Gallia res suorum afflictas perditasque, quadraginta abhinc annis, egregie narravit. Illa, summo dolore affecta, exuta bonis, moribundo marito, prædones omnium crudelissimos fugiens, postquam omnia acerba ac funesta descripserat, non veretur illud addere, quod ab istis grandiloquis, si quid aliud, abhorreat: nam cum ea pedibus sequeretur lecticam saucii conjugis, arcta solea plantas, ut fit, lædi ac constringi queritur[y].

[x] Il. xxi. 556. [y] *Mém. de Madame de La Roche Jacquelein*, chap. xiv.

Gemella sunt hæc, atque ea, quæ modo de Agenore memorabam: eoque studiosius a nobis erant excitanda, quo solent homines in tali materia magnorum Poetarum dicta liberius carpere.

His omnino consentaneum erat, ut in epulis etiam instruendis curam Homerus non mediocrem poneret. Hinc illa decies repetita,

> αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ' ἑκάη, καὶ σπλάγχν' ἐπάσαντο,
> μίστυλλόν τ' ἄρα τἄλλα, καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν,
> ὤπτησάν τε περιφραδέως, ἐρύσαντό τε πάντα.
> αὐτὰρ ἐπεὶ παύσαντο πόνου, τετύκοντό τε δαῖτα,
> δαίνυνθ', οὐδέ τι θυμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐΐσης.

Hinc, quod Ajaci præmii loco venit potior victimæ pars[z].

> νώτοισιν δ' Αἴαντα διηνεκέεσσι γέραιρεν
> ἦρως Ἀτρείδης, εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων.

Hinc Patroclo in laudibus ponitur (id quod nostri quoque majores generosos nobilium sive famulos sive alumnos sedulo docebant) scite cum ac gnaviter dapes parare, mensamque herilem ornare novisse[a]:

> ἦ ῥά νύ μοί ποτε καὶ σὺ, δυσάμμορε, φίλταθ' ἑταίρων,
> αὐτὸς ἐνὶ κλισίῃ λαρὸν παρὰ δεῖπνον ἔθηκας
> αἶψα καὶ ὀτραλέως, ὁπότε σπερχοίατ' Ἀχαιοί
> Τρωσὶν ἐφ' ἱπποδάμοισι φέρειν πολύδακρυν Ἄρηα.

Suavissima hæc memoriam revocant hospitii illius castrensis, quo accipiuntur in nono libro legati Agamemnonis[b]:

> πῦρ δὲ Μενοιτιάδης δαΐεν μέγα, ἰσόθεος φώς.
> αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ πῦρ ἑκάη, καὶ φλὸξ ἐμαράνθη,
> ἀνθρακιὴν στορέσας, ὀβελοὺς ἐφύπερθε τάνυσσεν,
> πάσσε δ' ἁλὸς θείοιο, κρατευτιάων ἐπαείρας.
> αὐτὰρ ἐπεὶ ῥ' ὤπτησε, καὶ εἰν ἐλεοῖσιν ἔχευεν,
> Πάτροκλος μὲν σῖτον ἐλὼν ἐπένειμε τραπέζῃ,

[z] Il. vii. 321. [a] xix. 315. [b] ix. 209.

καλοῖς ἐν κανέοισιν· ἀτὰρ κρέα νεῖμεν Ἀχιλλεύς.
αὐτὸς δ' ἀντίον ἷζεν Ὀδυσσῆος θείοιο,
τοίχου τοῦ ἑτέροιο· θεοῖσι δὲ θῦσαι ἀνώγει
Πάτροκλον, ὃν ἑταῖρον· ὁδ' ἐν πυρὶ βάλλε θυηλάς.

Hæc omnia militem sapiunt: neque de iis recte judicare poterit quispiam, nisi qui vitæ castrensis, vel etiam navalis, (quoniam quidem ea nobis Anglis magis in promptu est,) rationem bene perspectam habuerit.

Proxime ab epulis veniunt ludi: quorum, ut et venationis, ea vis est, ut per omnia belli et Martis insigne quoddam exemplar præ se ferant. Sed in isto loco ne diutius moremur facit ipsius rei evidentia. Illud modo animadversum velim; mirum quantum in hac parte Homerum inter ac Pindarum interesse. Homerus quippe, tanquam unus athletarum, nunc huic nunc illi certamini incumbit: cum voluptate quodam et studio, quæ sint agenda, quæ vitanda, persequitur. Contra, Pindaro, per tot carmina, vix semel atque iterum invenies rem justo certamine agi: quin primo quoque loco, occasionem nactus, longe lateque gestit excurrere. Quod sicubi tempus adveniet de Pindaricis ipsis disserendi, hunc locum, ut potero, excutere decrevi. Sed enim hoc tempore tangendum putabam, cum is non parum ad indolem Homeri demonstrandam pertineat.

Jam currus, equos, arma, reliquum bellicæ gloriæ instrumentum, non fieri potuit quin magni faceret qui studiis adeo impensis ad bellum omnia retulerit. Ac de armis quidem palmaria sunt, quæ Thetin apud Achillis tentoria donis Vulcani oneratam effingunt[c]:

.....θεὰ κατὰ τεύχε' ἔθηκεν
πρόσθεν Ἀχιλλῆος· τὰ δ' ἀνέβραχε δαίδαλα πάντα.

[c] Il. xix. 12.

Μυρμιδόνας δ' ἄρα πάντας ἔλε τρόμος, οὐδέ τις ἔτλη
ἄντην εἰσιδέειν, ἀλλ' ἔτρεσαν· αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς
ὡς εἶδ', ὥς μιν μᾶλλον ἔδυ χόλος· ἐν δέ οἱ ὅσσε
δεινὸν ὑπὸ βλεφάρων, ὡσεὶ σέλας, ἐξεφάανθεν·
τέρπετο δ' ἐν χείρεσσιν ἔχων θεοῦ ἀγλαὰ δῶρα.

Ne autem putet aliquis hæc tanquam dona Dei laudari, non *πανοπλίας* ipsius gratia, legantur, quæ splendidissime ponunt Danaos se ad prœlium accingentes : quorum certe mortalia erant arma[d].

ὡς δ' ὅτε ταρφειαὶ νιφάδες Διὸς ἐκποτέονται,
ψυχραὶ, ὑπὸ ῥιπῆς αἰθρηγενέος Βορέαο,
ὡς τότε ταρφειαὶ κόρυθες, λαμπρὸν γανόωσαι
νηῶν ἐκφορέοντο, καὶ ἀσπίδες ὀμφαλοέσσαι,
θώρηκές τε κραταιγύαλοι καὶ μείλινα δοῦρα.
αἴγλη δ' οὐρανὸν ἷκε, γέλασσε δὲ πᾶσα περὶ χθὼν
χαλκοῦ ὑπὸ στεροπῆς· ὑπὸ δὲ κτύπος ὦρνυτο ποσσὶν
ἀνδρῶν· ἐν δὲ μέσοισι κορύσσετο δῖος Ἀχιλλεύς·
τοῦ καὶ ὀδόντων μὲν καναχὴ πέλε· τὼ δέ οἱ ὅσσε
λαμπέσθην, ὡσεί τε πυρὸς σέλας· ἐν δέ οἱ ἦτορ
δῦν' ἄχος ἄπλητον· ὁ δ' ἄρα Τρωσὶν μενεαίνων
δύσετο δῶρα θεοῦ, τά οἱ Ἥφαιστος κάμε τεύχων.

Hæc omnia flamma vividius emicant.

Leniora sunt, eundem tamen animum declarant, quibus explicatur, quo arcu Pandarus, quo thorace gaudeat Agamemnon: quave armatura mutuo sumpta, se ad nocturnas illas insidias paraverint Diomedes et Ulysses.

Quale porro est illud, quod ea omnia, currus, equos, arma, Dis quoque ipsis tribui curavit! non modo Minervæ galeam et ægida, Apollini arcum et sagittas, sed et Junoni currum, Neptuno, immo etiam summo Jovi, quæcunque ad heroicum ornatum pertinent.

ὣς εἰπὼν ὑπ' ὄχεσφι τιτύσκετο χαλκόποδ' ἵππω,
ὠκυπέτα, χρυσέῃσιν ἐθείρῃσιν κομόωντε·

[d] Il. xix. 357.

χρυσὸν δ' αὐτὸς ἔδυνε περὶ χροΐ, γέντο δ' ἱμάσθλην
χρυσείην, εὔτυκτον, ἑοῦ δ' ἐπεβήσατο δίφρου.
μάστιξεν δ' ἐλάαν· τὼ δ' οὐκ ἄκοντε πετέσθην
μεσσηγὺς γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος.
Ἴδην δ' ἵκανεν πολυπίδακα, μητέρα θηρῶν,
Γάργαρον, ἔνθα δέ οἱ τέμενος, βωμός τε θυήεις·
ἔνθ' ἵππους ἔστησε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε,
λύσας ἐξ ὀχέων, κατὰ δ' ἠέρα πουλὺν ἔχευεν.
αὐτὸς δ' ἐν κορυφῇσι καθέζετο, κύδεϊ γαίων,
εἰσορόων Τρώων τε πόλιν καὶ νῆας Ἀχαιῶν[e].

At enim dicat aliquis, ad captum illius ætatis accommodari omnia; nil adeo planum facere de ipsius Homeri studiis. Primum, illud velis equisque, ut aiunt, obtinendum puto: mediocrium esse Poetarum, ut sæculo obtemperent, Homeri, et siqui Homeri similes extiterunt, ut suam potius formam faciemque æqualibus suis imprimere valeant. Deinde, quibus maxime indiciis quid sibi velint aperiunt magni scriptores, ea inveniuntur hic loci omnia. Nusquam fluunt carmina facilius, nusquam aut torrentior verborum copia, aut liquidius explicata imaginum varietas, quam ubi Deos ad prælia accingit.

αὐτὰρ Ἀθηναίη, κούρη Διὸς αἰγιόχοιο,
πέπλον μὲν κατέχευεν ἑανὸν πατρὸς ἐπ' οὖδει,
ποίκιλον, ὅν ῥ' αὐτὴ ποιήσατο καὶ κάμε χερσίν·
ἡ δὲ χιτῶν' ἐνδῦσα Διὸς νεφεληγερέταο,
τεύχεσιν ἐς πόλεμον θωρήσσετο δακρυόεντα.
ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν.
* * *
κρατὶ δ' ἐπ' ἀμφίφαλον κυνέην θέτο τετραφάληρον,
χρυσείην, ἑκατὸν πολίων πρυλέεσσ' ἀραρυῖαν.
ἐς δ' ὄχεα φλόγεα ποσὶ βήσετο· λάζετο δ' ἔγχος
βριθὺ, μέγα, στιβαρόν, τῷ δάμνησι στίχας ἀνδρῶν
ἡρώων, τοῖσίν τε κοτέσσεται ὀβριμοπάτρη[f].

Ut concedamus, popularia esse, quæ narrantur, narrantis tamen vivida vis et simplex quæ dicitur

[e] Il. viii. 41. [f] v. 733.

ἐναργεία satis demonstrant cum populo illum sensisse.

Sed in omni hoc genere primas facile tenent ea, quæ de bellantium equis non tam frequentia, quam apta, et gravia, et affectu plena legimus. Decuit nimirum illum Poetam, cujus quasi Martius clangor omni in ævo militantes erat accensurus, ut cum amore quodam eximio perpetuum celebraret comitem famulumque militiæ. Ac mitto ea, quæ per ipsos numeros, effuso quodam et libero motu suis quasi deliciis exultantem indicant:

> ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ,
> δεσμὸν ἀποῤῥήξας θείῃ πεδίοιο κροαίνων,
> εἰωθὼς λούεσθαι ἐϋῤῥεῖος ποταμοῖο,
> κυδιόων· ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται
> ὤμοις ἀΐσσονται· ὁ δ' ἀγλαΐῃφι πεποιθὼς,
> ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει μετά τ' ἤθεα καὶ νομὸν ἵππων [g].

Fracto abruptoque verborum ordini non prorsus inepte respondet cursus ille omni lege solutus:

> ὁ δ' ἀγλαίῃφι, κ. τ. λ.

Sed ea malebam hodie exquirere, quæ nobilium quorundam equorum fata ac fortunas cum summa rerum Iliacarum conjungunt, ipsosque, gravissimo quoque tempore, velut eorum quæ aguntur participes, immo et conscios, inducunt. Primo Diomedes, extremo vitæ periculo, nihil tam anxie agit, quam ne hostium equi effugiant.

> αἴ κέν μοι πολύβουλος Ἀθήνη κῦδος ὀρέξῃ,
> ἀμφοτέρω κτεῖναι, σὺ δὲ τούσδε μὲν ὠκέας ἵππους
> αὐτοῦ ἐρυκακέειν, ἐξ ἄντυγος ἡνία τείνας·
> Αἰνείαο δ' ἐπαΐξαι μεμνημένος ἵππων,
> ἐκ δ' ἐλάσαι Τρώων μετ' ἐϋκνήμιδας Ἀχαιούς [h].

[g] Il. vi. 506. [h] v. 260.

Audite etiam postero die, propriis jam equis, ut fit, sese jactantem[i]:

> οἷοι Τρῳῖοι ἵπποι, ἐπιστάμενοι πεδίοιο
> κραιπνὰ μάλ' ἔνθα καὶ ἔνθα διωκέμεν ἠδὲ φέρεσθαι.

Longe alia mens est Hectoris, alia, ad equos versa, oratio.

> νῦν μοὶ τὴν κομιδὴν ἀποτίνετον, ἣν μάλα πολλὴν
> Ἀνδρομάχη, θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος,
> ὑμῖν πὰρ προτέροισι μελίφρονα πυρὸν ἔθηκεν,
> οἶνόν τ' ἐγκεράσασα πιεῖν, ὅτε θυμὸς ἀνώγοι,
> ἣ ἐμοὶ, ὅσπερ οἱ θαλερὸς πόσις εὔχομαι εἶναι[j].

Quæ licet grammatici nonnulli, festivi homines, Homero abjudicent; mihi tamen, ut quæ maxime, Hectoream indolem sapere videntur: neque immerito componi posse cum Achilleis, jam antea laudatis, quibus nihil in hujusmodi argumento splendidius.

> Ξάνθε τε καὶ Βαλίε, τηλεκλυτὰ τέκνα Ποδάργης,
> ἄλλως δὴ φράζεσθε σαωσέμεν ἡνιοχῆα
> ἂψ Δαναῶν ἐς ὅμιλον, ἐπεί χ' ἑῶμεν πολέμοιο,
> μηδ', ὡς Πάτροκλον, λίπετ' αὐτοῦ τεθνηῶτα[k].

Atque ea quidem hoc tempore protuli, non quo docerem, mire sibi constare vel in minimis singulos heroas, sed quo planius facerem, etiam in hac parte, tanquam in re multum dilecta, diligentem ab Homero operam navari.

Sed quoniam equorum Achillis incidit mentio, religio esset gravissimum præterire carmen, quo illi desiderio Patrocli lacrymantes inducuntur. Itaque illo, tanquam palmari, universum hunc locum concludere decrevi: qui quidem locus in eo totus versatur, ut Homerum militaribus quasi oculis nihil non aspexisse contendat.

> ἵπποι δ' Αἰακίδαο, μάχης ἀπάνευθεν ἐόντες,
> κλαῖον, ἐπειδὴ πρῶτα πυθέσθην ἡνιόχοιο

[i] Il. viii. 105. [j] v. 222. [k] xix. 400.

ἐν κονίῃσι πεσόντος ὑφ' Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο.
ἦ μὰν Αὐτομέδων, Διώρεος ἄλκιμος υἱός,
πολλὰ μὲν ἂρ μάστιγι θοῇ ἐπεμαίετο θείνων,
πολλὰ δὲ μειλιχίοισι προσηύδα, πολλὰ δ' ἀρειῇ·
τὼ δ' οὐτ' ἂψ ἐπὶ νῆας ἐπὶ πλατὺν Ἑλλήσποντον
ἠθελέτην ἰέναι, οὐτ' ἐς πόλεμον μετ' Ἀχαίους[l]·

Norunt enim omnes, equis id usu venire, ut in magna quaque turba ac trepidatione, qualis fit incensis stabulis, fixi stent prorsus atque immobiles. Neque vero hic loci de portento aliquo cogitandum est: quis enim nescit, canes, equos, genera quæque mansuetiora bestiarum non raro nobiscum sentire, amisso præsertim illo qui pabulum dare consueverat?

ἀλλ', ὥστε στήλη μένει ἔμπεδον, ἠ' ἐπὶ τύμβῳ
ἄνερος ἑστήκει τεθνειότος, ἠὲ γυναικός.

Videtis plane, similitudinem quæri unice habilem aptamque lugentibus: quacum bene quis poterit conferre quæ magnus ille Shaksperus habet de puella macie confecta[m]:

.....velut in tacito Patientia busto
Æternum sedet, æternum tranquilla tuetur,
Excipit et placido Mœrorem lumine.

Hæc ille: cui tamen in mentem Homerica venisse nemo omnium judicabit. Simplicius quidem, re ipsa postulante, Homerus: uterque facultate quadam præclara (neque enim artem didicerant) eandem imaginem pro re nata sic variavit, ut nihil elegantius. Sed ad Homerica revertamur:

ὣς μένον ἀσφαλέως, περικάλλεα δίφρον ἔχοντε,
οὔδει ἐνισκίμψαντε καρήατα· δάκρυα δέ σφι
θερμὰ κατὰ βλεφάρων χαμάδις ῥέε μυρομένοισιν,
ἠνιόχοιο ποθῇ· θαλερὴ δὲ μιαίνετο χαίτη,
ζεύγλης ἐξεριποῦσα παρὰ ζυγὸν ἀμφοτέρωσε.
μυρομένω δ' ἄρα τώ γε ἰδὼν ἐλέησε Κρονίων,
κινήσας δὲ κάρη, προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν·

[l] Il. xvii. 426.

[m] *Twelfth Night*, Act ii. sc. 4.

Digna sane pio vate et sapientissimo viro sententia, Jovi curæ esse non homines modo, sed et universum animantium gregem. Quas autem cogitationes Summo attribuit Numini, nescio equidem an nihil iis gravius in vetere philosophia dixerim inveniri:

> *Ἆ δειλὼ, τί σφῶϊ δόμεν Πηλῆϊ ἄνακτι*
> *θνητῷ, ὑμεῖς δ' ἐστὸν ἀγήρω τ', ἀθανάτω τε;*
> *ἦ ἵνα δυστήνοισι μετ' ἀνδράσιν ἄλγε' ἔχητον;*
> *οὐ μὲν γάρ τί που ἐστὶν οἰζυρώτερον ἀνδρὸς*
> *πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἐπὶ πνείει τε καὶ ἕρπει*[m].

Tetigit utique rem omnium obscurissimam, quæ nobis adhuc, de cælo doctis, arcani vim ac rationem tenet: Quanam videlicet lege fiat, ut immerentia quoque bruta miserorum mortalium malis sæpissime obruantur.

Ipsa adeo difficultas facit, ut non in illis solum quæ modo recensuimus, verum etiam per omnem hunc campum Poetarum, qui de brutis animalibus est, possimus etiamnum plane assequi mentem animumque scriptorum veterum: quod contra plerumque fit, ob sacra mutata, in iis rebus quæ ad vitam hominum moresque pertinent. Id quod planius disputatum iri spero, cum ea quæ restant de Iliade tractanda venient: quorum ea vis esse debebit, ut, qualis fuerit Homeri mens et indoles, non jam ex iis quæ narraverit, sed ex imaginibus undique petitis, omnique ornatus poetici delectu, tum rerum, tum verborum, judicetur.

[m] Il. xvii. 443.

PRÆLECTIO DECIMA.

De Homericis judicaturus debet primo res Orientales, deinde mores agrestium, diligenter inspexisse. Probatur tum imaginum delectu, tum genere dicendi, Iliadis scriptorem egisse vitam sub dio, et egenam quidem. Quid sit, quod pueris adeo placeat Homerus.

QUONIAM id hoc tempore suscepimus, ut eam expenderemus Homerici instrumenti partem, quæ tum ad imagines ornandi gratia sumptas, tum ad genus dicendi pertinet: non abs re fore judicavi, Academici, si paucis hodie docceam, quibus maxime subsidiis usus poterit quis Homeri personam induere, seque plane eum esse fingere.

Etenim, (quod ante non semel audistis) facilius se posteris commendant qui rura, otium, umbras, amores celebrant: sed mutata penitus vivendi ratione, vereor ne frigere incipiat actuosum illud, ac vividum, ac curiose moratum genus. Eoque divinior Homerus noster: qui cum totus in eo genere versetur, nulli tamen sæculo non carissimus extiterit.

Tantum potuit color ille verus, sensusque non Graiorum modo sed et hominum omnium communis. Quo magistro, nos etiam, qui vitam e castris longissime remotam degimus, nescio quomodo per omnia videmur odorare bellicosam Poetæ indolem et plane heroicam. Eas quippe similitudines, easque sententias, quin et eas verborum clausulas non tam venatur ille quam sponte occurrentes rapit, quas militi cuivis sub dio agenti credibile est in animum venturas.

Atque ut de his fidentius loquar faciunt illa quæ modo memoravi subsidia; quæ plurima comparari posse arbitror partim ex Libris Sacrosanctis, partim ex quotidiano sermone plebeiorum hominum, præsertim agricolarum.

Ac primo dicimus, non potuisse fieri, quin multum in Homericis valeret assidua Vatum Hebræorum lectio: nam satis constat eundem utrisque magna certe ex parte viguisse bellandi, immo etiam vivendi tenorem. Domi, foris; pugnando, epulando; hospitio, sermone, amictu, passim heroicum aliquid Judaica sapit antiquitas.

Accedit illud non leve, quod ea fere cuncta divinitus scripserint homines eadem fere conditione, qua nos Homerum fuisse auguramur; non otiosi, neque summo loco geniti, sed rebus agendis, si qui alii, maxime apti et exercitati.

Tum, quod omnium maximum est, dum ista legimus, certo scimus veritatem ipsam nos intueri; ne minimam quidem partem, iis narrantibus, de summa historiæ oportere deminui. Itaque ex illis, velut exploratis ac cognitis, Homerus cæterique erunt æstimandi. Qui bene cum sacris conveniunt

literis, illos omnino judicemus cum natura veroque convenire, vivumque servare heroicæ nationis exemplar.

Præterea apud Homerum fortasse plus aliquanto quam apud alios plerosque juvare poterunt Hebraicæ literæ, propterea quod ille Asiaticus fuit, dimidia certe sui parte. Quo fit, ut apud eum universa cœli, maris, terrarum facies iis maxime coloribus imbuatur, qui necesse est indies incurrerint in oculos assueto vel campestri Asiæ vel litoribus Ægæi maris.

Exempli loco sit torridus ille nimbus, non imbrium sed caloris nuncius, qui Martem ex prælio abeuntem mirifice adumbrat [a]:

> οἵη δ' ἐκ νεφέων ἐρεβεννὴ φαίνεται ἄηρ,
> καύματος ἐξ ἀνέμοιο δυσάεος ὀρνυμένοιο,
> τοῖος Τυδείδῃ Διομήδεϊ χάλκεος Ἄρης
> φαίνετ', ὁμοῦ νεφέεσσιν ἴων εἰς οὐρανὸν εὐρύν.

Etiam, similitudine de more adhibita, si quæ forte describenti exciderint, quæ situm monstrent locorum, ea semper fere declarant haud procul ab ipsa Troade degentem [b].

> ὡς δ' ἄνεμοι δύο πόντον ὀρίνετον ἰχθυόεντα,
> Βορέης καὶ Ζέφυρος, τώ τε Θρῄκηθεν ἄητον· . . . .
> . . . . ὥστ' ὀρνίθων πετεήνων ἔθνεα πολλὰ,
> χήνων, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δουλιχοδείρων,
> Ἀσίῳ ἐν λείμωνι, Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα [c].

Denique, id quod latissime patet, creberrima illa leonum mentio optime convenit in Lydum aliquem aut Carem, in Hellenem minus bene. Nemo enim ullo tempore, quod sciam, leonibus abundasse Græciam docuit: sed cum iis familiariter se vixisse præ se fert Iliadis scriptor.

Ac velim equidem aliquis eorum qui Orientem

[a] Il. v. 864. [b] ix. 4. [c] ii. 459.

bene norunt ista perscrutetur paullo accuratius. Suspicor plane ea non minorem veritatis admirationem quam ingenii habitura: quæ, ut nunc res est, non frigent illa quidem, suis tamen laudibus magna ex parte carent: non modo propter materiem nostris oculis nimis alienam, verum etiam propter insulsos imitatores, qui belluas sibi penitus ignotas, multis jam sæculis, Homero auctore, canunt. Nolite autem putare vos eadem legere toties repetita, quoties in Iliade leones nominantur. Nusquam potentius aut legit aut variat imagines: oculis videre videmur per dumeta ferocem bestiam, nunc insilientem stabulis pastorum, nunc telis, nunc clamore vexatum, nunc dapibus suis intentum, cæsa vel capra vel hinnuleo; nunc (qui mos est illis) catulos ore solicite portantem[d]:

> Αἴας δ' ἀμφὶ Μενοιτιάδῃ σάκος εὐρὺ καλύψας,
> ἑστήκει, ὥς τίς τε λέων περὶ οἷσι τέκεσσιν,
> ᾧ ῥά τε νήπιʼ ἄγοντι συναντήσωνται ἐν ὕλῃ
> ἀνδρὲς ἐπακτῆρες· ὁ δέ τε σθένεϊ βλεμεαίνει·
> πᾶν δέ τ' ἐπισκύνιον κάτω ἕλκεται, ὄσσε καλύπτων·
> ὣς Αἴας περὶ Πατρόκλῳ ἥρωϊ βεβήκει.

Asiam ea omnia, non Europam sapiunt. Quod et in aliis feris apparet, ex quibus interdum similia duci videmus: quales sunt tum Θῶες illi *ὠμόφαγοι*, notissimi leonum toto Oriente comites, tum Panthera, minoris Asiæ, Ciceronis quoque temporibus, incola[e]: cujus atrocissimam fortitudinem Homerus tam clare depingit, ut rem sibi non semel visam præ oculis ponere videatur[f].

> .....Ἀχιλῆα ἀλεὶς μέτεν· ἐν δέ οἱ ἦτορ
> ἄλκιμον ὥρμαϑο πτολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι.

[d] Il. xvii. 132. [e] Ad. Fam. viii. 9. et alibi. [f] Il. xxi. 571.

ἠΰτε πάρδαλις εἶσι βαθείης ἐκ ξυλόχοιο
ἀνδρὸς θηρητῆρος ἐναντίον, οὐδέ τι θυμῷ
ταρβεῖ, οὐδὲ φοβεῖται, ἐπεί κεν ὕλαγμὸν ἀκούσῃ·
εἴπερ γὰρ φθάμενός μιν ἢ οὐτάσῃ, ἥε βάλῃσιν,
ἀλλά τε καὶ περὶ δουρὶ πεπαρμένη οὐκ ἀπολήγει
ἀλκῆς, πρὶν γ' ἥε ξυμβλήμεναι, ἥε δαμῆναι·
ὣς Ἀντήνορος υἱὸς ἀγαυοῦ, δῖος Ἀγήνωρ,
οὐκ ἔθελεν φεύγειν, πρὶν πειρήσαιτ' Ἀχιλῆος.

Hæc habui, quæ planius explicarent quantum is in Homericis profecerit, qui in rebus Asiaticis non sit omnino hospes, sacrosancto illo volumine diligenter lecto.

Venio nunc ad alterum quasi locum indiciorum, quorum ope fortasse clarior fiet universa Homericæ Poeseos ratio. Conferatis velim cum ea sermones agrestium, cum illi aut res gestas narrant, aut visas curiosius paullo verbis adumbrant. Mirifica, ni fallor, invenietur horum consensio.

Principio. Homerus, similitudine declaranda, simplices plerumque et apertas proponere amat rerum effigies, qualesque primo statim aspectu vel indoctorum oculos feriant. Domos quidem ipsas sive sedes imaginum jure admiramur apud eum adeo paucas numerari posse, cum imagines ipsæ prodeant liberrima copia, infinita varietate. Adeo quod in musicis fit, ut septem modo vocum discrimina satis faciant omni divinæ artis amplitudini; id in Homero quoque, cantorum principe, locum habet. Sex septemve generibus adhibitis, universam ille rerum Iliacarum, vitæque heroicæ silvam similitudinibus expressit.

Quo in numero principatum obtinent ea, quæ cœli faciem nunc tranquillam nunc ventis nubibusque commotam depingunt. Cognoscite, quæso, pauca de multis, quo planius perspectum habeatis. Homerum non domi sedentem neque otiosum ea

contemplari, sed usu peritum maris, viarum, militiæ[g].

> Οἱ δὲ, μέγα φρονέοντες, ἐπὶ πτολέμοιο γεφύραις
> εἵατο πανννχίοι· πυρὰ δέ σφισι καίετο πολλά.
> ὡς δ' ὅτ' ἐν οὐράνῳ ἄστρα φαείνην ἀμφι σελήνην
> φαίνετ' ἀριπρέπεα, ὅτε τ' ἔπλετο νήνεμος αἴθηρ·
> ἐκ τ' ἔφανεν πᾶσαι σκοπίαι καὶ πρωόνες ἄκραι,
> καὶ νάπαι· οὐρανόθεν δ' ἄρ' ὑπερῤῥάγη ἄσπετος αἰθηρ·
> πάντα δέ τ' εἴδεται ἄστρα· γέγηθε δέ τε φρένα ποίμην.
> τοσσὰ, μεσηγὺ νεῶν ἠδε Ξάνθοιο ῥοάων,
> Τρώων καιόντων πυρὰ φαίνετο Ἰλίοθι πρό.

Intelligitis profundum et liquidum aera, æstate media, procelloso tempore, remotis paulisper nubibus: Lunam, peracta jam quarta fere sui parte, ita universo fulgere cœlo, ut minores quæque stellæ obscurentur, majores appareant ad unam omnes: tum montium juga, tum litoreæ rupes, tum, quæ sint sylvosa loca, quæ nuda, vix demum cerni: ne temere id adjici putes, exultare Pastorem, vetere velut hospite viso iterum longo post tempore.

Alium locum expendamus[h]:

> Εὖτ' ὄρεος κορυφῇσι Νότος κατέχευεν ὁμίχλην,
> ποιμέσιν οὔτε φίλην, κλέπτῃ δέ τε νυκτὸς ἀμείνω,
> τοσσόν τίς τ' ἐπιλεύσσει, ὅσον τ' ἐπὶ λᾶος ἐρωήν.

Satisne vobis videtur declarare animum pastoralibus curis exercitum et intentum, quod non ut plerique ex adjunctis captat ornatum, sed gregi statim quid noceat cogitare cœpit? Illud autem cuivis inpromptu fore crediderim, quam bene referant hi versus usitatum hominis rusticani sermonem, sua semper pensa meditantis, sive de fluminibus et sylvis, sive de cœli tempestatibus, sive de alia re quapiam habeatur quæstio.

Tertio loco veniant illa de unda maris, tenebris procul inhorrescente[i]:

> ὡς δ' ὅτ' ὑπὸ σκοπιῆς εἶδεν νέφος αἴπολος ἀνὴρ,
> ἐρχόμενον κατὰ πόντον ὑπὸ Ζεφύροιο ἰωῆς

[g] Il. viii. 553. [h] iii. 10. [i] iv. 274.

τῷ δὲ τ' ἄνευθεν ἔοντι, μελάντερον, ἠΰτε πίσσα,
φαίνετ' ἰὸν κατὰ πόντον, ἄγει δέ τε λαίλαπα πολλήν·
ῥίγησέν τε ἰδών· ὑπό τε σπέος ἤλασε μῆλα·
τοῖαι ἅμ' Αἰάντεσσι Διοτρεφέων αἰζηῶν
δήϊον ἐς πόλεμον πυκιναὶ κίνυντο φάλαγγες
κυάνεαι, σάκεσίν τε καὶ ἔγχεσι πεφρικυῖαι.

Atque innumera sunt ejusmodi: quæ quoties lego, sentio plane, Homerum in similibus conquirendis eundem plane quem in rebus narrandis extitisse. Verissime de utrisque Aristoteles: Ὀλίγα *φροιμιασάμενος, εὐθὺς εἰσάγει ἄνδρα ἢ γυναῖκα, ἢ ἄλλο τι ἦθος· καὶ οὐδὲν ἄηθες, ἀλλ' ἔχον ἦθος.* Adeo ne motam quidem nubeculam, fluviive lapsum, non cum humanis rebus conjungere solet, humanitatis peritissimus.

Sunt et illa magis aperta et directa, quæ, imaginibus ex opere rustico petitis, aliud agendo, rusticum produnt animum[k].

. . . . . ἐν πεδίῳ πῦρ δαίετο, καῖε δὲ νεκρούς· . . . .
ὡς δ' ὅτ' ὀπωρινὸς Βορέης νεοάρδε' ἀλωὴν
αἶψ' ἀνξηράνῃ, χαίρει δέ μιν ὅστις ἐθείρῃ,
ὡς ἐξηράνθη πέδιον πᾶν· . . . . . .
ὡς δ' ὅτε ποίμην ῥεῖα φέρει πόκον ἄρσενος οἰός,
χειρὶ λάβων ἑτέρῃ, ὀλίγον δέ μιν ἄχθος ἐπείγει,
ὡς Ἕκτωρ ἰθὺς σανίδων φέρε λᾶαν ἀείρας[l].

Feliciter sane πρὸ ὀμμάτων posuit massam illam ingenti volumine, quam adeo miretur aliquis levem fieri in manibus jacientis: illud autem de vellere vix quenquam adhibiturum puto, nisi qui propriis non modo oculis verum etiam digitis periculum fecerit.

Occurrunt etiam, quæ motum telorum a lævi thorace resilientium imitantur[m]:

ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ πλατέος πτυόφιν μεγάλην κατ' ἀλωὴν
θρώσκωσιν κύαμοι μελανόχροες, ἢ ἐρέβινθοι,
πνοιῇ ὑπὸ λιγυρῇ καὶ λικμητῆρος ἐρωῇ·
ὡς ἀπὸ θώρηκος Μενελάου κυδαλίμοιο
πολλὸν ἀποπλαγχθεὶς, ἑκὰς ἔπτατο πικρὸς ὀϊστός.

[k] Il. xxi. 343. [l] xii. 451. [m] xiii. 588.

Vel quæ uno quasi jugo laborantium Heroum par depingunt[n].

> Αἴας δ' οὐκέτι πάμπαν, Ὀϊλῆος ταχὺς υἱός,
> ἵστατ' ἀπ' Αἴαντος Τελαμωνίου, οὐδ' ἠβαιόν·
> ἀλλ' ὥστ' ἐν νειῷ βόε οἴνοπε πηκτὸν ἄροτρον
> ἶσον θυμὸν ἔχοντε, τιταίνετον· ἀμφὶ δ' ἄρα σφιν
> πρυμνοῖσιν κεράεσσι πολὺς ἀνακηκίει ἱδρώς·
> τὼ μέν τε ζυγὸν οἷον ἐΰξοον ἀμφὶς ἐέργει,
> ἰεμένω κατὰ ὦλκα· τεμεῖ δέ τε τέλσον ἀρούρης·
> ὣς τὼ παρβεβαῶτε μάλ' ἕστασαν ἀλλήλοιϊν.

Jam Achilles, pedibus frustra cum torrente fluvio contendens[o],

> φεῦγ'· ὁ δ' ὄπισθε ῥέων ἕπετο μεγάλῳ ὀρυμαγδῷ.
> ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ὀχετηγὸς ἀπὸ κρήνης μελανύδρου
> ἄμ φυτὰ καὶ κήπους ὕδατι ῥόον ἡγεμονεύῃ,
> χερσὶ μάκελλαν ἔχων, ἀμάρης ἐξ ἔχματα βάλλων·
> τοῦ μέν τε προρέοντος, ὑπὸ ψηφῖδες ἅπασαι
> ὀχλεῦνται· τὸ δέ τ' ὦκα κατειβόμενον κελαρύζει
> χώρῳ ἔνι προαλεῖ, φθάνει δέ τε καὶ τὸν ἄγοντα·
> ὡς αἰεὶ Ἀχιλῆα κιχήσατο κῦμα ῥόοιο,
> καὶ λαιψηρὸν ἐόντα· θεοὶ δέ τε φέρτεροι ἀνδρῶν.

Sed in hoc genere nihil nobilius curru Achillis citato super hostium strage[p]:

> ὡς δ' ὅτε τις ζεύξῃ βόας ἀρσένας εὐρομετώπους
> τριβέμεναι κρὶ λευκὸν ἐϋκτιμένῃ ἐν ἀλωῇ·
> ῥίμφα τε λεπτ' ἐγένοντο βοῶν ὑπὸ πόσσ' ἐριμύκων·
> ὡς ὑπ' Ἀχιλλῆος μεγαθύμου μώνυχες ἵπποι
> στεῖβον ὁμοῦ νέκυάς τε καὶ ἀσπίδας·

Quæ quidem eo libentius appono, ut deprecer doctissimi Lowthii severius fortasse de iis judicium[q]. Qui postquam cum Hebræis[r] ea contulerat, et merito censuerat "multum abesse ab eorum sublimitate atque audacia," rem "paullo nimis appositam" induci queritur, et "plus æquo congruentem." Sed vereor an debuerit recordari, Homerum non id agere, ut suum ingenium viris doctis commendet, instituta

[n] Il. xiii. 701. [o] xxi. 256. [p] xx. 495. [q] *De Sacr. Poes. Hebr.* Præl. 7. p. 81. ed. 1763. [r] Isai. xli. 15, 16.

comparatione multiplici et acuta. Quin sui oblitus, totum se tradit, ut ita dicam, Achilli suo: ne non simpliciter et evidenter enarret, quam nullo ille negotio hostes ad unum omnes obruerit. Itaque non, ut Lowthio videbatur, conferendus erat cum tribulo ipse Achilles: immo ipse invictus tribulum agebat, quasi neminis prorsus in manu foret. Nisi forte petimus a scriptore Ethnico, ut servet ubique veræ religionis normam, habita ratione, vel in tali re, Dei gubernantis omnia.

Lubens tamen confiteor, immane quantum distare ab Hebræorum majestate tam ea, quam si quæ usquam habet Noster de rebus agrestibus sumpta. Qui fieri potuit aliter? cum istarum imaginum vis fere omnis ab eo pendeat, ut maximæ quæque res comparentur cum minimis et usitatissimis.

Verum ad exempla Homericæ rusticitatis (absit verbo invidia) redeamus. Omnino solenne est illi magnitudines, pondera, temporum intervalla, per eas potissimum notas dimetiri, quibus vel hodie delectantur agricolæ. Verbi gratia[s]:

> Ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ἀπέην, ὅσσον τ' ἐπίουρα πέλονται
> ἡμιόνων·—αἱ γάρ τε βοῶν προφερέστεραι εἰσιν
> ἑλκέμεναι νειοῖο βαθείης πῆκτον ἄροτρον.

Atque haud incommode fortasse cum his poterunt conferri, quæ quodam in loco Sacrosancta narrat Historia de præsidio Philistæorum a duobus Hebræis deleto: cujus illa stationem similiter limitibus ab arando ductis definit[t]. Quæ autem Homericis subjiciuntur, clausulæ ritu—*αἱ γὰρ τε*, κ. τ. λ.—quo minus esse videantur e re poetica, tanto ea clarius indicant verum colonum, vero labore assuetum.

[s] Il. x. 351.

[t] 1 Sam. xiv. 14. "Et facta est plaga prima, qua percussit Jonathas et armiger ejus, quasi viginti virorum in media parte jugeri, quam par boum in die arare consuevit." Vulg.

Cujusmodi est, opinor, et illud, Discoboli gestum præclare exprimens [u]:

> *ὁσσόν τις τ' ἔρριψε καλαύροπα βουκόλος ἀνήρ·*
> *ἡ δέ θ' ἑλισσομένη πέτεται διὰ βοῦς ἀγελαίας·*
> *τοσσὸν παντὸς ἀγῶνος ὑπέρβαλε.*

Videtis, Academici, rem quasi levissimam, (quod in re gymnastica proprium est et præcipuum,) velut aliud agendo, perfici: plane sicut in statuis fieri videmus, ut quæque bellissime se habere putantur.

Quod si cui videbuntur illa nimium trivialia, hæc certe, quæ sum dicturus, nemini non erunt in deliciis, qui leviter modo oculis perstringere amet cœli ac terrarum faciem [x].

> *Ὅσσον δ' ἠεροειδὲς ἀνὴρ ἴδεν ὀφθαλμοῖσιν,*
> *ἥμενος ἐν σκοπιῇ, λεύσσων ἐπὶ οἴνοπα πόντον,*
> *τόσσον ἐπιθρώσκουσι θεῶν ὑψηχέες ἵπποι.*

Exquisite adumbrat illud vel pueris notum, de excelsiore loco prospicientibus; quod nescio quomodo sese effundere cupiunt, et in aere quasi vacuo spatiari. Quin et vicina cum remotioribus peracute simul et vere composuit, quod dixit illud "*ἠεροειδὲς*" et "*οἶνοπα.*"

Jam tempora quoque non aliter notare amat [y].

> *Ὄφρα μὲν ἦως ἦν καὶ ἀέξετο ἱερὸν ἦμαρ,*
> *τόφρα μάλ' ἀμφοτέρων βέλε' ἤπτετο, πίπτε δὲ λαός·*
> *ἦμος δὲ δρυτόμος περ ἀνὴρ ὠπλίσσατο δόρπον*
> *οὔρεος ἐν βήσσῃσιν, ἐπεί τ' ἐκορέσσατο χεῖρας*
> *τάμνων δένδρεα μακρὰ, ἄδος τέ μιν ἵκετο θυμόν,*
> *σίτου τε γλυκεροῖο περὶ φρένας ἵμερος αἱρεῖ·*
> *τῆμος σφῇ ἀρετῇ Δαναοὶ ῥήξαντο φάλαγγας.*

Opportune medio prœlio dulcissimam tranquilli nemoris imaginem interposuit: quo facto, paullum respirat animus vulneribus et cæde continua fessus. Novit et Virgilius horam operibus designare [z]:

> ..... ubi prima quies medio jam noctis abactæ
> Curriculo expulerat somnum; ceu fœmina primum,

[u] Il. xxiii. 845. [x] v. 770. [y] xi. 84. [z] Æn. viii. 407.

Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
Impositum, cinerem et sopitos suscitat ignes,
Noctem addens operi, castum ut servare cubile
Conjugis, et possit parvos educere natos:
Haud secus Ignipotens, nec tempore segnior illo
Mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit.

Sunt illa (quis neget?) Homericis longe dulciora; modo eam excipias suavitatem, quam habet insperata rerum atrocium requies. Ut omittamus, ipsam illam de operaria muliere quasi fabellam ab Iliade mutuo esse sumptam. Videlicet Trojani, Marte æquato, diu pugnant in ipso aggere et fossa Achivorum[a]:

ἀλλ' οὐδ' ὡς ἐδύναντο φόβον ποιῆσαι Ἀχαιῶν·
ἀλλ' ἔχον, ὥστε τάλαντα γυνὴ χερνῆτις ἀληθὴς,
ἥ τε σταθμὸν ἔχουσα καὶ εἴριον, ἀμφὶς ἀνέλκει
ἰσάζουσ', ἵνα παισὶν ἀεικέα μισθὸν ἄρηται·
ὡς μὲν τῶν ἐπὶ ἶσα μαχὴ τέτατο πτόλεμός τε.

Fortasse non tam similitudinis quam (ut ita dicam) solatii causa narrantur ea tali tempore: cujus εὐκαιρίας nescio equidem an tanta vis sit, ut per eam solam capiantur animi magis, incondito quamvis et (pæne dicam) aspero sermone, quam mollissima Virgilii pictura.

Nunc, injecta mentione Virgilii, tangere liceat quandam non levem, quam mihi certe deprehendisse videor, ejus et Homeri dissimilitudinem. Dico enim, cum de fortunis hominum fit quæstio, deque universo vitæ statu, Homerum quo more solent inopes in divitiis contemplandis versari, quasi quodam fulgore præstrictum

Interdum multus est et diligens in pretiis rerum venalium, enarrans quanti quid constiterit:

. . . . . ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων:

idque non solum quando ea tanquam athletarum

[a] Il. xii. 452.

præmia proponuntur, verum etiam in medio præliorum turbine, cum vix in talibus otiari solent homines. Verbi causa, supplicat Lycaon Achilli[b]:

> *ἀντί τοι εἴμ' ἱκέταο, Διοτρεφὲς, αἰδοίοιο.*
> *πὰρ γάρ σοι πρώτῳ πασάμην Δημήτερος ἀκτὴν*
> *ἥματι τῷ, ὅτε μ' εἷλες ἐϋκτιμένη ἐν ἀλωῇ*
> *καί με πέρασσας, ἄνευθεν ἀγὼν πατρός τε φίλων τε,*
> *Λῆμνον ἐς ἠγαθέην· ἑκατόμβοιον δέ τοι ἦλφον.*

Non est veritus tale aliquid in re maxime lugubri intexere[c].

> *Ὣς ὁ μὲν αὖθι πέσων κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον,*
> *οἰκτρὸς, ἀπὸ μνηστῆς ἀλόχου, ἀστοῖσιν ἀρήγων,*
> *κουριδίης, ἧς οὔτι χάριν ἴδε, πολλὰ δ' ἔδωκεν·*
> *πρῶθ' ἑκατὸν βοῦς δῶκεν, ἔπειτα δὲ χίλι' ὑπέστη*
> *αἶγας ὁμοῦ καὶ ὄϊς, τά οἱ ἄσπετα ποιμαίνοντο·*
> *δὴ τότε γ' Ἀτρεΐδης Ἀγαμέμνων ἐξενάριξεν.*

Passim gazas, ebur, pretiosa cujusque *κειμηλία*, cum amore quodam recenset atque laudat. Qualia sunt illa de poculo, quo ad libandum usus est Achilles[d].

> *.....χηλοῦ δ' ἀπὸ πῶμ' ἀνέῳγεν*
> *καλῆς, δαιδαλέης, τήν οἱ Θέτις ἀργυρόπεζα*
> *θῆκ' ἐπὶ νῆος ἄγεσθαι, ἐὺ πλήσασα χιτώνων,*
> *χλαινάων τ' ἀνεμοσκεπέων, οὔλων τε ταπήτων·*
> *ἔνθα δέ οἱ δέπας ἔσκε τετυγμένον, οὔδε τις ἄλλος*
> *οὔτ' ἀνδρῶν πίνεσκεν ἀπ' αὐτοῦ αἴθοπα οἶνον,*
> *οὔτε τεῳ σπένδεσκε θεῶν, ὅτε μὴ Διὶ πατρί.*

Quid, quod Priamo, filium in exsequias redempturo, etiam in laudibus poni videtur, quod pateræ cuidam splendidiori non pepercerit? Quid, quod semel atque iterum, maximis et miserrimis in rebus, etiam de exuviis armisve pulvere fœdatis fit querela? Quid, quorum maxime gratia fortiter dimicandum ait Sarpedon, nonne ea sunt quæ militi cuipiam de grege

[b] Il. xxi. 75. [c] xi. 241. [d] xvi. 221.

apprime conveniant, suscipienti ad tempus partes ductoris sui[e]?

> . . . . . τετιμήμεσθα μάλιστα
> ἕδρῃ τε κρέασίν τ' ἠδὲ πλείοις δεπάεσσιν
> ἐν Λυκίῃ, πάντες δὲ, θεοὺς ὡς, εἰσορόωσιν·
> καὶ τέμενος νενόμεσθα μέγα, Ξάνθοιο παρ' ὄχθας,
> καλὸν φυταλιῆς καὶ ἀρούρης πυροφόροιο. . . . .
> οὐ μὰν ἀκληεῖς Λυκίην κάτα κοιρανέουσιν
> ἡμέτεροι βασιλῆες, ἔδουσί τε πίονα μῆλα,
> οἴνόν τ' ἔξαιτον, μελιηδέα. . . . . .

Neque aliud sonare dixerim, quod Phœnix in donis moratur sigillatim enumerandis, quæ ad placandum Meleagrum adhibita erant[f].

Præterea non semel apud Homerum ipsum illud, Locupletem esse, velut præclarum aliquid, laudatur. Andromache πολύδωρος appellatur[g]. Erichthonio proavo se jactat Æneas, quod fuerit is ἀφνειότατος θνητῶν ἀνθρώπων[h]. Inveniuntur etiam similitudines, quæ haud dubie splendoris aliquid arcessunt sibi mentione divitiarum[i].

> Τρῶες δ', ὥστ' οἶες πολυπάμονος ἀνδρὸς ἐν αὐλῇ
> μύριαι ἑστηκασιν, ἀμελγόμεναι γάλα λευκόν.

Tum, quibus ornatur aquilæ pictura, missæ ad Priamum augurii causa[k]:

> ὅσση δ' ὑψορόφοιο θύρη θαλάμοιο τέτυκται
> ἀνέρος ἀφνειοῖο, εὐκλῄϊς, ἀραρυῖα,
> τόσσ' ἄρα τοῦ ἑκάτερθεν ἔσαν πτερά.

Quid multa? semper et ubique divitum, ni fallor, clientem agnoscas, ipsum non adeo abundantem opibus.

Contra, Virgilius quo animo rusticetur non male exponunt ea, quæ habet amicus ejus, Horatius.

[e] Il. xii. 310. [f] ix. 576. [g] vi. 394; xxii. 88. [h] xx. 220. [i] iv. 433. [k] xxiv. 317.

> Plerumque gratæ divitibus vices,
> Mundæque parvo sub Lare pauperum
> Cœnæ, sine aulæis et ostro,
> Solicitam explicuere frontem.

Atque ea quidem hoc tempore adduxi, non quo dubitem, Virgilium ex animo flumina amasse, sylvasque: quem unum omnium in re rustica semper existimarim non modo plurimum vidisse verum etiam acerrime sensisse. Sic autem ferme statuo: quemadmodum usu venit pueris divitum, ut abjectis sæpe insignibus, palea ludere gestiant ac ramusculis; qui autem egenis oriuntur parentibus, ut attoniti stupeant auro, purpura, gemmis: ita plane Virgilium intelligo ab opibus et luce illa Palatii cupide ac libenter avolare ad casas suas et aratra; Homero, gazas placere, et regum atria: utrumque, ut fit, eas maxime res admirari, quæ sint a sua fortuna paullo remotiores.

Sed de Virgilio alias videro: unum solum hoc tempore ex Iliade afferre liceat; quod mirifice quodammodo sapit hominem victu vendentem operam. Nostis fabulam, subrusticam sane, de Neptuno et Apolline, cœlo exulantibus, mercede a Laomedonte conductis. Hanc a veteribus acceptam Neptuno suo tribuit Homerus[1].

> Ἀλλ' ὅτε δὴ μισθοῖο τέλος πολυγηθέες Ὧραι
> ἐξέφερον, τότε νῶϊ βιήσατο μισθὸν ἅπαντα
> Λαομέδων ἔκπαγλος, ἀπειλήσας δ' ἀπέπεμπεν.....
> νῶϊ δέ τ' ἄψορρόοι κίομεν κεκοτήοτι θυμῷ,
> μισθοῦ χωόμενοι, τὸν ὑποστὰς οὐκ ἐτέλεσσεν.

Nimirum operariis horæ sunt πολυγηθέες, redeunte demum mercedem recipiendi tempore: id quod gravissimis verbis docet divinus ille Hebraicæ Legis Interpres, qui et ipse aliquando pauper et exul

[1] Il. xxi. 450.

fuerat, et fortasse mercede laboraverat. *Αὐθημερὸν ἀποδώσεις τὸν μισθὸν αὐτοῦ· οὐκ ἐπιδύσεται ὁ ἥλιος ἐπ' αὐτῷ· ὅτι πένης ἐστὶ, καὶ ἐν αὐτῷ ἔχει τὴν ἐλπίδα, καὶ καταβοήσεται κατὰ σοῦ πρὸς Κύριον, καὶ ἔσται ἐν σοὶ ἁμαρτία*[c]. Quod autem Neptunus *ἔκπαγλον* vocat Laomedonta, irridet sane, ut herum procaces famuli, lite oborta.

Restat ille locus uberrimus ferme omnium, de variis volucrum et bestiarum generibus, vel cicurum, vel ferarum: quarum ex lusibus, pastu, prœliis, omni vitæ statu, mira quædam suppetit luculentarum imaginum copia. Sed in istis hodie non morandum putavi; partim quoniam eorum indoles adeo plana est et aperta, ut incurrat in oculos legentium, nullo docente; partim, exemplis prius adductis, equorum duntaxat et leonum, quæ duo sunt in hoc genere nobilissima, rem actam nolebam agere. Hæc tamen ita linquamus, ut meminerimus eorum summam duobus fere capitibus contineri. Nam quascunque ejusmodi narratiunculas intexuit Homerus, omnes videntur esse propriæ aut *venantium* aut *pastorum*. Quamobrem optime in talem cadunt, qualem eum vixisse nos, multis rationibus adducti, auguramur.

Sed propero ad ea, quæ ultimo loco erant disputanda: De genere dicendi, quo usus est Iliadis auctor. Etenim ex ea parte non minus quam ex sententiarum delectu et imaginum, prodi intelligo bellicosum primo hominem, deinde agrestem, tertio plebeium et inopem.

Quorum omnium conjecturam aliquam illud primum afferre dixerim, quod sæpius repetere non veretur, non modo verba sed versus etiam integros, immo

[c] Deut. xxiv. 15.

narrationes interdum longiusculas: præsertim ubi de nuntiis agitur, munus suum solicite tuentibus: de Iride quadam aut Apolline, missisve ad Achillem legatis. Atqui eundem esse morem eorum, qui simplici et agresti animo res enarrant, quotidie videmus.

Præterea, non obscure redolet tum rusticitatem, tum militiam, quod in illo regum ducumque choro vix unum alterumque invenias, cui non adhæreat suum quodammodo cognomen. Hinc illa, *ποδὰς ὠκὺς Ἀχιλλεύς*, *νεφεληγέρετα Ζεύς*, *κορυθαίολος Ἕκτωρ*, sexcenta alia. Erant illæ formulæ solennes ac pæne legitimæ, quas tantum non religio fuisset præterire. Neque vero in Deos solos hominesque convenit iste *τῶν οἰκείων* usus: verum etiam rem quamque notissimam suo tanquam apposito ornavit. Exempli loco sint, *ταναὸς θάνατος*, *ἀτρύγετος θάλασσα*, *μέροπες ἄνθρωποι*, *κήρυκες λιγύφθογγοι*, *μώνυχες ἵπποι*, cætera id genus. Ea qui fastidio habent, parum vidisse putandi sunt in simplici illo ac plebeio sermone, cujus quasi norma in Homericis omnia fere metiri debemus.

Unum porro genus est eorum quæ tractamus *οἰκείων*, quo nihil aut in se venustius aut foris vitam agenti convenientius cogitari potest: ea dico, quæ singula semel audita *repræsentant* quodammodo universam rei faciem. Cujusmodi sunt illa de flumine herboso[d]:

Ἀσώπονδ' ἵκοντο βαθύσχοινον, λεχεποίην.

Etiam ea præclara, quæ armenta pascentem describunt[e]

Ἶδης εν κνημοῖσι πολυπτύχου ὑληέσσης.

[d] Il. iv. 383. [e] xxi. 449.

Cognoscite aliud exemplum[e]:

> *ὡς δ' ὅταν ἐκ νεφέων πτῆται νιφὰς, ἠὲ χάλαζα*
> *ψυχρὴ ὑπὸ ῥιπῆς αἰθρηγενέος βορέαο.*

Vocis ejus, *αἰθρηγενέος*, semper mihi visa est admirabilis quædam *ἐνάργεια*. Videlicet aureus ille fulgor, quem de Aquilone venientem depinxit sanctissimus universæ Naturæ interpres, Jobus, fugat nives, grandinem, aquosa nubila[f]:

> *ἀπὸ βορρᾶ νέφη χρυσαυγοῦντα·*
> *ἐπὶ τούτοις μεγάλη ἡ δόξα καὶ τιμὴ Παντοκράτορος.*

Quale tempus si foret uno describendum verbo, inmirum *αἰθρηγένης* verbum illud erat.

Est ubi rem enunciat non tam per adjuncta et apposita, quam per consequentia quædam, paucissima illa quidem, quæque ad eam lucide ac vehementer pertineant. Jacebant in campo Trojani, informia cadavera: id hoc ritu effert Homerus: Erant, inquit[g],

> *γύπεσσιν πολὺ φίλτεροι, ἢ ἀλόχοισιν.*

Videtis acute ac præcise dictum, ænigmatis haud prorsus absimile: cujusmodi plerumque sunt ea, quæ apud plebeios maxime vigent, dicteria.

Notum et illud Hectoris Paridem exprobrantis[h]:

> *....μάλα Τρῶες δειδήμονες· ἦ τέ κεν ἤδη*
> *λάϊνον ἕσσο χιτῶνα, κακῶν ἕνεχ', ὅσσα ἔοργας.*

Agnoscitis militare sane convitium. Nescio autem, an habeam eodem in numero quæ Pæanis loco canuntur, super occisis fatidici viri filiis[i]:

> *τοῖς οὐκ ἐρχομένοις ὁ γέρων ἐκρίνατ' ὀνειρούς,*
> *ἀλλὰ σφέας κράτερος Διομήδης ἐξενάριξεν.*

Ad summam; universus Homericæ orationis color

[e] Il. xv. 170. [f] Job xxxvii. 22. [g] Il. xi. 162. [h] iii. 56. [i] v. 150.

is esse videtur, Academici, qui deceat hominem non umbratilem sed pulvere oblitum castrensi, mediisque eductum laboribus et periculis; directus ille, simplex, inurbanus: nihil unquam propius abfuit ab illa singulari Sanctorum Vatum laude, Ut ne quid ullo unquam tempore plus minusve dicat Scriptor, quam quæ ipse dici velit.

Quid autem ego vos admoneam, non eam esse hodiernam causam, de qua bene judicet aliquis, versibus hinc illinc depromptis? posse eam declarari exemplis, plane comprobari non posse? Assidua lectione tentanda est ipsa Ilias, et conferenda partim cum sermonibus agrestium, militarium, plebeiorum hominum, partim cum Libris Sacrosanctis: præsertim si quæ primo legentibus aut inepta forsan appareant aut subobscura.

Mihi quidem persuasissimum est, qui nosse velit Homerum "intus et in cute," illum non alio ludo debere erudiri, atque eo, quem suo adolescenti commendat Horatius:

> Angustam amice *pauperiem* pati
> Robustus *acri militia* puer
> Condiscat. . . . . .
> Vitamque *sub dio* et *trepidis* agat
> In rebus.

Equidem illud ipsum in causa esse conjicio, cur magna pars hominum, imo etiam puerorum, alieni cum sint ab his studiis, se tamen Homero delectari lubentes fateantur. Quippe qui vitam "sub dio," sicut ille Horatianus, agentes, cum jucunditate quadam mirentur tam vere narrari omnia. Etenim in his quoque rebus "magna est VERITAS, et prævalebit." Mirantur, inquam, vel rudiores literarum, Poetam adeo veterem cum iis quæ ipsi quo-

tidie oculis cernunt tam perfecte planeque consentire.

Quinetiam (quo nihil in hoc genere dulcius) ejusmodi est Homeri Poesis, si modo nos formam ejus non omnino commentitiam ponimus, quæ maxime omnium commoveat animos *puerilium annorum recordatione*. Enimvero omnes fere, dum pueri sumus, maximam partem sub dio vivimus; cum famulis, cum operariis, cum tunicato popello versamur; opera eorum et labores cum voluptate defixi intuemur. Postquam autem semel, annis labentibus, ad stabilem vitæ tenorem et ad ingenuas artes devenimus, paullatim refugere discimus rusticitatem illam, quasi barbarum quiddam et insulsum: ita tamen ut puerilia, cum desiderio non levi, respectantes, ut dicitur, linquamus.

Quo fit ut etiam ætate provectos maxime juvent ea carmina, cantus, fabellæ, quæ absque rusticitate rusticentur, absque molestia plebeium aliquod, et inornatum, et agreste sapiant. Ita nimirum juveniles sibi quisque lusus otiumque suavissime in animos revocari sentiunt homines.

Quamobrem ego minime frigere concedam, ne sæpius quidem repetita, quibus Homerus se admodum delectat, de navium, armorum, bigarum fabrica, de cœna paranda, de mulis sub plaustro Priami jungendis, de cædendis in Ida lignis[k]:

> *οἱ δ' ἴσαν, ὑλοτόμους πελέκεας ἐν χερσὶν ἔχοντες,*
> *σειράς τ' εὐπλέκτους· πρὸ δ' ἄρ' οὐρῆες κίον αὐτῶν·*
> *πολλὰ δ' ἄναντα, κάταντα, πάραντά τε, δόχμιά τ' ἦλθον·*
> *ἀλλ' ὅτε δὴ κνημοὺς προσέβαν πολυπίδακος Ἴδης,*
> *αὖτικ' ἄρα δρῦς ὑψικόμους ταναήκεϊ χαλκῷ*
> *τάμνον ἐπειγόμενοι· ταὶ δὲ μεγάλα κτυπέουσαι*
> *πίπτον· τὰς μὲν ἔπειτα διαπλήσσοντες Ἀχαιοί*

[k] Il. xxiii. 114.

ἔκδεον ἡμιόνων· ταὶ δὲ χθόνα πόσσι δατεῦντο,
ἐλδόμεναι πεδίοιο, διὰ ῥωπήϊα πυκνά.

Ipsum, ut opinor, mularum incessum habetis, provide, et cum delectu quodam per asperrima loca gradientium.

πάντες δ' ὑλοτόμοι φιτροὺς φέρον· ὣς γὰρ ἀνώγει
Μηριόνης, θεράπων ἀγαπήνορος Ἰδομενῆος·
κάδδ' ἄρ' ἐπ' ἀκτῆς βάλλον ἐπισχέρω, ἐνθ' ἄρ' Ἀχιλλεὺς
φράσσατο Πατρόκλῳ μέγα ἠρίον, ἠδὲ οἷ αὐτῷ.

Quærat aliquis, quid sit, quod ea tantopere placeant? Credo equidem, non solum propter exquisitam illam *ἐναργείαν*, verum etiam quoniam in tali re nescio quomodo repuerascimus, et simplici illa intuendi voluptate fruimur, quæ vigebat ineunte jam ætate.

Eandem, ni fallor, chordam tetigit, ubi minima omnia solicite narrari curavit; velut de Lycaone primum ab Achille capto[1]:

.....τόν ῥά ποτ' αὐτὸς
ἦγε λαβὼν ἐκ πατρὸς ἀλωῆς οὐκ ἐθέλοντα,
ἐννύχιος προμόλων· ὁ δ' ἐρίνεον ὀξέϊ χαλκῷ
τάμνε, νέους ὄρπηκας, ἵν' ἅρματος ἄντυγες εἶεν·
τῷ δ' ἄρ' ἀνώϊστον κακὸν ἦλυθε δῖος Ἀχιλλεύς.

Quorsum illa de caprifico? Omnino simplicis erat animi, talia non indicta relinquere: nemo certe puer ea narrando prætermitteret. Itaque qui caram habent illius ætatis memoriam, neque inviti in talibus morantur, neque ulla ex parte languere ea carmina sentiunt.

Ut igitur aliquando perorem: Homerum tum in imaginibus deligendis, tum in stylo temperando, mirum in modum sibi constare, ut siquid aliud, uberrime confirmo: illud autem per omnia agi,

[1] Il. xxi. 35.

ut requiem sibi paret animus, qualem nos Homeri fuisse multis jam indiciis colligimus. Scripsisse utique intelligo vehementer ictum desiderio curaque veterum Heroum; quorum ille vidit quasi exuvias, formam ac faciem non vidit.

Quæ quoniam tota jam Iliade, ut potui, ultro citroque disputavi; erit mihi proxime aggrediendum ad alteram Homerici spatii metam; et in Odysseia quoque, quid valeat ea ratio, tentandum.

PRÆLECTIO UNDECIMA.

Expenditur Longini dictum, Odysseiam præ se ferre senectutis indicia. Sic eam convenire nautis, ut Iliadem militibus. Quid in ea valeat domus et otii desiderium.

VENIO nunc ad alterum illud aureæ vetustatis κειμηλίον, Odysseiam: quæ quidem ita cum Iliade congruit, ut locum tamen aliquem dederit molestis quorundam hominum argutiis, eorum, qui manifesta omnia in dubium vocare amant. Negant scilicet fieri potuisse, ut ex uno eodemque fonte rivi manarent adeo dissimiles; Homerum aut neminem unquam extitisse, aut certe alium quendam Trojæ, alium Ithacæ fuisse autumant. Sed ego ratiunculis eorum, Academici, supersedere decrevi hoc tempore: partim jam antea satis, ut arbitror, explosis; nam pleraque eorum, quæ de Iliade nos in hanc partem disputavimus, nullo negotio huc transferri poterunt: cæteras, suo quæque loco, ex re et ex tempore, ut potero, expediam.

Atque hic venia sit adhibenti illam quasi formulam

magni Longini, toties in Homericis decantatam: quæ quidem sola semel recepta magnam ejusmodi commentorum vim delebit. Videlicet vir sagax, et Homeri, si quis alius, perstudiosus, visus est sibi deprehendisse in Odysseia non obscuras senescentis Poetæ notas[a].

Τῆς μὲν Ἰλιάδος, γραφομένης ἐν ἀκμῇ πνεύματος, ὅλον τὸ σωμάτιον δραματικὸν ὑπεστήσατο καὶ ἐναγώνιον· τῆς δὲ Ὀδυσσείας τὸ πλέον διηγηματικόν, ὅπερ ἴδιον γήρως. Ὅθεν ἐν τῇ Ὀδυσσείᾳ παρεικάσαι τις ἂν καταδυομένῳ τὸν Ὅμηρον ἡλίῳ, οὗ δίχα τῆς σφοδρότητος παραμένει τὸ μέγεθος· οὐ γὰρ ἔτι τοῖς Ἰλιακοῖς ἐκείνοις ποιήμασιν ἴσον ἐνταῦθα σώζει τὸν τόνον, οὐδ' ἐξωμιλισμένα τὰ ὕψη καὶ ἴζήματα μηδαμοῦ λαμβάνοντα, οὐδὲ τὴν πρόσχυσιν ὁμοίαν τῶν ἐπαλλήλων πάθων, οὐδὲ τὸ ἀγχίστροφον καὶ πολιτικόν, καὶ ταῖς ἐκ τῆς ἀληθείας φαντασίαις καταπεπυκνωμένον· ἀλλ', οἷον ὑποχωροῦντος εἰς ἑαυτὸν ὠκεανοῦ καὶ περὶ τὰ ἴδια μέτρα ἐρημουμένου, τὸ λοιπὸν φαίνονται τοῦ μεγέθους ἀμπώτιδες καὶ ταῖς μυθώδεσι καὶ ἀπίστοις πλάναις. Λέγων δὲ ταῦτ' οὐκ ἐπιλέλησμαι τῶν ἐν τῇ Ὀδυσσείᾳ χειμώνων, καὶ τῶν περὶ τὸν Κύκλωπα, καί τινων ἄλλων· ἀλλὰ γῆρας διηγοῦμαι, γῆρας δ' ὅμως Ὁμήρου.

Hæc ille: cui nobiscum ita convenit, ut aliquanto tamen honorificentius de toto carmine sentiamus: multa, quibus ille excusationes quærit, nos etiam laudi demus Homero. Quod autem improbavit speciosa illa miracula, plane quasi delirantis somnia, vereor ne nimium tribuerit sæculo suo. Jam enim Diis suis labentibus quærebant undequaque subsidia Rhetores. Neque parum molestiæ attulit, quod Homero ipso teste, levia adeo ac numinibus indigna vel vetustissimis adhæserint sacris.

[a] Περὶ ὕψους, §. 9.

Porro Longinus haud dubie cum iis videtur sensisse, qui in Epicis peccari putant, nisi omnia grandia, ampla, splendida, cum æquabili quodam tenore efferantur: quasi vero non habeat Ilias quoque suos (ut ita dicam) recessus, ubi per quietem et remissionem parant se Heroes ad magna peragenda.

Verum enimvero sunt quæ faciunt ut ad Longini sententiam accedam, ad hoc duntaxat, ut crediderim Homerum ætate jam affecta hunc quasi ἐπιλόγον Iliadi suæ adjunxisse. Quæ sententia quam apte quadret ad ea quæ nos ante disseruimus, hodie, si placet, exponam, Academici.

Ac primum, Odysseiam propriam Homero vindicant tum multa alia tum illud cumprimis notabile, quod ea penitus ab omni parte redolet heroicam illam indolem.

Cum enim omni tempore duo potissimum extiterint quasi campi sive spatia, heroicis apta virtutibus, quorum in altero exerceantur bellatores, in altero navitæ; videtis rebus ita divisis mirifice respondere divinorum carminum par; Iliadem militantibus, Odysseiam navigantibus ita convenire, ut nihil felicius. Navigationem autem ejusmodi intelligo, quæ non militiæ causa suscipiatur, sed ignotas regiones explorandi. Eo enim erumpere solet igneus ille ferocium animorum vigor, interjecto forte longiore bellandi intervallo. Itaque, quod veteres Græci Trojana post tempora, idem ferme passi sunt harum quoque regionum incolæ, postquam semel sacrorum bellorum et Christianæ illius militiæ deferbuerant studia et ardores. Enasci statim, et longe lateque propagari, nova quædam gloriæ et rerum memorabilium seges: quarum summa erat,

Oceanum retegi, longinqua terrarum aperiri, venire in notitiam nostrorum hominum miracula Naturæ, mores barbarorum. En uberrimus Poetarum campus! Nec defuere, qui eum feliciter excolerent. Neque enim quisquam illo tempore carminibus pangendis dedit operam, quin multus in eo foret, ut heroas virginesve induceret circum maria omnia et litora errantes; cum prœliis ac duellis intermisceret naufragia, pelagi monstra, fabulosas insulas.

Ne multa: alternis quodammodo vicibus nunc Iliadem nunc Odysseiam reminiscimur, quoties aut Spenserum legimus aut Italicos Spenseri magistros. Commune omnes exemplar habuere Virgilium. Verum haud scio an secus plerique fecerint (neque enim ipsum excipio Maronem) quod vitæ rationes adeo diversas uno quasi filo implicandas judicaverint. Etenim, quod in communi vita sentimus, opinor, ad unum omnes, multum profecisse ad rem bene gerendam, qui unum quendam sibi proposuerit tanquam bonorum et vitæ finem, id in Epicis quoque narrationibus mirum quantum dominari videtur. Commovet animos Homerus noster directius quodammodo et verius, quam si, ut plerique, Achillem cum Ulysse, maritima cum militaribus periculis confusa tradat atque commista. Videlicet alio divertere nolumus, spe metuve semel correpti: tum e diverticulis in rectam redeuntes viam nescio quomodo languere solemus.

Quid dicam, intelliget qui volet diligentius paullo conferre Odysseiam cum Æneide, qua ex parte describitur sive Trojanorum sive Ulyssis appulsus ad optata litora. Vereor ne Virgiliana legentibus res jam confecta esse videatur: unde necesse est hebescant animi, neque cito ad bellica, quæ sequuntur,

erigi et excitari possint. Frigus intervenit: de integro calor recipiendus. Equidem nil tale in illis Ithacensibus deprehendo: versis modo scenæ frontibus, sentio rem eandem agi: perinde ac per maritima illa, spe metuque mulceri me patior.

Sed de his acutiores judicent. Nos ad rem propositam revertamur. Dicimus, Homero dignissimam materiem præbuisse alteram illam quasi cœli heroici zonam, quæ proprias sibi habet fortunas et facta navigantium. Ejusmodi autem laudes tunc temporis maxime per Græciam viguisse testantur ad unam omnes historiæ. Certe post Trojana tempora usque eo gens crevit, assiduis per maria omnia migrationibus, dum stabili tandem firmoque imperii corpore vires Orientis rejecerint Hellenes. Quid? Alexander ille Magnus, Homeri diligentissimus cultor et Achillis, nonne et ipse, post Asiam devictam, militarem navali gloria cumulavit, exploratis tum Indi ostiis, tum, per Nearchum, litoribus Erythræi maris? Quo facto, Odysseiam quandam, ut ita dicam, Iliadi suæ adjecit; ut ne cui dubium esset, ad unam ambas indolem pertinere.

"At enim de bello, acie, vulneribus, altum plerumque in Odysseia silentium: quorum in Iliade creberrima mentio vel nauseam solet nonnemini movere." Audio: etenim hoc illud erat, quod inclinata jam ætate argumentum illud sumpsisse eum conjecimus. Ecquid Naturæ veroque propius, quam Poetæ vel vehementissimo desidere paullatim Martium illum fervorem, quum ne milites quidem fortissimi in amore militiæ permanere soleant? Quibus tamen ea multo magis quam ulli Poetarum cara esse debet; vel propter usum diuturnum, vel propter opinionem vulgi, ne officio deesse videantur.

Quanquam scire sane velim, quænam in Odysseia desiderentur veterani quasi militis indicia. Mihi quidem non inepte in ejus carminis indolem cadere videntur, quibus equum suum laudavit Virgilius:

> ..... tum si qua sonum procul arma dedere,
> Stare loco nescit; micat auribus et tremit artus,
> Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

Verbi gratia, Ulysses Eurymachum alloquitur, medio iratorum procorum cœtu[b].

> *εἰ δ' αὖ καὶ πόλεμόν ποθεν ὁρμήσειε Κρονίων*
> *σήμερον, αὐτὰρ ἐμοὶ σακὸς εἴη καὶ δύο δοῦρε,*
> *καὶ κυνέη πάγχαλκος ἐπὶ κροτάφοις ἀραρυῖα,*
> *τῷ κέ μ' ἴδοις πρώτοισιν ἐνὶ προμάχοισι μιγέντα.*

Videtisne, oblitum quid deceat partes susceptas, (etenim, ut nostis, mendicum agebat) in Iliaca plane prorumpere?

Quid, quod in Scyllam quoque gladium et arma parantem inducit[c]?

> *καὶ τότε δὴ Κίρκης μὲν ἐφημοσύνης ἀλεγεινῆς*
> *λανθανόμην, ἔπει οὔτι μ' ἀνώγει θωρήσσεσθαι·*
> *αὐτὰρ ἔγω καταδὺς κλυτὰ τεύχεα, καὶ δύο δοῦρε*
> *μάκρ' ἐν χερσὶν ἕλων, εἰς ἴκρια νῆος ἔβαινον.*

Hinc illa sæpius repetita de equo Epei, deque insidiis adactis ad ipsa Trojæ mœnia: quæ cum Ulyssis ingenium dolis amicum mirifice exprimunt, tum Homerum quoque demonstrant cupide morantem circa notas regiones et oras. Verum enimvero, quod modo fatebamur, parcius hæc et rarius adhibentur, et cum retentione quadam, plane sicut veteranum decuit.

Atque illud etiam in primis animadvertendum, quo nihil aut per se dulcius, aut mitescentibus annis aptius: temperari quodammodo per totam Odysseiam in unam speciem duas res, maxime dispares

[b] Od. xxiii. 376. [c] xii. 226.

ac dissimiles: hinc Heroicum illud ἦθος, vagum, inquietum, tentandi omnia cupidum: illinc flagrantissimum domi patriæque desiderium.

Quod primum efficitur ex summa totius operis. Non enim gloriæ ergo, velut Argonautæ, navigat Ulysses, non lucri, non imperii: unum modo solicite quærit,

οἴκαδε τ' ἐλθέμεναι, καὶ νόστιμον ἦμαρ ἰδέσθαι.

Assidue Deos otium rogat, ita tamen, ut semper arrecto sit animo in pericula ac labores. Quod ipsum navigantium ἦθος fortasse non male dicatur. Habet certe Heroicum aliquid, etsi non parum videtur abesse ab Achilleio illo splendore; eoque melius respondet ingenio annis labentibus mitigato.

Videtis quo tendat summa fabulæ. Nunc Ulyssis personam expendamus: qui cum Achille collatus illud ipsum discrimen servat, quo nos Odysseiam ab Iliade sejunctam volumus. Est ille multis annis senior: unde etiam in heroum concilio compellat Achillem pervagato illo[d],

ἔπει πρότερος γενόμην, καὶ πλείονα οἶδα.

Eaque passim dicit et agit, quibus ætas maturior solet delectari. Tum utrique nomina οἰκεῖα tribuuntur, ad eam dissimilitudinem declarandam unice comparata: Ulyssi πολύμητις. Achilli πόδας ὠκύς. Præterea non parum valet illud, quod hic plurima impetu quodam, ille ratione conficit omnia: hic tanquam æstu rapitur, ille animo semper adest. Quo in genere vel primas tenent ea quæ geruntur in antro Polyphemi. Quæ tanquam grandia ac magnifica Longino placuisse mirari soleo: mihi vero atrocia forent, ni aliqua subesset τοῦ γελοίου vena. Verum ista, credo, omnino erant perhibenda, utpote

[d] Il. xix. 219.

quæ tradidissent veteres, quibus auscultare Homerus debuit. Quomodocunque se ea res habeat, præsentissimi certe ingenii est illa dubitantis in specu deliberatio[e].

> ..... ἔπει Κύκλωψ μεγαλὴν ἐμπλήσατο νηδὺν,
> ἀνδρόμεα κρέ' ἔδων, καὶ ἐπ' ἄκρητον γάλα πίνων,
> κεῖτ' ἔντοσθ' ἄντροιο τανυσσάμενος διὰ μήλων·
> τὸν μὲν ἐγὼ βούλευσα κατὰ μεγαλήτορα θυμὸν,
> ἆσσον ἰὼν, ξίφος ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ,
> οὐτάμεναι πρὸς στῆθος, ὅθι φρένες ἦπαρ ἔχουσιν,
> χεῖρ' ἐπιμασσάμενος· ἕτερος δέ με θυμὸς ἔρυκεν·
> αὐτοῦ γάρ κε καὶ ἄμμες ἀπωλόμεθ' αἰπὺν ὄλεθρον·
> οὐ γάρ κεν δυνάμεσθα θυράων ὑψηλάων
> χερσὶν ἀπώσασθαι λίθον ὄβριμον, ὃν προσέθηκεν.

Atque hæc eo libentius affero, quod ea non obscure sapiunt actuosum illud narrandi genus, toties jam in Iliade laudatum. Ulyssem autem non modo metus verum etiam doloris mirum in modum compotem ostendunt et illa apud Inferos, ubi se matrem agnovisse refert, quæ se absente et ignaro decesserat[f]:

> τὴν ζωὴν κατέλειπον, ἰὼν εἰς Ἴλιον ἱρήν·
> τὴν μὲν ἐγὼ δάκρυσα ἰδὼν, ἐλέησά τε θυμῷ·
> ἀλλ' οὐδ' ὡς εἴων προτέρην, πυκινόν περ ἀχεύων,
> αἵματος ἆσσον ἴμεν, πρὶν Τειρεσίαο πυθέσθαι.

Est et alia quædam non levis Achillis et Ulyssis differentia, quod ille fatali vi et imperio totius vitæ cursum putavit regi, cui obsecutus, ipse se Diis quasi Manibus victimam devoverat. Nihil prorsus tale Ulysses; universa res est consilii et solertiæ. Ingruunt alia super aliis pericula; ille ex singulis viam sibi expedit, pro re nata, sapienter sane ac strenue: nos interim securi legimus: sentimus enim exitu minime dubio sive navigare cum seu insidias struere.

Ut uno verbo dicam, Illum in rebus prosperis

[e] Od. ix. 296. [f] xi. 86.

admiramur, expectantes quid agat homo voluntariæ morti addictus ac consecratus: Hunc in adversis, qua se ratione explicet, et ad fatales emergat opes. Intelligitis, opinor, uter horum juveniles animos acrius moveat.

Verum ut Achillem missum aliquando faciamus, erit fortasse operæ pretium, si pauca quædam huc adducamus, quorum ea vis sit, ut mirabiliter ponant in luce atque in oculis sitim illam domus et otii, quam ego spirare dixerim non modo Ulyssis personam, verum etiam totam, quanta quanta est, Odysseiam. Non aliam habent significationem, quibus ille primum in scenam mittitur, sub ipso Poematis initio[g]:

> *ἀλλά μοι ἀμφ' Ὀδυσῆϊ δαΐφρονι δαίεται ἦτορ,*
> *δυσμόρῳ, ὃς δὴ δηθὰ φίλων ἄπο πήματα πάσχει,*
> *νήσῳ ἐν ἀμφιρύτῃ, ὅθι τ' ὄμφαλος ἔστι θαλάσσης,*
> *νῆσος δενδρήεσσα, θεὰ δ' ἐν δώματι ναίει,*
> *Ἄτλαντος θύγατηρ ὀλοόφρονος· . . . . αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς,*

non, ut impiger ille, fieri se queritur

> *. . . . . ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης·*

tantum

> *ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι*
> *ἦς γαίης, θανέειν ἱμείρεται. . . . . .*

Neque vero absque ratione videntur illa de Atlante adjici: qui cum e gente Titanum fuerit oriundus, mirum ni Diis superis infensum se suosque objiciat, et in alia omnia discedat, quam quæ illi velint: eamque ob causam *ὀλοόφρων* a Minerva appellatur. Ac suspicor equidem sub istis latere obscura quædam illius seu religionis sive philosophiæ vestigia, quæ longe lateque apud Orientales omni tempore est dominata, de altero quodam Deorum examine, pravorum scilicet, et cum Olympicis acerrimo semper

[g] Od. i. 48.

odio pugnantium. Sane ista cogitantibus dignior apparet qui Deo vindice solvatur nodus, Ulysse apud insulam detento.

Verum ad ipsum redeamus, et contemplemur suavissimam *ἀριστὺν*, Nympham et Heroa sibi mutuo valedicentes[h]:

Διογένες Λαερτιάδη, πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ,
οὕτω δὴ οἶκονδε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν
αὖτικα νῦν ἐθέλεις ἰέναι; σὺ δὲ χαῖρε καὶ ἔμπης.
εἴγε μὲν εἰδείης σῇσι φρεσὶν, ὅσσα τοι αἶσα
κῆδε' ἀναπλῆσαι, πρὶν πατρίδα γαῖαν ἱκέσθαι,
ἔνθαδε κ' αὖθι μένων παρ' ἐμοὶ τόδε δῶμα φυλάσσοις,
ἀθάνατός τ' εἶης, ἱμειρόμενός περ ἰδέσθαι
σὴν ἄλοχον, τῆς αἰὲν ἐέλδεαι ἤματα πάντα.
οὐ μέν θην κείνης γε χερείων εὔχομαι εἶναι,
οὐ δέμας, οὐδὲ φυήν· ἔπει οὔπως, οὐδὲ ἔοικεν
θνητὰς ἀθανάτῃσι δέμας καὶ εἶδος ἐρίζειν.
τὴν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη πολύμητις Ὀδυσσεύς·
πότνια θέα, μή μοι τόδε χώεο· οἶδα καὶ αὐτὸς
πάντα μάλ', οὕνεκα σεῖο περίφρων Πηνελόπεια
εἶδος ἀκιδνοτέρη μέγεθός τ' εἰς ἄντα ἰδέσθαι·
ἡ μὲν γὰρ βροτός ἐστι, σὺ δ' ἀθάνατος καὶ ἀγήρως·
ἀλλὰ καὶ ὣς ἔθελω καὶ ἐέλδομαι ἤματα πάντα
οἴκαδέ τ' ἐλθέμεναι, καὶ νόστιμον ἦμαρ ἰδέσθαι.

Hæc etsi omnibus sint in ore, tamen ea nunc repetenda judicavi, propterea quod nil vehementius pertinet ad *ἦθος* universi operis declarandum. Primo animadvertite, quam leniter, quamque benigne abeuntem Calypso alloquatur: qua in re plerique poetæ non mediocres excitare solent turbas, Didonem aliquam nacti, sive Medeam, quæ deserta clamoribus cœlum terramque misceat. Sed Homerus dedita opera declinat amatorios istos furores; id quod velim etiam atque etiam considerent, quibus poeticæ frigent fabulæ, demptis amantium colloquiis et querimoniis.

Præterea non, ut Didonem aut Medeam, prius delenitam ultro destituit Ulysses. Quin totis illis

[h] Od. v. 203.

septem annis palam et aperte professus erat se patriam atque conjugem respicere. Itaque ea neglectam se queri potuit, deceptam queri non potuit: atque adeo ejus quasi indolentia pertinet ad Ulyssis laudem.

Deinde quam lepide quamque prudenter conjugium illud immortale est deprecatus! Dicas plane hominem regibus uti scire. Simul et suam commendat constantiam, quod non juvenili ardore, sed maturi animi judicio mortalem conjugem divæ anteponit: alioquin pulchriorem hanc vix fateretur. Plane eundem hominem agnoscas, qui Ithacam suam elogio isto ornavit[i]:

> ναιετάω δ' Ἰθάκην εὐδείελον· ἐν δ' ὄρος αὐτῇ,
> Νήριτον εἰνοσίφυλλον, ἀρίπρεπες· ἀμφὶ δὲ νῆσοι
> πολλαὶ ναιετάουσι μαλὰ σχεδὸν ἀλλήλῃσιν,
> Δουλίχιόν τε Σάμη τε, καὶ ὑλήεσσα Ζάκυνθος·
> αὐτὴ δὲ χθαμαλὴ πανυπερτάτη εἰν ἁλὶ κεῖται
> πρὸς ζόφον· αἱ δέ τ' ἄνευθε πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε·
> τρήχεῖ', ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος· οὔτοι ἔγωγε
> ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι.

Non quasi optimam desiderat, sed quasi suam.

Illa vero pulcherrima, quibus ducem depingit præter spem ad suos reversum, simul et aliud agendo inexpletam patriæ sitim declarat[k].

> ὡς δ' ὅτ' ἂν ἄγραυλοι πόριες περὶ βοῦς ἀγελαίας,
> ἐλθούσας ἐς κόπρον, ἔπην βοτάνης κορέσωνται,
> πᾶσαι ἅμα σκαίρουσιν ἐναντίαι, οὐδ' ἔτι σηκοὶ
> ἴσχουσ', ἀλλ' ἀδινὸν μυκώμεναι ἀμφιθέουσι
> μητέρας· ὣς ἐμὲ κεῖνοι, ἐπεὶ ἴδον ὀφθαλμοῖσιν,
> δακρυόεντες ἔχυντο· δόκησε δ' ἄρα σφίσι θυμὸς
> ὡς ἔμεν, ὡς εἰ πατρίδ' ἱκοίατο καὶ πόλιν αὐτῶν
> τρηχείης Ἰθάκης, ἵνα τ' ἐτράφεν ἠδ' ἐγένοντο.

Ea quoties lego, solet mihi sacrosancti carminis in mentem venire, nescio an non satis apte, sed venit

[i] Od. ix. 21. [k] x. 410.

tamen; ejus inquam carminis, quo sua concludit oracula Prophetarum ille ultimus, Malachias[1]:

> Καὶ ἀνατελεῖ ὑμῖν, τοῖς φοβουμένοις τὸ ὄνομά μου,
> Ἥλιος δικαιοσύνης, καὶ ἴασις ἐν ταῖς πτέρυξιν αὐτοῦ,
> καὶ ἐξελεύσεσθε, καὶ σκιρτήσετε,
> ὡς μοσχαρία ἐκ δεσμῶν ἀνειμένα.

Videlicet, prædicto impiorum excidio, eundem illum diem vaticinatur almum fore justis et plusquam genialem: oriturum quippe quasi Solem Justitiæ, et radiis utrinque effusis, veluti lucido alarum ambitu, tecturum et sanaturum omnia. Quo viso, prodituros extemplo obviam, quibus insit vera ac viva pietas, neque alio se jactaturos gaudio, ac solent vituli, conspecta matre.

Hæc timide et hæsitanter propono, ut decet Hebraicarum literarum pæne rudem: hoc certe videre mihi videor, imaginem exstare non paullo dulciorem, si *σκιρτήματα* quis ea referat ad lætitiam, viso novo sole conceptam, quam si de vitulis tantum cogitet, uberiore pastu, ut fit, gestientibus.

Sed illuc, unde abii, redeam. Non semel in Odysseia, cum jam pæne tetigimus portum, variis casibus in altum rapimur. Quod ipsum intendit quodammodo et mire acuit domestici otii cupidinem. Velut ubi primum, demenso Egæo, flectitur prora Ionium versus[m]:

> καὶ νύ κεν ἀσκηθὴς ἱκόμην ἐς πατρίδα γαῖαν,
> ἀλλά με κῦμα, ῥόος τε, περιγνάμπτοντα Μάλειαν,
> καὶ Βορέης ἀπέωσε, παρέπλαγξέν τε Κυθήρων.

Item in Æoli ἐπεισοδίῳ[n],

> ἐννῆμαρ μὲν ὁμῶς πλέομεν νύκτας τε καὶ ἦμαρ,
> τῇ δεκάτῃ δ' ἤδη ἀνεφαίνετο πατρὶς ἄρουρα·
> καὶ δὴ πυρπολέοντας ἐλεύσσομεν, ἐγγὺς ἐόντας.....
> .....βουλὴ δὲ κακὴ νίκησεν ἑταίρων·
> ἀσκὸν μὲν λῦσαν, ἄνεμοι δ' ἐκ πάντες ὄρουσαν.

[1] Mal. iv. 2. [m] Od. ix. 79. [n] x. 28.

τοὺς δ' αἶψ' ἁρπάξασα φέρεν πόντονδε θύελλα
κλαίοντας, γαίης ἀπὸ πατρίδος· αὐτὰρ ἔγωγε
ἐγρόμενος κατὰ θυμὸν ἀμύμονα μερμήριξα,
ἦ ἐ πεσὼν ἐκ νηὸς ἀποφθίμην ἐνὶ πόντῳ,
ἦ ἀκέων τλαίην, καὶ ἐτὶ ζωοῖσι μετείην.
ἀλλ' ἔτλην καὶ ἔμεινα· καλυψάμενος δ' ἐνὶ νηῒ
κείμην·

Neque alio spectant, opinor, illa artificio plane exquisito, quæ aliquantum temporis locorum oblitum faciunt, et patrio quoque in litore mœrentem, quasi alio devectus foret [o].

. . . . . ὁ δ' ἔγρετο δῖος Ὀδυσσεὺς,
εὖδων ἐν γαίῃ πατρωΐῃ, οὐδέ μιν ἔγνω,
ἤδη δὴν ἀπέων· περὶ γὰρ θεὸς ἦερα χεῦεν
Παλλὰς Ἀθηναίη κούρη Διός· . . . . . .
τοὔνεκ' ἄρ' ἀλλοειδέα φαινέσκετο πάντα ἄνακτι,
ἀτράπιτοί τε διηνέκεες, λιμένες τε πάνορμοι,
πέτραι τ' ἠλίβατοι καὶ δένδρεα τηλεθόωντα.
στῆ δ' ἄρ' ἀναΐξας, καὶ ῥ' εἴσιδε πατρίδα γαῖαν·
ὤμωξέν τ' ἄρ' ἔπειτα, καὶ ὠ πεπλήγετο μηρὼ
χερσὶ καταπρηνέσσ', ὀλοφυρόμενος δ' ἔπος ηὔδα·
ὤ μοι ἐγὼ, τέων αὖτε βροτῶν ἐς γαῖαν ἱκάνω;

Sciens prudensque fecit Homerus, ut patriam fruendam non *ἀθρόως* sed spissis quasi gradibus concederet. Eoque plenius et melius docemur quid in forti viro possit, quam penitus insideat animo, natale solum. Ithacam primo nominat Minerva, sub adolescentis specie obvia [p]:

. . . . . γήθησεν δὲ πολύτλας δῖος Ὀδυσσεὺς,
χαίρων ἣ γαίῃ πατρωΐῃ; . . . . . .

sed postquam Minervam esse intellexit, nescio qua suspicione angitur: quam illa tum demum levat, amovetque, cum prius experimento cognoverit, nihil in hac re subitum, nihil cum impetu agere eum velle; ratione ac via processurum esse, ne domi quoque, quod aiunt, naufragium patiatur: tum,

[o] Od. xiii. 187. [p] xiii. 250.

inquam, Dea velum aperit, et digitis ordine monstrat omnia[q]:

> ἀλλ' ἄγε τοι δείξω Ἰθάκης ἕδος, ὄφρα πεποίθῃς·
> Φορκύνος μὲν ὅδ' ἐστὶ λιμὴν, ἁλίοιο γέροντος·
> ἦδε δ' ἐπὶ κρατὸς λιμένος τανύφυλλος ἐλαίη·
> ἄγχοθι δ' αὐτῆς ἄντρον ἐπήρατον, ἠεροειδὲς,
> ἷρον Νυμφάων, αἱ Νηϊάδες καλέονται·
> τοῦτο δέ τοι σπέος ἐστὶ κατήρεφες, ἔνθα σὺ πολλὰς
> ἕρδεσκες Νύμφῃσι τελήεσσας ἑκατόμβας·
> τοῦτο δὲ Νήριτόν ἐστιν, ὄρος καταείμενον ὕλῃ·
> ὣς εἴπουσα θέα σκέδασ' ἠέρα· εἵσατο δὲ χθών·
> γήθησεν δ' ἄρ' ἔπειτα πολύτλας δῖος Ὀδυσσεὺς,
> χαίρων ᾗ γαίῃ· κύσε δὲ ζείδωρον ἄρουραν.
> αὖτικα δὲ Νύμφῃς ἠρήσατο, χεῖρας ἀνάσχων·
> Νύμφαι Νηϊάδες, κοῦραι Διὸς, οὔποτ' ἔγωγε
> ὄψεσθ' ὕμμ' ἐφάμην· νῦν δ' εὐχωλῆσ' ἀγανῇσιν
> χαίρετ'· ἀτὰρ καὶ δῶρα διδώσομεν, ὡς τὸ πάρος περ.

Luculentum sane picturæ genus: cui tamen officere putant nonnulli, quod bis eandem speluncam (ita enim interpretantur) nominat Poeta: *ἄγχοθι δ' αὐτῆς ἄντρον ἐπήρατον*, et post, *τοῦτο δέ τοι σπέος ἐστὶ κατηρεφές*. Rem inutiliter repeti criminantur. Sed vereor an non satis intellexerint quid sibi voluerit hic loci Homerus. Nam ille, ut videtur, sive recordatus est sive sibi finxit ejusmodi littus, in quo cavi duo sint anfractus: quorum alter altero obscurior sit atque interior, et sanctiore quadam religione servatus: quem et *ἷρον Νυμφάων ἄντρον* appellat: quem et ipse antea suavissimo carmine depinxerat[r]:

> ἐν δὲ κρητῆρές τε καὶ ἀμφιφορῆες ἐάσιν
> λαΐνοι· ἔνθα δ' ἔπειτα τιθαιβώσσουσι μελίσσαι·
> ἐν δ' ἴστοι λίθεοι περιμήκεες, ἔνθα τε Νύμφαι
> φάρε' ὑφαίνουσιν ἁλιπόρφυρα, θαῦμα ἰδέσθαι·
> ἐν δ' ὕδατ' ἀενάοντα· δύω δέ τέ οἱ θύραι εἰσίν·
> αἱ μὲν πρὸς Βορέαο, καταιβαταὶ ἀνθρώποισιν,
> αἱ δ' αὖ πρὸς Νότου εἰσὶ, θεωτέραι· οὐδέ τι κείνῃ
> ἄνδρες ἐσέρχονται, ἀλλ' ἀθανάτων ὁδός ἐστιν.

[q] Od. xiii. 344. [r] xiii. 105.

Alter specus apertior erat et latior, et hominibus accessu facilior; quasi quoddam atrium Nympharum sacello præstruatur; atque hic hecatombas suas credibile est mactasse Ithacenses. Hanc, ut dixi, digitis monstrat Minerva: alteram non in conspectu poni significat;

> ἥδε δ' ἐπὶ κράτος λίμενος τανύφυλλος ἐλαίη,
> ἄγχοθι δ' αὐτῆς ἄντρον.....

Atque hic fortasse nimii sumus: sed norunt periti, quæstiones hasce in minutulis rebus verti.

Proximo loco illud erit expendendum; quod tot annos navigantem Ulyssem, tot littora et portas devectum, ubique ferme excipit tranquillum vivendi genus, quo fit, ut nullo non tempore subeat mœstissima patriæ et otii recordatio. Quot habuit orbis ille heroicus genera et formas secure degendi, veniunt in ejus circuitum omnia: non dedita scriptoris opera, quod molestum foret ac putidum, sed quoniam ita ferebat tacita quædam carminis lex, animusque rei poeticæ divinus.

Principio, Lotophagos adit, homines simplicissima vita victuque, et sub fervido Solo degentes: nam ad eos meridionalem cursum novem diebus a Malea conficit Ulysses[8]:

> .....αὐτὰρ δεκάτῃ ἐπέβημεν
> γαίης Λωτοφάγων, οἵτ' ἄνθινον εἶδαρ ἔδουσιν....
> οὔδ' ἄρα Λωτοφάγοι μήδονθ' ἑτάροισιν ὄλεθρον
> ἡμετέροις, ἀλλά σφι δόσαν λωτοῖο πασάσθαι·
> τῶν δ' ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπόν,
> οὔκετ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν, οὐδὲ νεέσθαι,
> ἀλλὰ αὐτοῦ βούλοντο μετ' ἀνδράσι Λωτοφάγοισιν
> λωτὸν ἐρεπτόμενοι μενέμεν, νόστου τε λαθέσθαι.
> τοὺς μὲν ἐγὼν ἐπὶ νῆας ἄγον κλαίοντας ἀνάγκῃ,
> νηυσὶ δ' ἐνὶ γλαφυρῇσιν ὑπὸ ζυγὰ δῆσα ἐρύσσας.

[8] Od. ix. 83.

Mutato nomine, narrentur eadem de Pacifici maris insulis, hac et patrum memoria exploratis: quorum incolæ arbore vescebantur, quæ nomen a pane habet. Etenim ex nostris non defuere, qui patriæ obliti istic manere voluerint, capti scilicet otiosis voluptatibus et languida loci indole.

Aliud porro genus otii repræsentant nobis Cyclopeia, pastoritium illud et luxu agresti diffluens[q].

> .....σπέος εἴδομεν ἄγχι θαλάσσης
> ὑψηλὸν, δάφνῃσι κατηρεφές· ἔνθα δὲ πολλὰ
> μῆλ', ὄϊές τε καὶ αἶγες ἰαύεσκον· περὶ δ' αὐλὴ
> ὑψηλὴ δέδμητο κατωρυχέεσσι λίθοισιν,
> μακρῇσίν τε πίτυσσιν ἰδὲ δρυσὶν ὑψικόμοισιν.....
> [r]τάρσοι μὲν τυρῶν βρῖθον, στείνοντο δὲ σηκοὶ
> ἀρνῶν ἠδ' ἐρίφων· ναῖον δ' ὀρῷ ἄγγεα πάντα,
> γαυλοί τε σκαφίδες τε, τετυγμένα, τοῖς ἐνάμελγεν...
> [s]ἑζόμενος δ' ἤμελγεν ὅϊς καὶ μηκάδας αἶγας
> πάντα κατὰ μοῖραν, καὶ ὑπ' ἔμβρυον ἦκεν ἑκάστῃ.
> αὐτίκα δ' ἥμισυ μὲν θρέψας λευκοῖο γάλακτος
> πλεκτοῖς ἐν ταλάροισιν ἀμησάμενος κατέθηκεν·
> ἥμισυ δ' αὖτ' ἔστησεν ἐν ἄγγεσιν, ὄφρα οἱ εἴη
> πίνειν αἰνυμένῳ, καὶ οἱ ποτιδόρπιον εἴη.....
> [t]ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος Ἠώς,
> καὶ τότε πῦρ ἀνέκαιε καὶ ἤμελγε κλυτὰ μῆλα.....
> πολλῇ δὲ ῥοίζῳ πρὸς ὄρος τρέπε πίονα μῆλα.....
> ἐσπερίος δ' ἦλθεν καλλίτριχα μῆλα νομεύων.

Cernitis ut omnia comparentur ad mulcendos navitarum animos, maritimo jam labore fessos? ut quæque res significationem habeat incomptæ ac rudis copiæ, vitæque secure sub dio actæ?

Quod si cui mirabile esse videatur, quomodo ea conjungi possint cum truci cæde hospitum et epulis immanibus, meminerit is velim Scytharum veterum; qui cum pastores essent et armentarii, abiit tamen eorum nomen in proverbium feritatis. Et credibile est, etiam Siciliæ latus aliquod olim tenuisse homines

[q] Od. ix. 182. [r] ix. 219. [s] ix. 244. [t] ix. 307, 315, 336.

ea barbarie infames. Fieri tamen potuit ut eorum mapalia, siquis in ea vacua venisset, non mediocriter animum motura sint, rustica quadam et secura opulentia.

Unum addam, quod pæne præterii, ne forte suspicetur aliquis non bene convenire cum atroci ingenio Polyphemi sermonem cum ariete habitum, suavissimis versibus[u].

> *κριὲ πέπον, τί μοι ὧδε διὰ σπέος ἔσσυο μήλων*
> *ὕστατος; οὔτι πάρος γε λελείμμενος ἔρχεαι οἰῶν,*
> *ἀλλὰ πολὺ πρῶτος νέμεαι τέρεν' ἄνθεα ποίης,*
> *μακρὰ βιβάς· πρῶτος δὲ ῥοὰς ποταμῶν ἀφικάνεις·*
> *πρῶτος δὲ στάθμονδε λιλαίεαι ἀπονέεσθαι*
> *ἑσπερίος· νῦν αὖτε πανύστατος· ἦ σύ γ' ἄνακτος*
> *ὀφθαλμὸν ποθέεις; τὸν ἀνὴρ κάκος ἐξαλάωσεν....*
> *εἰ δὴ ὁμοφρονέοις. ποτιφωνήεις τε γένοιο,*
> *εἰπεῖν, ὅππη κεῖνος ἐμὸν μένος ἠλασκάζει.*

Petita sunt hæc ab intima Natura: nam homines alioquin durissimi non raro teneriore sunt indole erga canes suos et equos, et si quam alunt bestiam animi causa: videlicet erumpentibus quasi scintillis, quas intus fovent, humanioris ingenii. Quippe morosi et atroces isti habent plerumque non parum arrogantiæ: pudet pigetque coram testibus mitigari, et molliores aliquando fieri; itaque nescio quo instinctu eos sibi deligunt amicos, qui nemini ne mutire quidem possint. Norunt omnes equum Caligulæ, Tiberii draconem: neque aliud fortasse agebat contemptor ille Divum Mezentius, equum flebiliter ac suaviter adeo allocutus[x],

> Rhœbe, diu, res si qua diu mortalibus ulla est,
> Viximus.....

Pertinebat utique ad ipsam humanitatem, asperis ac truculentis rebus immisceri quædam mitiore vena.

[u] Od. ix. 447. [x] Æn. x. 861.

Pergamus cum Ulysse ad insulam Æoliam. Nam ibi quoque inventa narrantur, quæ feriant oculos navigantium otii amore, multum quidem ab eo diversi, quod agebat Cyclops solitarius in antro cum ovibus et capellis. Sed Æolicum illud hospitium tutissimos intra parietes continetur, proximeque accedit ad civilem vivendi normam[y].

> .....πᾶσαν δέ τέ μιν πέρι τεῖχος
> χάλκεον, ἄῤῥηκτον, λισσὴ δ' ἀναδέδρομε πέτρη.
> τοῦ καὶ δώδεκα παῖδες ἐνὶ μεγάροις γεγάασιν,
> ἓξ μὲν θυγάτερες, ἓξ δ' υἷεες ἡβώοντες.
> οἱ δ' αἰεὶ παρὰ πατρὶ φίλῳ καὶ μητέρι κεδνῇ
> δαίνυνται· παρὰ δέ σφιν ὀνείατα μυρία κεῖται·
> κνισσῆεν δέ τε δῶμα περιστεναχίζεται αὐλῇ
> ἤματα· νύκτας δ' αὖτε παρ' αἰδοιῇς ἀλόχοισιν
> εὕδουσ', ἔν τε τάπησι καὶ ἐν τρητοῖς λεχέεσσιν·
> καὶ μὲν τῶν ἱκόμεσθα πόλιν καὶ δώματα καλά.
> μῆνά τε πάντα φίλει με, καὶ ἐξερέεινεν ἕκαστα.

Proxime ab Æolo venit Circe; (nam Læstrygonas nihil moror, non magnopere huc pertinentes). Atque etiam in iis quæ sunt de Circes insula non diffiteor apparere quædam, quæ a nostra ratione non leviter dissentire videantur. Etenim qui alias ardet inexpleta patriæ visendæ cupidine, is in magicis atriis, nimium patienter, integrum cunctatur annum. Tum etiam non ultro, sed comitum precibus fatigatus. Divam rogat veniam abeundi. Itaque vel hic dormitasse dicendus est Homerus, vel id erit excusandum, quod aliquo loco docet Mercurius Ulyssem[z]:

> ἔνθα σὺ μηκέτ' ἔπειτ' ἀπανήνασθαι.....
> ὄφρα κέ τοι λύσῃ θ' ἑτάρους, αὐτόν τε κομίσσῃ.

Diuturna mora placanda erat Circe, ne non viam aperiret tum ad Tiresiam tum ad Ithacam.

Præterea miris modis lassati ac vexati tetigerant

[y] Od. ix. 3. [z] x. 297.

insulam, longaque requie erant reficiendi: ad eamque invitans Circe dulcissimam simul reditus spem insinuat[a]:

μηκέτι νῦν θαλερὸν γόον ὄρνυτε· οἶδα καὶ αὐτὴ,
ἠμὲν ὅσ' ἐν πόντῳ πάθετ' ἄλγεα ἰχθυόεντι,
ἠδ' ὅσ' ἀνάρσιοι ἄνδρες ἐδηλήσαντ' ἐπὶ χέρσου.
ἀλλ' ἄγετ', ἐσθίετε βρώμην, καὶ πίνετε οἶνον,
εἴσοκεν αὖτις θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι λάβητε,
οἷον ὅτε πρώτιστον ἐλείπετε πατρίδα γαῖαν
τρηχείης Ἰθάκης.

Videtis eam, ut erat peracuto ingenio, bene nosse nautarum pectora; et omnino de ea vere dici potuisse quæ de Ulysse dicuntur in Iliade,

ἤπια δήνεα οἶδε[b]. . . . . .

Cæterum quæ isti fabulæ intexuntur de sylvestri illa solitudine, de fumo procul viso super arboribus, de voce ipsius Divæ ad telam argute canentis, cum per se pulcherrima sunt, tum ad hoc perite accommodantur, ut acriter cujusque animum intendant in domum longinquam, dulcesque liberos[c].

ἔστην δὲ, σκοπιὴν ἐς παιπαλόεσσαν ἀνέλθων,
καί μοι ἐείσατο καπνὸς ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης
Κίρκης ἐν μεγάροισι, διὰ δρυμὰ πυκνὰ καὶ ὕλην. . . .
ἔσταν δ' ἐν προθύροισι θεᾶς καλλιπλοκάμοιο,
Κίρκης δ' ἔνδον ἄκουον ἀειδούσης ὀπὶ καλῇ. . . .
τοῖσι δὲ μύθων ἦρχε Πολίτης. . . .
ὦ φίλοι, ἔνδον γάρ τις ἐποιχομένη μέγαν ἶστον
καλὸν ἀοιδιάει, δάπεδον δ' ἅπαν ἀμφιμέμυκεν,
ἢ θεὸς ἠὲ γυνή. . . . . .

Verum in his eo sum parcior, quoniam ea magna ex parte conveniunt cum pictura omnium exquisitissima, qua depingitur nemus et antrum Calypsus[d].

ἀλλ' ὅτε δὴ τὴν νῆσον ἀφίκετο τηλόθ' ἐοῦσαν,
ἔνθ' ἐκ πόντου βὰς ἰοειδέος ἤπειρόνδε
ἤιεν, ὄφρα μέγα σπέος ἵκετο, τῷ ἐνὶ Νύμφη
ναῖεν ἐϋπλόκαμος· τὴν δ' ἔνδοθι τέτμεν ἐοῦσαν·

[a] Od. x. 457. [b] Il. iv. 361. [c] Od. x. 158, 220, 226. [d] v. 55.

πῦρ μὲν ἐπ' ἐσχαρόφιν μέγα καίετο, τηλόθι δ' ὀδμὴ
κέδρου τ' εὐκεάτοιο θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει,
δαιομένων· ἡ δ' ἔνδον ἀοιδιάουσ' ὀπὶ καλῇ,
ἱστὸν ἐποιχομένη, χρυσείῃ κερκίδ' ὕφαινεν.
ὕλη δὲ σπέος ἀμφὶ πεφύκει τηλεθόωσα,
κλήθρη τ' αἴγειρός τε καὶ εὐώδης κυπάρισσος.

Illud quidem non leve interest, quod hæc omnino sylvestria sunt, illa ad Circen pertinentia cultum aliquem urbanum sapiunt: quippe de quibus dicatur[d],

.....τετυγμένα δώματα Κίρκης
ξεστοῖσιν λάεσσι, περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ.
ἔσταν δ' ἐν προθύροισι.....
ἡ δ' αἶψ' ἐξελθοῦσα θύρας ἄϊξε φαεινάς.

Quanto dulcius et jucundius hæc, quæ præ se ferunt naturam meram!

ἔνθα δέ τ' ὀρνίθες ταννσίπτεροι εὐνάζοντο,
σκῶπες τ', ἰρηκές τε, τανύγλωσσοί τε κορῶναι
εἰναλίαι, τῆσίν τε θαλάσσια ἔργα μέμηλεν.

Venustissime nominat ejusmodi aves, quæ soleant plerumque ire dormitum in locis maxime remotis atque abditis: quod desertissimæ solitudinis sit indicio.

ἠδ' αὐτοῦ τετάνυστο περὶ σπείους γλαφυροῖο
ἡμερὶς ἠβώωσα, τεθήλει δὲ σταφυλῇσιν·
κρῆναι δ' ἐξείης πισύρες ῥέον ὕδατι λευκῷ
πλησίαι ἀλλήλων τετραμμέναι ἄλλυδις ἄλλῃ.
ἀμφὶ δὲ λειμῶνες μαλακοὶ ἰόν ἤδε σελίνου
θήλεον· ἔνθα κ' ἔπειτα καὶ ἀθάνατός περ ἐπέλθων
θηήσαιτο ἴδων, καὶ τερφθείη φρεσὶν ἦσιν.

Conjiciat aliquis non absurde, scriptorem præ oculis habuisse locum aliquem eximie a se dilectum, quem mollissimo illo carmine futuris temporibus commendari voluit. Præbuit quidem certe exemplar et specimen omnibus, quotquot usquam

[d] Od. x. 210.

post eum versati sunt in eodem loco; qui locus est in commentariis Poetarum atque in peregrinantium fabulis uberrimus, videlicet de iis, quos forte naufragium ejecerit in littus aliquod vacuum; quid agant, quo se recipiant, quemadmodum victum et vitæ commoda parent.

Quo in genere primas tenet, et semper, credo, tenebit historia illa, vel pueris notissima, de navita quodam nostrate, duodecim annos solo exsulante in Australi quadam insula. Fuit, fuit illud exsilium simillimum eorum quæ de Ulysse narrantur; præsertim ubi is ad ratem conficiendam aggreditur: modo Nympham illam non oculis cerni intelligas, sed adesse quendam quasi Genium loci, qui postquam diu mœrentem detinuerit, vix tandem incipiat monstrare effugii viam[e].

καὶ τότ' Ὀδυσσῆ μεγαλήτορι μήδετο πομπήν·
δῶκε μέν οἱ πέλεκυν μέγαν ἄρμενον ἐν παλαμῇσι,
δῶκε δ' ἔπειτα σκέπαρνον ἐὐξουν· ἦρχε δ' ὁδοῖο
νήσου ἐπ' ἐσχατιῆς, ὅθι δένδρεα μακρὰ πεφύκει,
κλήθρη τ' αἴγειρός τ', ἐλάτη τ' ἦν οὐρανομήκης,
αὖα πάλαι, περίκηλα, τά οἱ πλώοιεν ἐλαφρῶς.
αὐτὰρ ὁ τάμνετο δοῦρα· θοῶς δέ οἱ ἤνυτο ἔργον·
εἴκοσι δ' ἔκβαλε πάντα, πελέκκησεν δ' ἄρα χαλκῷ,
ξέσσε δ' ἐπισταμένως, καὶ ἐπὶ στάθμην ἴθυνεν·
τόφρα δ' ἔνεικε τέρετρα Καλύψω διὰ θεάων·
τέτρηνεν δ' ἄρα πάντα, καὶ ἥρμοσεν ἀλλήλοισιν·
τόφρα δὲ φάρε' ἔνεικε Καλύψω διὰ θεάων
ἱστία ποιήσασθαι· ὁ δ' εὖ τεχνήσατο καὶ τά.
ἐν δ' ὑπέρας τε κάλους τε πόδας τ' ἐνέδησεν ἐν αὐτῇ·
μόχλοισιν δ' ἄρα τήνγε κατείρυσεν εἰς ἅλα δῖαν.

Quod si cuivis ea legentibus ultro veniat in animum ea quam nos modo instituimus comparatio, nimirum res ipsa docet, Academici, quam unice in Odyssea dominetur patriæ, domus, suorum desiderium.

[e] Od. v. 233.

Veruntamen id prorsus tenendum arbitror, non domum modo et otium quæri ab Ulysse, sed eam domum, id otium, quod viro forti ac magno bene conveniat. Ex quo efficitur altera quædam pars fabulæ, et facies rerum vere Epica: uberrima varietate, gravissimo affectu. Sed ad eam tum denique aggrediendum a nobis censeo, si prius pauca quædam explicavero, quæ ad hodiernam quæstionem pertinent: partim derivata de illis quæ apud Phæaciam agi fingit Poeta, partim hic illic universo carmine sparsa ultro atque fusa.

PRÆLECTIO DUODECIMA.

Ulyssis errores ea lege gubernari, ut majus in dies accendatur patriæ et otii (sed honesti) desiderium. Plurima in Odysseia, præsertim νεκυομαντείαν illam, ad eam accommodari formulam. Odysseiæ summam ad universum rei Hellenicæ statum, temporibus Homericis, pertinere.

UT uno verbo repetam, Academici, disputationis nostræ de Odysseia, jamdudum institutæ, summa huc redierat; ut in divino carmine coram se cernere putaret aliquis quoddam quasi *narigantium* ἦθος. Cujus quidem indolis cum illud sit maxime proprium, ut miris modis inter se temperet hinc laudis et gloriæ sitim, illinc desiderium soli natalis; nemo non videt eam felicissime congruere senescenti jam vel heroi vel heroici carminis inventori. Jam autem ad eam declarandam satis apta videbatur totius Ulyssei cursus ratio, monstrantis aliam super alia civilis vitæ et otii formam. Sive enim spectes mollitiem istam Lotophagorum, seu pastorales Polyphemi opes, sive Æolum domi epulantem, seu Circen

carminibus et magiæ operam dantem, seu denique dulcissimas illas Calypsus medio in mari latebras: omnia videbis comparari ad otium commendandum, animumque mulcendum memoria domesticæ quietis.

Neque vero alium servant tenorem quæ in Phæaciam delato fiunt obvia: qui locus Homericorum omnium maxime regnat in otio civili describendo, atque in iis quæ pertinent ad stabile ac quasi ornatum vivendi genus.

Principio, ea quæ lepidissime narrantur, non sine *ἀφελείᾳ* quadam, de choro illo puellarum, qui primus occurrit ejecto in littus ignotum, ejusmodi sunt prorsus, quæ naufragi hospitis animum in suarum famularum pensa referant. Credibile est maxime commoveri ægrum ac fessum ac multo sale jactatum, vel ipsa illa festivitate ac lusu, qualis esse solet earum, quæ totum æstivum diem securæ sub dio agant[a].

αὐτὰρ ἐπεὶ πλῦνάν τε κάθηράν τε ῥύπα πάντα,
ἑξείης πέτασαν παρὰ θῖν' ἁλὸς, ᾗχι μάλιστα
λάϊγγας ποτὶ χέρσον ἀποπλύνεσκε θάλασσα.
αἱ δὲ λοεσσάμεναι καὶ χρισάμεναι λίπ' ἐλαίῳ,
δεῖπνον ἔπειθ' εἵλοντο παρ' ὄχθῃσιν ποταμοῖο·
εἵματα δ' ἠελίοιο μένον τερσήμεναι αὐγῇ.
αὐτὰρ ἐπεὶ σίτου τάρφθεν δμωαί τε καὶ αὐτή,
σφαίρῃ ταίτ' ἄρ' ἔπαιζον, ἀπὸ κρήδεμνα βαλοῦσαι·
τῇσι δὲ Ναυσικάα λευκώλενος ἦρχετο μολπῆς.

Fortasse et illud non absque consilio erat, quod Nausicaa non luxu regali, qualis illa apud Virgilium.

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo,

sed domesticis intenta negotiis prodiret. Nam quod in ejusmodi re plerumque, ut nostis, solet dici, habendam esse rationem simplicitatis pristinæ, nudæque illius sine fuco antiquitatis: vere illud quidem dicitur, sed

[a] Od. vi. 96—101.

metuo ne parum ad rem hodiernam faciat. Esto enim, Nausicaam regis filiam non dedecuit ancillæ munus: num id statim præ cæteris erat eligendum, quo uno occupatam inveniret naufragus Ulysses? Omnino credendum est etiam in talibus habere summos Poetas quo oculum intendant, nec sine tacito quodam consilio et norma deligere quid potissimum narrent. Viget etiamnum mos Orientalibus, ut foris ad flumina vestes lavent mulieres, alioquin religiosissime ab oculis virorum remotæ. Qui mos et in Iliade tangitur, ubi fontes quosdam ponit Poeta quasi metam Hectorei cursus[b]:

> .....πλυνοὶ εὐρέες ἐγγὺς ἔασιν,
> καλοὶ, λαΐνεοι, ὅθι εἵματα σιγαλόεντα
> πλύνεσκον Τρώων ἄλοχοι, καλαί τε θύγατρες,
> τοπρὶν ἐπ' εἰρήνης, πρὶν ἐλθεῖν υἷας Ἀχαιῶν.

Quæ et ipsa dulcissima sunt, luce quadam securitatis et otii, brevissimo temporis puncto, in rem atrocissimam revocata ac refusa. Vix autem fieri potuit, quin Homero, circa suam Asiam erranti, sicut et hodie peregrinantibus, sæpius in oculos incurrerint ea, quibus ille suam ornavit Nausicaam. Jam talia in deliciis habuisse mitem atque comptum senem, testimonio sint versus a Thucydide repetiti, pretiosum siquid aliud λείψανον. Deliacas virgines salvere jubet Poeta[c]:

> ἀλλ' ἄγεθ', ἵληκοι μὲν Ἀπόλλων, Ἀρτέμιδί ξυν,
> χαίρετε δ' ὑμεῖς πάσαι· ἐμεῖο δὲ καὶ μετόπισθεν
> μνήσασθ', ὅππότε κέν τις ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
> ἔνθαδ' ἀνείρηται ξεῖνος ταλαπείριος ἔλθων·
> ὦ κοῦραι, τὶς δ' ὔμμιν ἀνὴρ ἥδιστος ἀοιδῶν
> ἔνθαδε πωλεῖται, καὶ τῷ τέρπεσθε μάλιστα;
> ὑμεῖς δ' εὖ μάλα πάσαι ὑποκρίνασθε ἀφήμως·
> τύφλος ἀνὴρ, οἰκεῖ δὲ Χίῳ ἔνι παιπαλοέσσῃ.

[b] Il. xxii. 153. [c] Hymn. in Apoll. 165, Thuc. 3. 104.

Plane gemella sunt ea, ni fallor, atque ista, quæ de Nausicaa dicta nos hoc tempore tractamus: qualia, ut dixi, non sine exquisito judicio eo potissimum loco adhibentur, quo maxime erant reficiendi animi post infandum Oceani tumultum.

Deinde recolite quibus illa signis doceat Ulyssem quæ via sit, qui urbis ingressus, cui nemori commodissime ad tempus succedat aliquis; ipsum adeo aulæ paternæ ordinem, et quo quisque loco ante focum sedeat[d]:

> δῆεις ἀγλαὸν ἄλσος Ἀθήνης ἄγχι κελεύθου
> αἰγείρων· ἐν δὲ κρήνη νάει, ἀμφὶ δὲ λείμων·
> ἔνθα δὲ πατρὸς ἐμοῦ τέμενος, τεθαλυῖα τ' ἀλωὴ,
> τόσσον ἀπὸ πτόλιος, ὅσσον τε γέγωνε βοήσας·
> ἔνθα καθεζόμενος μεῖναι χρόνον, εἰσόκεν ἡμεῖς
> ἄστυδε ἔλθωμεν, καὶ ἱκώμεθα δώματα πατρός.
> αὐτὰρ ἐπὴν ἡμέας ἔλπῃ ποτὶ δώματ' ἀφῖχθαι,
> καὶ τότε Φαιήκων ἴμεν ἐς πόλιν, ἠδ' ἐρέεσθαι
> δώματα πατρὸς ἐμοῦ μεγαλήτορος Ἀλκινόοιο.
> ῥεῖα δ' ἀρίγνωτ' ἐστὶ, καὶ ἄν παῖς ἡγήσαιτο
> νήπιος· οὐ μὲν γάρ τι ἐοικότα τοῖσι τέτυκται
> δώματα Φαιήκων, οἷος δόμος Ἀλκινόοιο
> ἥρωος· ἀλλ' ὁπότ' ἄν σε δόμοι κεκύθωσι καὶ αὐλὴ,
> ὦκα μάλα μεγάροιο διελθέμεν, ὄφρ' ἂν ἵκηαι
> μητέρ' ἐμήν· ἡ δ' ἧσται ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν πυρὸς αὐγῇ,
> ἠλάκατα στρωφῶσ' ἁλιπόρφυρα, θαῦμα ἰδέσθαι,
> κίονι κεκλιμένη· δμωαὶ δέ οἱ εἵατ' ὄπισθεν·
> ἔνθα δὲ πατρὸς ἐμεῖο θρόνος ποτικέκλιται αὐγῇ,
> τῷ ὅγε οἰνοποτάζει ἐφήμενος, ἀθάνατος ὥς.
> τὸν παραμειψάμενος, μητρὸς παρὰ γούνασι χεῖρας
> βάλλειν ἡμετέρης.....

Videtis omnia comparari ad speciem tranquillitatis et otii non indecori: quali qui fruuntur, suo loco, suo tempore gerunt omnia, nec multum variant agenda de die in diem.

Sed et universa Phæacum regione, quaquaversus

[d] Od. vi. 291.

circumferantur oculi, præsto erit urbanæ vitæ et opum ingenuarum exemplar; qua ex parte scilicet credibile est Homero innotuisse istiusmodi vivendi tenorem. Hoc agit nobilis ille hortus, suis limitibus artificiose adeo sectus; eaque ornatus cultorum cura, quæ nullo unquam tempore pomorum seriem deficere sinat. Quo in loco illud præsertim locupletes homines prodit et otiosos, quod aquarum quoque per urbem ductus memorantur, hortique non sine artificio quodam, uti videtur, irrigati. Quæ omnia optime ex altera parte respondent incultæ illi Ortygiæ, aviisque locis, nulla unquam violatis arte.

Præterea mores artesque Phæacum sapiunt cum primis divitias et mollitiem: non multum absimiles eorum, qui suo cuipiam artificio tam impense a pueris operam dederint, ut inertes et inepti ad cætera omnia accedant; neve latum quidem unguem a penso diurno discedere valeant vel manus eorum vel ingenia. Ac nescio an id Homero in mentem venerit; certe apud illum Phæacia duas artes quasi proprias sibi vindicat, navigandi scilicet ac lanificii[e]:

> ὅσσον Φαίηκες περὶ πάντων ἴδριες ἀνδρῶν
> νῆα θοὴν ἐνὶ πόντῳ ἐλαυνέμεν, ὡς δὲ γυναῖκες
> ἱστὸν τεχνῆσαι· περὶ γάρ σφισι δῶκεν Ἀθήνη
> ἔργα τ' ἐπίστασθαι περικαλλέα καὶ φρένας ἐσθλάς.

In cæteris, quæ ad virum et ad heroa magis pertinere videantur, facile se superari patitur Alcinous[f]:

> οὐ γὰρ πυγμάχοι εἰμὲν ἀμύμονες, οὐδὲ παλαισταὶ,
> ἀλλὰ ποσὶ κραιπνῶς θέομεν, καὶ νηυσὶν ἄριστοι·
> αἰεὶ δ' ἡμῖν δαὶς τε φίλη, κίθαρίς τε χοροί τε,
> εἵματα τ' ἐξημοιβὰ, λοετρά τε θερμὰ καὶ εὐναί.

[e] Od. vii. 108. [f] viii. 246.

Navigandi autem laudem intelligo non illam quæ proprie dicitur heroica, sed quæ ad eos pertineat, qui navigia tantum, sicut machinas quasdam, scite ac dextre movere possint. Ea scientia pollere Phæacas magis quam bellica ulla virtute, lepide satis vel ipsa nomina commonstrant, quibus ornantur eorum proceres[g]:

> ὦρτο μὲν Ἀκρόνεώς τε καὶ Ὠκύαλος καὶ Ἐλατρεὺς,
> Ναυτεύς τε Πρυμνεύς τε καὶ Ἀγχιάλος καὶ Ἐρετμεύς,
> Ποντεύς τε Πρωρεύς τε, Θόων, Ἀναβησίνεώς τε.

Ecquis dubitet in talibus ludere Poetam paulo liberius, siqui summam rerum in nauticis istis argutiis ponere amant? Jam non aliud sonant ea, quæ habet jactabundus Alcinous[h]:

> οὐ γὰρ Φαιήκεσσι κυβερνητῆρες ἔασιν,
> οὐδέ τι πηδάλι' ἐστὶ, τά τ' ἄλλαι νῆες ἔχουσιν·
> ἀλλ' αὐταὶ ἴσασι νοήματα καὶ φρένας ἀνδρῶν,
> καὶ πάντων ἴσασι πόλιας καὶ πίονας ἀγροὺς
> ἀνθρώπων· καὶ λαῖτμα τάχισθ' ἁλὸς ἐκπερόωσιν,
> ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμέναι· οὐδέ ποτέ σφιν
> οὐδέ τι πημανθῆναι ἐπὶ δέος, οὐδ' ἀπολέσθαι.

Nempe eximiam quandam narrat tum velocitatem remigum tum scientiam: crederes navem sine clavo, sine gubernatore, portu potiri.

At enim, ut dixi, magno dispendio constitit Phæaciæ textoria illa et navicularis industria: languere paullatim, cum opulentia sua, "in cute curanda plus æquo operata juventus." Quinetiam, quod plebi urbanæ solenne est, saturæ semel et desidiosæ, multum valuit in ea civitate malæ et effrænis linguæ licentia: de qua prudenter Nausicaa[i], τῶν, inquit,

> ἀλεείνω φῆμιν ἀδευκέα, μήτις ὀπίσσω
> μωμεύῃ· μάλα δ' εἰσὶν ὑπερφίαλοι κατὰ δῆμον.

[g] Od. viii. 311. [h] viii. 557. [i] vi. 273.

Hæc ideo congessimus, Academici, quo clarius fieret acutissimi Poetæ consilium, adumbrantis non sine reprehensione quadam quæstuosam illam vitam, languidam, imbellem, uno semper tenore actam: ita tamen, ut pelago fessum et periculis moneret ea indies speratæ domus.

Neque vero hic desunt omnino, quæ tentent probentque patriæ ac conjugis amantem, fide incorrupta, propositi recti tenacem. Ut enim de Nausicaa taceam, cujus persona nihil usquam aut venustius habet aut pudentius veterum Poesis:—quam quidem, viso divino homine, non leviter moveri testatur dulcissimum illud "vale[k];"

> .... Ναυσικάα δὲ, θεῶν ἀπὸ κάλλος ἔχουσα,
> στῆ ῥα παρὰ σταθμὸν τέγεος πύκα ποιητοῖο,
> θαύμαζεν δ' Ὀδυσῆα ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶσα,
> καί μιν φωνήσασ' ἔπεα πτερόεντα προσηύδα·
> χαῖρε, ξεῖν'· ἵνα καὶ ποτ' ἐὼν ἐν πατρίδι γαίῃ
> μνήσῃ ἐμεῖ, ὅτι μοι πρώτῃ ζωάγρι' ὀφελλεις·

hæc illa, postquam disertis verbis eam semel atque iterum Ulyssi pollicitus erat pater Alcinous:—sed ut de Nausicaa taceam, ipse Alcinous, quam benigne, quam suaviter, quam decenter omnia[l]!

> αἲ γὰρ, Ζεῦ τε πάτερ, καὶ Ἀθηναίη, καὶ Ἄπολλον,
> τοῖος ἐὼν, οἷός ἐσσι, τά τε φρονέων, ἅ, τ' ἐγώ περ,
> παῖδα τ' ἐμὴν ἐχέμεν, καὶ ἐμὸς γαμβρὸς καλέεσθαι
> αὖθι μένων· οἶκον δὲ τ' ἐγὼ καὶ κτήματα δοίην,
> εἰ κ' ἐθέλων γε μένοις· ἀέκοντα δέ σ' οὔτις ἐρύξει
> Φαιήκων· μὴ τοῦτο φίλον Διΐ πατρὶ γένοιτο.

Atque etiam unus omnium convivarum animadvertit Ulyssem tacite flere, quoties de Ilio cantari audiat[m]:

> ἐνθ' ἀλλοὺς μὲν πάντας ἐλάνθανε δάκρυα λείβων,
> Ἀλκίνοος δέ μιν οἷος ἐπέφρασατ' ἦδ' ἐνόησεν,

[k] Od. viii. 457. [l] vii. 311. [m] viii. 532.

ἥμενος ἄγχ' αὐτοῦ· βαρὺ δὲ στενάχοντος ἄκουσεν.
αἶψα δὲ Φαιήκεσσι φιληρέτμοισι μετηύδα·
κέκλυτε, Φαιήκων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες·
ἤδη μὲν δαιτὸς κεκορήμεθα θυμὸν ἐΐσης,
φόρμιγγός θ', ἣ δαιτὶ συνήορός ἐστι θαλείῃ·
νῦν δ' ἐξέλθωμεν, καὶ ἀέθλων πειρηθῶμεν.

Novit utique, id quod nosse non cuivis contingit hominum, verecunde agi debere cum mœrentibus. Quo in genere et illa eximie laudanda, quibus causa mœroris exposcitur[n].

εἰπὲ δ', ὅ, τι κλαίεις καὶ ὀδύρεαι ἔνδοθι θυμῷ,
Ἀργείων, Δαναῶν, ἠδ' Ἰλίου οἶτον ἀκούων.
τὸν δὲ θεοὶ μὲν τεύξαν, ἐπικλώσαντο δ' ὄλεθρον
ἀνθρώποις, ἵνα ἦσι καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδή.
ἦ τίς τοι καὶ πηὸς ἀπέφθιτο Ἰλιόθι πρὸ,
ἐσθλὸς ἐὼν γαμβρὸς ἢ πενθερὸς, οἵτε μάλιστα
κήδιστοι τελέθουσι, μετ' αἶμά τε καὶ γένος αὐτῶν,
ἦ τίς που καὶ ἑταῖρος ἀνὴρ κεχαρισμένα εἰδὼς,
ἐσθλός; ἐπεὶ οὐ μέν τι κασιγνήτοιο χερείων
γίγνεται, ὅς κεν, ἑταῖρος ἐὼν, πεπνυμένα εἰδῇ.

Videlicet non ii nominantur, qui sunt cognatorum omnium proximi, fratres, parentes, liberi, quorum forte mentio nimis acerba foret. Quid multa? plane regiis illius *ἤθεος* dulcissima quadam urbanitate condiit Poeta, ne forte putemus vulgaris esse constantiæ, quod hospitium ejus et affinitatem præcise adeo declinaverit Ulysses, neque aliud ullo tempore cogitet, quam Penelopen et Ithacam suam.

Ex his omnibus fortasse intelligitur, ita ab Homero duci suum Ulyssem circa maria omnia et insulas, ita eum mores hominum multorum urbesque serie quadam cognoscere, ut omni genere tranquillæ vitæ tentato, nunquam non inveniat quod magis magisque accendat toties decantatum domus antiquæ desiderium.

[n] Od. viii. 577.

Jam ex prioribus quoque libris Odysseiæ pauca quædam repetere liceat, quæ eodem spectare videantur. Primum, quod moræ tamdiu nectuntur circa Telemachum ejusque fortunas. Uno quidem is alteroque libro cum procorum cœtu rixatur: sed ea nunc missa faciamus, quippe quæ magis pertineant ad ultimum illum Odysseiæ quasi actum, qui est utique de *μνηστηροφονίᾳ*. Illud erit e re nostra, si semel monebimus, dedita opera primis quatuor rhapsodiis de rebus domesticis agi; nihil non intra parietes contineri, sive Nestoris, sive Menelai, sive Ulyssis ipsius et Penelopes: et tanquam Telemachi ipsius, ita legentium quodammodo angi animos, cum coram habeant tranquillitatem regiæ domus, Ulyssem cogitent in mediis periculis versari. Atque in hac parte egregie dominatur Menelai *ἐπεισοδίον*. Quo lecto, quasi gustu explorare datur universi Poematis indolem: præsertim ubi per transennas, brevissimo temporis puncto, apparet summum et perfectum otium[o].

σοὶ δ' οὐ θέσφατόν ἐστι, Διοτρεφὲς ὦ Μενέλαε,
Ἄργει ἐν ἱπποβότῳ θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν.
ἀλλὰ σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης
ἀθάνατοι πέμψουσιν, ὅθι ξανθὸς Ῥαδάμανθος·
τῇπερ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν·
οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἄρ χειμὼν πολύς, οὔτε ποτ' ὄμβρος,
ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας
Ὠκεανὸς ἀνίησιν, ἀναψύχειν ἀνθρώπους·
οὕνεκ' ἔχεις Ἑλένην, καί σφιν γαμβρὸς Διός ἐσσι.

Quæ haud scio an acrius feriant animum, propterea quod ab iis continuatur oraculum de Ulysse, inquietum sane[p]:

τὸν δ' ἴδον ἐν νήσῳ θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέοντα,
Νύμφης ἐν μεγάροισι Καλυψοῦς, ἥ μιν ἀνάγκῃ
ἴσχει· ὁ δ' οὐ δύναται ἣν πατρίδα γαῖαν ἱκέσθαι·
οὐ γάρ οἱ πάρα νῆες ἐπήρετμοι καὶ ἑταῖροι,
οἵ κέν μιν πέμποιεν ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης.

[o] Od. iv. 561. [p] iv. 556.

Videtur durius nescio quomodo hunc tot laboribus exerceri, quando certissime ominamur illius lætam et æternam requiem.

Quid, quod ejusmodi otium Diis quoque ipsis gratum acceptumque demonstret[1]?

> Ἡ μὲν ἄρ' ὣς εἰποῦσ' ἀπέβη γλαυκῶπις Ἀθήνη
> Οὔλυμπόνδ', ἔνθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
> ἔμμεναι· οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται, οὔτε ποτ' ὄμβρῳ
> δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται· ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
> πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη·
> τῷ ἐνὶ τέρπονται μάκαρες θεοὶ ἤματα πάντα.

Quæ, ut obiter animadvertam, ita secutus est Lucretius, ut rem omnium pulcherrimam ne verbo quidem suo aggrederetur exprimere.

> Apparet Divum numen, sedesque quietæ,
> Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis
> Adspergunt, neque nix acri concreta pruina
> Cana cadens violat: semperque innubilus æther
> Integit, et large diffuso lumine ridet.

Optime sane: verum illud non est ausus attingere Lucretius, quo felicissime depinxit noster æstatem quam vocant liquidam, ipsa meridie:

> .....λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.

Id fortasse non erat styli Romani: certe haudquaquam simile est, aut secundum, quod ejus vice adhibuit Lucretius, "Diffuso lumine ridet."

Verum ad rem propositam redeamus. Habet et illa quæ dicitur *νεκυομαντεία* non levem ingruentis senectæ significationem, animique non paullum mutati ab illo qui in Iliade regnaverat. Mortem penitus horret refugitque, quasi frigidum quoddam, inamabile, luctuosum. Quin ex ipsius Achillis persona non dubitat ea proferre, quæ Platoni visa sunt adeo

[1] Od. vi. 41.

indigna, ut propterea maxime nationem omnem Poetarum penitus ablegandam censeret a sua republica[r]:

> *μὴ δὴ μοὶ θάνατόν γε παραύδα, φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ·*
> *βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ,*
> *ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη,*
> *ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.*

Nempe tralatitium illud ac vulgare adeo, ut venerit jamdudum in consuetudinem proverbii, majorem esse usum canis vivi quam vel leonis mortui;—illud, inquam, sermone jam tritum suo more effert Achilles. Quod si nos cum Longino conjicimus ætate Homeri jam fracta scriptam fuisse Odysseiam, erit quod excusari possit, cum vetuli plerique (si quidem Aristoteli fides) sint natura[s] *φιλόζωοι, καὶ μάλιστα τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ· τοῦ γὰρ ἄποντος ὁ ἔρως.*

Atque hic erit operæ pretium cognoscere, quo in loco res mortuorum habuerit Homerus. Videtur omnino de anima cum indocta plebe sentire, non certam ei regionem assignare, non stabile vivendi genus. Quin huc illuc quasi extorres volitare, vita minime vitali præditos, nulla requie, nullo solatio, *εἴδωλα καμόντων, νεκύων ἀμένηνα κάρηνά.* Apud eum arcessiti Manes cum gemitu abeunt ac discedunt, prorsus earum specierum ritu, quas per somnia sibi fingunt homines. Elysii illius Virgiliani nec vola nec vestigium, cujus incolæ non injucunde diuturnum illud otium fallebant, simulacris rerum prius a se gestarum[t].

> Stant terra defixæ hastæ, passimque soluti
> Per gramen pascuntur equi: qui gratia currus
> Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes
> Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

[r] Od. xi. 488. [s] Rhet. ii. 15. [t] Æn. vi. 652.

Nihil tale Nostri νεκυομαντεία. Neque enim hic excipio prætervectam illam Herculis formam, venationi semper intentam[u]:

> ἀμφὶ δέ μιν κλαγγὴ νεκύων ἦν οἰωνῶν ὡς,
> πάντοσ' ἀτυζομένων· ὁ δ' ἐρεμνῇ νυκτὶ ἐοικὼς,
> γυμνὸν τόξον ἔχων, καὶ ἐπὶ νευρῇφιν ὀϊστὸν,
> δεινὸν παπταίνων, αἰεὶ βαλέοντι ἐοικώς.

Exercebatur ille quidem in iis quæ vivus adamaverat, sed non erat revera Hercules: tantum umbra ad tempus evocabatur[x];

> εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν
> τέρπεται ἐν θαλίῃς, καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην.

His et talibus, ut opinor, moneri nos voluit Homerus, sequi se carmine suo vulgi non doctorum placita; præsertim cum isti ἐπεισοδίῳ dederit originem popularis illa divinandi ratio, quæ per sanguinem fiebat inferiarum. Quocirca ne in regionem quidem vita functorum admittitur Ulysses: tantum ad extremas ejus oras accedit, et veluti clausis foribus in limine gressum ponit. Ne multa: sentiet fortasse, qui volet, ea fuisse sententia scriptorem, ut ex animo doleat ac defleat incertam adeo moriendi conditionem, ignota Manium loca, mercedem obscuram: non ita tamen, ut nullam prorsus spem foveat, fore ut ad meliora evehantur homines, cum et Menelaum in Elysio locaverit, et in cœlo superno Herculem. Ea si cui forte probabilis erit conjectura, profecto is facile intelliget, optime convenire posse et illam νεκυομάντειαν cum Odysseiæ totius ratione; mitigata scilicet gloriæ cupiditate, cum ne post mortem quidem certa spes otii relinquatur.

[u] Od. xi. 605. [x] xi. 601.

Denique universum hunc locum aptissime cumulabit Oraculum Tiresiæ, quo ille docet Ulyssem, quo tandem ritu maritimis periculis ab eo in omne tempus valedicendum sit[7].

Αὐτὰρ ἐπὴν μνηστῆρας ἐνὶ μεγάροισι τεοῖσιν
κτείνῃς, ἠὲ δόλῳ, ἢ ἀμφαδὸν ὀξέϊ χαλκῷ,
ἔρχεσθαι δὴ ἔπειτα, λαβὼν εὐῆρες ἐρετμόν,
εἷσοκε τοὺς ἀφίκηαι, οἳ οὐκ ἴσασι θάλασσαν
ἀνέρες, οὐδὲ θ' ἅλεσσι μεμιγμένον εἶδαρ ἔδουσιν·
οὐδ' ἄρα τοίγ' ἴσασι νέας φοινικοπαρῄους,
οὐδ' εὐῆρε' ἐρετμὰ τάτε πτερὰ νηυσὶ πέλονται·
σῆμα δέ τοι ἐρέω μάλ' ἀριφραδὲς, οὐδέ σε λήσει·
ὁππότε κεν δή τοι ξυμβλημένος ἄλλος ὁδίτης
φήῃ ἀθηρηλοιγὸν ἔχειν ἀνὰ φαιδίμῳ ὤμῳ,
καὶ τότε δὴ γαίῃ πήξας εὐῆρες ἐρετμὸν,
ῥέξας ἱερὰ καλὰ Ποσειδάωνι ἄνακτι,
ἀρνειὸν, ταῦρόν τε, συῶν τ' ἐπιβήτορα κάπρον,
οἴκαδ' ἀποστείχειν, ἔρδειν θ' ἱερὰς ἑκατόμβας
ἀθανάτοισι θεοῖσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν,
πᾶσι μάλ' ἑξείης· θάνατος δέ τοι ἐξ ἁλὸς αὐτῷ
ἀβληχρὸς μάλα τοῖος ἐλεύσεται, ὅς κέ σε πέφνῃ
γήρᾳ ὕπο λιπαρῷ ἀρημένον· ἀμφὶ δὲ λαοὶ
ὄλβιοι ἔσσονται· τάδε τοι νημερτέα εἴρω.

Quod si quis occurrat, obscurius paullo esse quid sibi velit effatum istud, propterea quod credibile sit periisse ex memoria hominum historiolam, seu forte ritum aliquem, quem in mente habuerit scriptor: næ is me consentientem habebit; constat tamen, ut opinor, dici ea quam verissime ad consuetudinem veteranorum nautarum; quibus utique religio fuerit, dedere se totos otio vitæque umbratili, non prius solenniter invocato maris Deo. Quare ad eum placandum non modo cædendæ victimæ, verum etiam sacris ejus initianda gens ab Oceano remota. Qua in fabella notandum imprimis, quanta veritatis specie offerantur indicia hominum mere ac plane

[7] Od. xi. 119.

ἠπειρωτικῶν. Quid sit pontus, nesciunt; ne dapes quidem sale condiunt; neque adeo formam navigii, neque remorum usum didicerunt: quin et visam forte remi palmulam nominant vanni rusticæ partem.

Quæ omnia cum ita narraverit Poeta, ut scires eum cum nautis sentire, mirantibus esse alicubi terrarum homines rei nauticæ adeo expertes; addit et illud clausulæ loco, quod nautæ solatio sit, Oceanum jam ultimo respicienti: esse mortis genus Ulyssi fatale, quod e mari veniat ac pelagi amantem deceat:

> ..... θάνατος δέ τοι ἐξ ἁλὸς αὐτῷ
> ἀβληχρὸς μάλα τοῖος ἐλεύσεται, ὅς κέ σε πέφνῃ
> γήρᾳ ὕπο λιπαρῷ ἀρημένον.....

Ejusmodi autem aliquid venire non raro in vota ac preces nautarum, de mortibus suis et exequiis cogitantium, norunt omnes nationis ejus periti.

Absoluta jam illa parte Odysseiæ, quæ terra marique jactatum Ulyssen depingit, veniamus ad alterum quasi Tragœdiæ actum, Ithacenses res videlicet ac domesticas: quæ eodem plane pertinent, nimirum ut otium post labores commendent, non qualecunque sed viro forti animoque vere regio dignum. Non enim solum revisenda erat patria, verum etiam in libertatem ab impurissimo nebulonum cœtu vindicanda. Nimirum fuerunt quos ea res fefellerit, quod Odysseiam ab Iliade putarent ita potissimum discrepare, ut illa privatos intra parietes universa contineatur, in hac res agatur publica, regum, ducum, populorum fortunæ. Atque in ea sententia fuit, ut videtur, Criticæ artis antistes; quippe qui hanc fere Odysseiæ summam esse statuat[z]: ἀποδημοῦντός τινος ἔτη πολλὰ,

[z] De Poet. 30.

καὶ παραφυλαττομένου ὑπὸ τοῦ Ποσειδῶνος, καὶ μόνου ὄντος. ἐτὶ δὲ τῶν οἴκοι οὕτως ἐχόντων, ὥστε τὰ χρήματα ὑπὸ μνηστήρων ἀναλίσκεσθαι, καὶ τὸν υἱὸν ἐπιβουλεύεσθαι, αὐτὸς ἀφικνεῖται χειμασθεὶς, καὶ ἀναγνωρίσας τινὰς, αὐτοῖς ἐπιθέμενος, αὐτὸς μὲν ἐσώθη, τοὺς δ' ἐχθροὺς διέφθειρε. τὸ μὲν οὖν ἴδιον τοῦτο· τὰ δ' ἄλλα, ἐπεισοδία.

Sed, pace tanti viri dixerim, non debuerat silentio præterire, id quod unum omnium maxime pertinebat tum ad veritatem fabulæ tum ad dignitatem: Non de quovis homine narrari injurias istas, reditum, vindictam, verum de Rege, tali scilicet, quales noverunt Heroum sæcula. Qui cum esset divino quodam jure pastor ac parens universi populi, eo et periculum gravius et flagrantius erat delictum, si quis eo absente, præsertim circa publica commoda, domum ejus invaserit, familiam corruperit, facultates seu vi sive dolo minuerit.

Etenim probe tenendum est, ex vetere illa et simplicissima regiæ potestatis formula, ad ipsam rempublicam pertinere regis opes: non alia ratione, credo, atque apud aborigines Celtarum, quorum quisquis erat jure patrio regulus, ejus ex agris, pascuis, cella penaria, tanquam lege sacrosancta, excipienda erat hospitio plebs universa. Cujusmodi ritus vestigia non levia servaverunt quæ in ipso hoc carmine narrantur de mensa atque epulis Alcinoi, quo videntur concurrisse indies primores populi ad unum omnes. Jam vero quivis intelliget, validius ad rempublicam pertinere, si quis domum ejusmodi conturbet, quam pro hujus temporis ratione.

Quare non dubitandum est, in reditu atque in victoria Ulyssis verti non tam domus suæ quam Ithacensium rerum summam.

Quod si nos non absurde conjicimus, Homerum

viguisse labente sæculo Heroum, sequitur et illud, Odysseiam ejus magna ex parte res narrare, quales ipse oculis suis viderit, immo etiam quarum, si fors ita tulerit, fuerit ipse non minima pars. Jam tum enim tota Græcia inclinari cœperat auctoritas regia, et ad popularem statum vergere omnia, non sine gravissima rerum perturbatione. Atque ea rerumpublicarum conversio non raro fiebat per homines protervos, facilius, absente principe, grassantes. Crebrius autem istis temporibus aberant a suis civitatibus reguli, cum et bella perpetua gerebantur, et munia bellantium omnia ab ipsis poscebantur Imperatoribus. Fac istum fuisse rerum Hellenicarum ipsius Homeri tempore tenorem; habebis, quod non parum adjuvabit ad explicandam Odysseiæ rationem.

Equidem nullus dubitare soleo, Odysseiam ad majora quædam excurrere, quam pro captu unius familiæ. Quin ad universæ Græciæ fortunas eam magnopere pertinere dixerim. Nam quemadmodum in Iliade non agitur de uno solo Achille, verum etiam de belli eventu omnium quæ adhuc flagraverant maximi, deque fatis Europæ atque Asiæ: ita cogitandum est in Odysseia non de Ulysse tantum et Ithaca, sed et de omni ratione rerum in Græcia componendarum, commotis ut fit animis seu diutina peregrinatione principis, seu defectu regiæ stirpis, seu rebus infeliciter gestis, seu quocunque demum modo. Quibus tempestatibus cum alii extiterint, qui jura Heroum putarent conservanda, eamque præ se ferrent reipublicæ rationem, quam vere circumscribit ac definit Thucydides[a], ἐπὶ ῥητοῖς γεράσι πατρικὴν βασίλειαν; alii autem qui nulla religione seu palam traherent

[a] Thucyd. i. 13.

ad se omnia, seu nomen plebis callide venditarent; vix fieri potuit, quin huic aut illi sectæ addictum sese proderet scriptor Odysseiæ.

Fortasse igitur non abs re erit, si pauca disputavero in hanc sententiam, ut ostendam, Homerum semper ex Optimatium partibus stetisse; siquidem Optimates erant vocandi, qui apud istas civitates pristinam imperandi normam tenebant. Quæ causa cum latius pateat, commodius eam differemus in aliud tempus.

"At enim quî fieri potuit, ut mersaretur in undis illis civilibus, qui ne fando quidem noverit (sic enim volunt) popularem reipublicæ statum?" Ista quidem erat sententia nobilis inter nostrates scriptor, quo nemo unquam res Græcorum aut vidit acutius aut clarius enarravit[b]. "Nulla," inquit, "apud Homerum sine rege nominatur civitas." Etiam: sed non ideo concedimus, Homericis temporibus nondum fuisse posita discordiæ ac seditionum initia. Quin eodem illo quem modo laudavimus auctore[c], "universa ferme Græcia cessavit statim post Homerica principum dominatio. Ne nomine quidem tenus manserunt reges: qui singuli populis præerant, tyranni audiebant. Mira sane rerum conversio, ni apud Homerum quoque appareat, jam tum cum regibus utebantur, viguisse illic civitatis liberæ, si non leges, mores quidem certe."

Hæc ille: ex quibus efficitur non adeo alienam ab Homericis temporibus fore disputationem de optimo genere reipublicæ. Jam inde flagrare petulantium hominum libido; jam inde perditi cum beatis, turbulenti cum quietis certare. Ac fortasse

[b] Mitford, *Hist. Græc.* c. ii. §. 2.

[c] c. iv. §. 1.

hoc illud erat, ex aliqua saltem parte, quod Homeri æqualis Hesiodus gravissimo illo carmine est deprecatus[d]:

μηκέτ' ἔπειτ' ὤφειλον ἐγὼ πέμπτοισι μετεῖναι
ἀνδράσιν, ἀλλ' ἢ πρόσθε θανεῖν, ἢ ἔπειτα γενέσθαι.
νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον· οὐδὲ ποτ' ἦμαρ
παύσονται καμάτου καὶ ὀϊζύος, οὐδέ τι νύκτωρ
φθειρόμενοι· χαλεπὰς δὲ θεοὶ δώσουσι μερίμνας....
οὐδὲ πατὴρ παίδεσσιν ὁμοίϊος, οὐδέ τι παῖδες,
οὐδὲ ξεῖνος ξεινοδόκῳ, καὶ ἑταῖρος ἑταίρῳ,
οὐδὲ κασίγνητος φίλος ἔσσεται, ὡς τὸ παρός περ,
αἶψα δὲ γηράσκοντας ἀτιμήσουσι τοκῆας.....
σχέτλιοι, οὐδὲ θεῶν ὄπιν εἰδότες· οὐδὲ μὲν οἵγε
γηράντεσσι τοκεῦσιν ἀπὸ θρεπτήρια δοῖεν,
χειροδίκαι· ἕτερος δ' ἑτέρου πόλιν ἐξαλαπάξει.
οὐδέ τις εὐόρκου χάρις ἔσσεται, οὔτε δικαίου,
οὔτ' ἀγαθοῦ· μᾶλλον δὲ κακῶν ῥεκτῆρα καὶ ὕβριν
ἀνέρα τιμήσουσι· δίκη δ' ἐν χερσὶ, καὶ αἰδὼς
οὐκ ἔσται· βλάψει δ' ὁ κακὸς τὸν ἀρείονα φῶτα
μυθοῖσι σκολίοις ἐνέπων, ἐπὶ δ' ὅρκον ὀμεῖται.
ζῆλος δ' ἀνθρώποισιν ὀϊζυροῖσιν ἅπασιν
δυσκέλαδος, κακόχαρτος, ὁμαρτήσει, στυγερώπης.
καὶ τότε δὴ πρὸς Ὄλυμπον ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης,
λευκοῖσιν φαρέεσσι καλυψαμένω χρόα καλὸν,
ἀθανάτων μετὰ φῦλον ἴτην προλιπόντ' ἀνθρώπους
Αἰδὼς καὶ Νέμεσις· τὰ δὲ λείψεται ἄλγεα λυγρὰ
θνητοῖς ἀνθρώποισι· κακοῦ δ' οὐκ ἔσσεται ἀλκή.

[d] Ἔργ. καὶ Ἡμ. 172.

PRÆLECTIO DECIMA TERTIA.

Dispicitur, quænam fuerit Odysseiæ scriptoris de summa reip. sententia; expensis præsertim iis, quæ ad procos pertinent. Deinde duplex adducitur causa, quare cum optimatibus sentiat Heroicæ illius vetustatis amator.

MONSTRATO jam quis fuerit rerum Hellenicarum status, redeuntibus Achivis post Trojam excisam, adeoque ipsius Homeri tempore; sequitur ut paucis disputemus, Academici, quænam de universa republica fuerit celeberrimi Poetæ sententia: quæ disputatio et per se fortasse erit non injucunda, et magnopere, ni fallor, pertinebit ad ipsius Poeticæ summam: modo nos eam recte ac prudenter, (nam lubrica, fateor, res est) instituere valeamus. Lubrica, inquam, erit quæstio; nam nescio quomodo solent homines, hac certe republica, cupidius arripere, si quæ forte dicentibus exciderint, quæ in suam rem torqueri posse videantur. Eo nobis erit magis in hac parte elaborandum, ne forte videamur Homericorum loco nescio quæ nostra venditare.

Verum enimvero, si modo non male de Odysseia

judicatum est a nobis, referre eam hinc turbidi sæculi, illinc senis vetera amantis imaginem, profecto non erit diu dubitandi locus. Fatebuntur omnes fore quiddam portenti simile, ni libentius se addixerit Homerus eorum parti, quibus concidentibus, actum erat de jure Heroum, de otio, de universa republica. Quid multa? rem haud obscure indicat, opinor, totius Odysseiæ ratio. En unquam fando audivimus quenquam suæ sectæ addictiorem, quam ut Ithacam suam Elysio, patriam immortalitati anteponeret? Quo in cardine, ut bene nostis, vertitur universa, quanta quanta est, Odysseia[a].

> *πότνια θέα, μή μοι τόδε χώεο· οἶδα καὶ αὐτὸς*
> *πάντα μάλ', οὕνεκα σεῖο περίφρων Πηνελόπεια*
> *εἶδος ἀκιδνοτέρη μέγεθος τ', εἰς ἅντα ἰδέσθαι·*
> *ἡ μὲν γὰρ βροτός ἐστι, σὺ δ' ἀθάνατος καὶ ἀγήρως·*
> *ἀλλὰ καὶ ὣς ἐθέλω καὶ ἐέλδομαι ἤματα πάντα*
> *οἴκαδέ τ' ἐλθέμεναι, καὶ νόστιμον ἦμαρ ἰδέσθαι.*

Vix potuit Homerus, ut mihi quidem videtur, expressius loqui ad mentem eorum, qui bona sua, quantumvis vetusta, quantumvis obsoleta et *ἀρχαιότροπα*, inexpertis tamen novatorum placitis haud verentur anteferre.

Itaque etsi præterea nihil esset, quo tanquam indice explorare possemus Homeri mentem in re civili, crederem vel ipsa vi materiæ debuisse eum transire in castra optimatium. Sed enim satis aperte suam sententiam aliquoties explicavit.

Principio, non pauca invenies, quæ doceant procos istos Ithacenses non tam perditorum nepotum in urbe quam Catilinarum quorundam aut Cleonum personas in republica gerere; nempe quibus in animo fuerit Laertis domum imperio exturbare, ipsis, ut

[a] Od. v. 215.

fit, nulla jam republica, arrepturis quid sibi quisque potuerit. Audiamus Antinoum graviter commotum, fortius jam increpante Telemacho[b].

> Τηλέμαχ', ἦ μάλα δή σε διδάσκουσιν θεοὶ αὐτοὶ
> ὑψαγόρην τ' ἔμεναι, καὶ θαρσαλέως ἀγορεύειν·
> μὴ σέγ' ἐν ἀμφιάλῳ Ἰθάκῃ βασιλῆα Κρονίων
> ποιήσειεν· ὅ τοι γενεῇ πατρώϊόν ἐστιν.

Suspicatus est, (ut in rebus alienis solent injusti timores sibi fingere,) peti a Telemacho paterni regni hæreditatem. Illam non modo præcise negat, verum etiam, tanquam acerbum et infaustum aliquid, a se religiose removet ac deprecatur. Quid autem Telemachus? Rem ipsam sibi esse in votis neque affirmat neque negat: quo vel ipso monstrat aperte satis, concidisse jampridem apud Ithacenses regii nominis reverentiam[c].

> Ἀντίνο', ἦ καί μοι νεμεσήσεαι, ὅ, ττι κεν εἴπω;
> καί κεν τοῦτ' ἐθέλοιμι, Διός γε δίδοντος, ἀρέσθαι.
> ἦ φῂς τοῦτο κάκιστον ἐν ἀνθρώποισι τέτυχθαι;
> οὐ μὲν γάρ τι κακὸν βασιλευέμεν· αἶψά τέ οἱ δῶ
> ἀφνειὸν πέλεται, καὶ τιμήστερος αὐτός.

Deinde non sine oratoria quadam urbanitate, cujusmodi in Odysseia sunt plurima, perstringit homines, populares scilicet!

> ἀλλ' ἤτοι βασιλῆες Ἀχαιῶν εἰσὶ καὶ ἄλλοι
> πολλοὶ ἐν ἀμφιάλῳ Ἰθάκῃ, νεοὶ ἠδὲ παλαιοί.
> τῶν κέν τις τόδ' ἔχησιν, ἐπεὶ θάνε δῖος Ὀδυσσεύς.
> αὖταρ ἐγὼν οἶκοιο ἄναξ ἔσομ' ἠμετέροιο
> καὶ δμώων, οὕς μοι λήισσατο δῖος Ὀδυσσεύς.

Exsurgit protinus ex altera parte, cum magna veri rectique specie, Eurymachus[d].

> Τηλέμαχ', ἤτοι ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται,
> ὅστις ἐν ἀμφιάλῳ Ἰθάκῃ βασιλεύσει Ἀχαιῶν·

[c] Od. i. 389. [d] i. 400.

κτήματα δ' αὐτὸς ἔχοις, καὶ δώμασιν οἷσιν ἀνάσσοις.
μὴ γὰρ ὄγ' ἔλθοι ἀνὴρ, ὅστις σ' ἀέκοντα βίηφιν
κτήματ' ἀπορραίσει, 'Ιθάκης ἔτι ναιεταώσης.

Non omnino hospites sumus, Academici, in tribunitia ista bonitate: novimus et nos aliquando, vel certe fama accepimus, qui cum jura omnia civium per fas et nefas conculcarent, miro tamen studio prædicarent parcere se privatorum opibus.

Porro et illud non leviter sapit immitem tribunitii viri insolentiam, quod qui Telemachi domum, quo jure quave injuria, quarto jam anno vexaret ac diriperet, is illo ipso tempore præ se ferret, velle se cum Telemacho agere semper ex æquo et bono.

Itaque, ut videtur, Penelopes procis non pauca sunt communia cum iis qui plebem ambitiose colunt: vel quia impensius oderunt jus regnandi de patre in filium deferri; vel quia rem cujusque propriam, commota cum maxime republica, clamitant fore sacrosanctam et intactam; vel quia ne clamitantes quidem se a rapinis abstinere valent.

Age vero, quinam, obsecro, fuere tandem plebicolæ isti, quando ad jura plebis est ventum, et ad libertatem omnium ordinum? Mirabile est ex hac quoque parte quam bene conveniant inter se hinc procorum artes, illinc istorum, quos Græci *δημαγώγους* appellant. Extat in secundo Odysseiæ libro senis cujusdam Ithacensis oratio, cui misera res et indigna videbatur, vicesimum jam agi annum, ex quo Trojam abierat Ulysses, toto autem illo tempore nullum haberi plebis concilium[e].

κέκλυτε δὴ νῦν μευ, 'Ιθακήσιοι, ὅ, τττι κεν εἴπω·
οὔτε πόθ' ἡμετέρη ἀγορὴ γένετ', οὔτε θόωκος,

[e] Od. ii. 25.

ἐξ οὗ 'Οδυσσεὺς δῖος ἔβη κοίλῃς ἐνὶ νηυσίν.
νῦν δὲ τὶς ὧδ' ἤγειρε; τίνα χρειὼ τόσον ἵκει,
ἠὲ νεῶν ἀνδρῶν, ἢ οἱ προγενέστεροί εἰσιν;
ἦέ τιν' ἀγγελίην στρατοῦ ἔκλυεν ἐρχομένοιο,
ἣν χ' ἡμῖν σάφα εἴποι, ὅτε πρότερός γε πύθοιτο;
ἦέ τι δήμιον ἀλλὸ πιφαύσκεται ἠδ' ἀγορεύει;
ἐσθλός μοι δοκεῖ εἶναι, ὀνήμενος· εἴθε οἱ αὐτῷ
Ζεὺς ἀγαθὸν τελέσειεν, ὅ, τι φρεσὶν ᾗσι μενοινᾷ.

Præter spem moremque fieri significat concionem, longissimo temporis intervallo, non sine magno omnium favore. Quid ad hoc conjurati? nam eo nomine non male fortasse istos appelles. Nempe re infecta concionem dimittunt, gravibus eorum conviciis, quicunque agant aliquid suo injussu[f].

Μέντορ ἀταρτηρὲ, φρένας ἠλεὲ, ποῖον ἔειπες,
ἡμέας ὀτρύνων καταπαυέμεν; ἀργαλέον δὲ
ἀνδράσι καὶ πλεόνεσσι μαχήσασθαι περὶ δαιτί....
ἀλλ' ἄγε, λαοὶ μὲν σκίδνασθ' ἐπὶ ἔργα ἕκαστος,
τούτῳ δ' ὀτρυνέει Μέντωρ ὁδὸν ἠδ' Ἀλιθέρσης,
οἵτε οἱ ἐξ ἀρχῆς πατρώϊοί εἰσιν ἑταῖροι
ἀλλ', οἶω, καὶ δηθὰ καθημένος, ἀγγελιάων
πεύσεται εἰν Ἰθάκῃ, τελέει δ' ὁδὸν οὔποτε ταύτην.
ὣς ἄρ' ἐφώνησεν· λῦσεν δ' ἀγορὴν αἰψηρήν,

Hæc Eurymachus: qui tota fabula partes sibi sumit oratoris, quoties agenda venit procorum causa.

Jam, quo in loco haberi voluerit Homerus catervam illam vere tribunitiam, non est quare multum dubitemus. Primo illud non parum valet, quod nemini omnium ulla insigni virtute redimi decrevit Poeta importunum scelus; in hoc omnium ferme dissimilis, qui res flagitiosas et atroces scripserunt. Solet enim maxima pars quadam quasi luce perfundere tyrannos quoque suos, latrones, sicarios. Splendida vitia libenter celebrant. In promptu omnibus sunt Medea, Clytemnestra, Mezentius. Quo in

[f] Od. ii. 242.

genere si quis exspatiari volet, næ illi campum latissimum ac liberrimum præbere poterit domus Ulyssea. Quem cum prorsus neglexerit Homerus, (nihil enim morari attinet Eurymachos istos et Antinoös, hunc vesana tantum arrogantia, illum urbana calliditate nobilem,) in promptu est videre, quam nihili ab eo sit æstimata omnis illa turbulentorum hominum natio.

Deinde si singula percurras, quibus illa ætas gloriari maxime solebat, invenies ab Homero, quasi dedita opera, procis ea denegari omnia, Telemacho cum suis eximio modo tribui.

Quale est illud, quod in hospitibus excipiendis illi non modo negligentiores extiterint, verum etiam immanes ac plane barbari. Id quod parum obscure manifestat, ipso quoque carminis initio, Minervæ Mentem simulantis introitus in regiam Ulyssis domum[g].

> *τὴν δὲ πολὺ πρῶτος ἴδε Τηλέμαχος θεοειδής.*
> *ἧστο γὰρ ἐν μνηστῆρσι φίλον τετιημένος ἦτορ,*
> *ὀσσόμενος πατέρ' ἐσθλὸν ἐνὶ φρεσὶν,.....*
> *τὰ φρονέων, μνηστῆρσι μεθήμενος, εἶσιδ' Ἀθήνην.*
> *βῆ δ' ἰθὺς προθύροιο, νεμεσσήθη δ' ἐνὶ θύμῳ*
> *ξεῖνον δηθὰ θύρῃσιν ἐφεστάμεν· ἐγγύθι δὲ στὰς*
> *χεῖρ' ἕλε δεξιτέρην, καὶ ἐδέξατο χάλκεον ἔγχος,*
> *καί μιν φωνήσας ἔπεα πτερόεντα προσηύδα·*
> *χαῖρε, ξεῖνε, παρ' ἄμμι φιλήσεαι· αὐτὰρ ἔπειτα*
> *δείπνου πασάμενος μυθήσεαι, ὅττεό σε χρή·*
> *ὡς εἶπων ἡγεῖθ'· ἡ δ' ἕσπετο Παλλὰς Ἀθήνη·*
> *οἱ δ' ὅτε δὴ ῥ' ἔντοσθεν ἔσαν δόμου ὑψηλοῖο,*
> *ἔγχος μὲν ῥ' ἔστησε φέρων πρὸς κίονα μακρήν,*
> *δουροδόκης ἔντοσθεν ἐϋξόου, ἔνθα περ ἄλλα*
> *ἔγχε' Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος ἵστατο πολλά.*

Opportune sane memoratur etiam locus, ubi servabantur absentis Herois exuviæ; ne non omnia

[g] Od. i. 113.

congruant ad desiderium et indignationem. Sed ad reliqua pergamus[h].

> *αὐτὴν δ' ἐς θρόνον εἶσεν ἄγων, ὑπὸ λῖτα πετάσσας*
> *καλὸν, δαιδάλεον· ὑπὸ δὲ θρῆνος ποσὶν ἦεν·*
> *πὰρ δ' αὐτὸς κλισμὸν θέτο ποικίλον, ἔκτοθεν ἄλλων*
> *μνηστήρων, μὴ ξεῖνος ἀνιήθεις ὀρυμαγδῷ*
> *δείπνῳ ἀδδήσειεν, ὑπερφιάλοισι μετέλθων,*
> *ἠδ' ἵνα μιν περὶ πατρὸς ἀποιχομένοιο ἔροιτο.*

Adeo, primo statim ingressu, quæ sit utriusque partis indoles luce clarius indicari videtis. Apud Telemachum regia benignitas, aperta atque larga manus, mens in hospitum jura ac religiones, ut quæ maxime, arrecta et intenta: apud procos ea contumacia, ut ne ipsi quidem Telemacho liceat accipere fraternum hospitem, nisi cum periculo quodam dignitatis. Quod autem eo tempore intactus abiit hospes et inviolatus, id intelligimus non ultro a procis fieri, sed propter indicia quædam majestatis plusquam humanæ, quæ reverentia vel invitos tetigerint. Sic enim rursus Eurymachus[i]:

> *ἀλλ' ἐθέλω σε, φέριστε, περὶ ξείνοιο ἔρεσθαι·*
> *ὅπποθεν οὗτος ἀνὴρ, ποίης δ' ἐξ εὔχεται εἶναι*
> *γαίης· ποῦ δέ νύ οἱ γενεὴ καὶ πατρὶς ἄρουρα·*
> *ἦέ τιν' ἀγγελίην πατρὸς φέρει ἐρχομένοιο,*
> *ἦ ἑὸν αὐτοῦ χρεῖος ἐελδόμενος τόδ' ἱκάνει;*
> *οἷον ἀναΐξας ἄφαρ οἴχεται, οὐδ' ὑπέμειναν*
> *γνώμεναι· οὐ μὲν γάρ τι κακῷ εἰς ὦπα ἐῴκει.*

Nescio quo timore coercentur immites animi, ne Deam quamvis latentem violare audeant. Iidem postea, reverso demum Ulysse, pannis laceris, mendicum agente, qua tandem sese gerunt insolentia! Quanquam, ut verum fatear, servatur ibi discrimen aliquod, inter Antinoum cæterosque procorum prin-

[h] Od. i. 130. [i] i. 405.

cipes. Nimirum Antinoo primas dedit Homerus: voluit eum exstare quasi specimen, plenumque et perfectum exemplar, degeneris et infelicis sæculi, Heroum genere semel exturbato.

Is itaque non probris modo, sed et vi manuque peregrinum atque supplicem aggreditur. Erit autem operæ pretium proferre quædam ex ejus convitiis excerpta[k]:

> *Ὦ ῥίγγωτε συβῶτα, τίη δὲ σὺ τόνδε πόλινδε*
> *ἤγαγες; ἦ οὐκ ἄλις ἦμιν ἀλήμονές εἰσι καὶ ἄλλοι,*
> *πτωχοὶ ἀνιηροὶ, δαιτῶν ἀπολυμαντῆρες;*
> *ἦ ὄνοσαι, ὅτι τοι βίοτον κατέδουσιν ἄνακτος*
> *ἐνθάδ' ἀγειρόμενοι, σὺ δὲ καί ποθι τόνδ' ἐκάλεσσας;*

Neque minus acerba sunt ea, quibus paullo inferius Ulyssem ipsum lacessit, egenorum more frustula viritim quærentem[l]:

> *τὶς δαίμων τόδε πῆμα προσήγαγε, δαιτὸς ἀνίην;*
> *στῆθ' οὕτως ἐς μέσσον, ἐμῆς ἀπάνευθε τραπέζης,*
> *μὴ τάχα πικρὴν Αἴγυπτον καὶ Κύπρον ἵκηαι·*
> *ὥς τις θαρσάλεος καὶ ἀναιδὴς ἐσσι προΐκτης;*
> *ἐξείης πάντεσσι παρίστασαι· οἱ δὲ διδοῦσιν*
> *μαψιδίως· ἐπεὶ οὔτις ἐπίσχεσις οὐδ' ἐλεητὺς*
> *ἀλλοτρίων χαρίσασθαι, ἐπεὶ πάρα πολλὰ ἑκάστῳ.*

Hæc ideo excutienda videbantur, ut meminerint homines, Homero judice, ejusdem plane indolis esse hinc regiam auctoritatem ac jura patrum minuere, illinc inopes atque extorres seu lingua sive manu affligere.

Ac tum quidem cæteri præter Antinoum religione quadam moveri se fatentur[m]:

> *Ἀντίνο', οὐ μὲν κάλ' ἔβαλες δύστηνον ἀλήτην,*
> *οὐλόμεν'· εἰ δή πού τις ἐπουράνιος θέος ἐστιν,*
> *καί τε θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσιν*
> *παντοῖοι τελέθοντες, ἐπιστρωφῶσι πόληας.*
> *ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες.*

[k] Od. xvii. 375. [l] xvii. 446. [m] xvii. 483.

Quam vellem in isto mansissent veræ solidæque pietatis judicio! Sed elapsa semel formidine, nulli ferme neque verborum neque adeo dextrarum contumeliæ parcunt. Contra apud Eumæum et reliquos, qui regis sui partibus se addixerant, nihil hospite quamvis paupere venerabilius, nihil sanctius. Scires habere præ oculis omni tempore gravissimum illud[n]:

> .....πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες
> ξείνοι τε πτώχοι τε.

Venio nunc ad aliam notam, non levem illam quidem, prudentis ac religiosi animi, ut erat eo tempore religio. Divorum auguria et auspicia, qualia non pauca habet Odysseiæ auctor, contemnit procorum cœtus, venerantur Ulyssei. Duo præsertim loca sunt quæ huic capiti potissimum inserviant: eaque non præclara magis ob vim et venustatem poeticam, quam apta et diserta ad declarandam Homeri sententiam. Primo augurem quendam de reditu regis vaticinantem hisce verbis increpat Eurymachus[o]:

> Ὦ γέρον, εἰ δ', ἄγε νῦν, μαντεύεο σοῖσι τέκεσσιν,
> οἴκαδ' ἰὼν, μή πού τι κακὸν πάσχωσιν ὀπίσσω·
> ταῦτα δ' ἐγὼ σέο πολλὸν ἀμείνων μαντεύεσθαι·
> ὄρνιθες δέ τε πολλοὶ ὑπ' αὐγὰς ἠελίοιο
> φοιτῶσ', οὐδέ τε πάντες ἐναίσιμοι· αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
> ὤλετο τῆλ'· ὡς καὶ σὺ καταφθίσθαι σὺν ἐκείνῳ
> ὤφελες· οὐκ ἂν τόσσα θεοπροπέων ἀγόρευες,
> οὐδέ κε Τηλέμαχον κεχολωμένον ὧδ' ἀνιείης,
> σῷ οἴκῳ δῶρον ποτιδέγμενος, αἴ κε πόρῃσιν.

Nolo illud vos effugiat, quod is eadem ferme ratione, atque illi qui nunc se philosophos jactitant, cæleste numen de rebus humanis eximit.

> ὀρνίθες δέ τε πολλοὶ ὑπ' αὐγὰς ἠελίοιο
> φοιτῶσ', οὐδέ τε πάντες ἐναίσιμοι.

[n] Od. vi. 207; xiv. 57. [o] ii. 178.

Perinde quasi dicat, nullam omnino metuendam esse Deorum præsentiam, propterea quod sæpius accidat, ut eam certis indiciis deprehendere nequeamus. Quid quod eadem ferme addit, quæ ad fastidium usque repetere solent etiamnum veritatis inimici; nempe mercede sola pretioque canere omne sacerdotum genus?

σῷ οἴκῳ δῶρον ποτιδέγμενος.....

Postea vero idem Eurymachus propioris jam exitii vatem, Theoclymenum, cum risu atque joco excipit: quæ ultima est Epicureorum hominum ratio. Quem locum si integrum exscripsero, non abs re fore judicavi: cum præsertim eo nihil magnificentius, nihil sacrosancta formidine plenius habeat sive Odysseia sive ipsa Ilias[p].

.....μνηστῆρσι δὲ Παλλὰς Ἀθήνη
ἄσβεστον γέλω ὦρσε, παρέπλαγξεν δὲ νόημα.
οἱ δ ἤδη γναθμοῖσι γελοίων ἀλλοτρίοισιν·
αἱμοφόρυκτα δὲ δὴ κρέα ἤσθιον· ὄσσε δ' ἄρα σφέων
δακρυόφιν πίμπλαντο· γόον δ' ὠΐετο θυμός.
τοῖσι δὲ καὶ μετέειπε Θεοκλύμενος θεοειδής.
ἆ δειλοί, τὶ κακὸν τόδε πάσχετε; νυκτὶ μὲν ὑμέων
εἰλύαται κεφαλαί τε πρόσωπά τε, νέρθε τε γοῦνα·
οἰμωγὴ δὲ δέδηε, δεδάκρυνται δὲ παρειαί·
αἵματι δ' ἐρράδαται τοῖχοι, καλαί τε μεσόδμαι·
εἰδώλων δὲ πλέον πρόθυρον, πλείη δὲ καὶ αὐλή,
ἰεμένων Ἔρεβόσδε ὑπὸ ζόφον· ἠέλιος δὲ
οὐρανοῦ ἐξαπόλωλε, κακὴ δ' ἐπιδέδρομεν ἀχλύς.

Videre hic mihi videor quasi quædam primordia Æschylei illius horroris; Cassandræ scilicet et Eumenidum vaticinia nihil aliud agere crediderim, quam ut liberius ac plenius exprimant, quæ hic strictim attigit Homerus. Verum ad Theoclymenum redeamus[q].

ὣς ἔφαθ'· οἱ δ' ἄρα πάντες ἐπ' αὐτῷ ἡδὺ γέλασσαν·
τοῖσιν δ' Εὐρύμαχος, Πολύβου παῖς, ἦρχ' ἀγορεύειν·

[p] Od. xx. 345. [q] xx. 358.

ἀφραίνει ξεῖνος νέον ἄλλοθεν εἰληλούθως·
ἀλλά μιν αἶψα, νέοι, δόμου ἐκπέμψασθε θυράζε
εἰς ἀγορὴν ἔρχεσθαι· ἐπεὶ τάδε νυκτὶ ἐΐσκει.

Proximum erat, ut qui religionem spernerent, tum pauperum tum Deorum, libenter etiam in mortuos insultarent: cujusmodi sunt ea, quibus ille Antinous Eumæum objurgat et Philætium, lacrymentes, ut fit, recordatione regis amissi, cum viderent manibusque gestarent arcum ejus longo post tempore depromptum[r].

δακρύσας δ' Εὔμαιος ἐδέξατο καὶ κατέθηκεν·
κλαῖε δὲ βουκόλος ἄλλοθ', ἐπεὶ ἴδε τόξον ἄνακτος.
Ἀντίνοος δ' ἐνένιπτεν, ἔπος τ' ἔφατ', ἐκ τ' ὀνόμαζεν·
νήπιοι ἀγροιῶται, ἐφημέρια φρονέοντες,
ἆ δειλώ, τί νυ δάκρυ κατείβετον, ἠδὲ γυναικὶ
θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ὀρίνετον; ἥτε καὶ ἄλλως
κεῖται ἐν ἄλγεσι θυμὸς, ἐπεὶ φίλον ὤλεσ' ἀκοίτην.
ἀλλ' ἀκέων δαίνυσθε καθήμενοι, ἠὲ θυράζε
κλαίετον ἐξελθόντε, κατ' αὐτόθι τόξα λιπόντε.

Mitto ea, quæ magis in promptu sunt omnibus; insolentiam procorum, insanas epulas, vinolentiam, libidines, rei alienæ appetentiam. Unum solum huic capiti addam; servos videlicet ipsasque adeo ancillas utriusque partis imaginem clare exprimere. Plurium exemplorum instar sit dulcissimum illud ante focum Eumæi colloquium. Quod si quis me velit interrogare, quid maxime omnium sit in causa cur eo *ἐπεισοδίῳ* tantopere delecter; respondeam equidem non adeo me capi suavissima vitæ agrestis imagine, non pastorali illa copia ac tranquillitate, non ordine pensorum, non largo hilarique hospitio, quam fido in herum suum atque in Deos immortales animo: qui etiam non tam delicato verborum ambitu quam spiritu quodam perpetuo sed tacito declaratur. Quid

[r] Od. xxi. 82.

hoc sibi velit, exempla planum facient. Ulyssem in Eumæi limine canes adoriuntur sui[s].

ἔνθα κεν ᾧ πὰρ σταθμῷ ἀεικέλιον πάθεν ἄλγος·
ἀλλὰ συβώτης ὦκα ποσὶ κραιπνοῖσι μετασπὼν
ἔσσυτ᾽ ἀνὰ πρόθυρον, σκῦτος δὲ οἱ ἔκπεσε χειρός.
τοὺς μὲν ὁμοκλήσας σεύεν κύνας ἄλλυδις ἄλλῃ
πυκνῇσιν λιθάδεσσιν· ὁ δὲ προσέειπεν ἄνακτα·
ὦ ξεῖν᾽, ἦ ὀλίγου σε κύνες διεδηλήσαντο
ἐξαπίνης· καί κέν μοι ἐλεγχείην κατέχευας.
καὶ δέ μοι ἄλλα θεοὶ δόσαν ἄλγεά τε στοναχάς τε.
ἀντιθέου γὰρ ἄνακτος ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων
ἧμαι, ἄλλοισιν δὲ σύας σιάλους ἀτιτάλλω
ἔδμεναι· αὐτὰρ κεῖνος ἐελδόμενος που ἐδωδῆς
πλάζετ᾽ ἐπ᾽ ἀλλοθρόων ἀνδρῶν δῆμόν τε πόλιν τε,
εἴ που ἔτι ζώει καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο.

Bene ac gnaviter perspici velim, qua simplicitate fiat Ulyssis mentio, qua vi germani amoris ad illum absentem et fortasse mortuum omnis Eumæi sermo divertatur. Iterum alloquitur gratias agentem hospitem[t]:

ξεῖν᾽, οὔ μοι θέμις ἔστ᾽, οὐδ᾽ εἰ κακίων σέθεν ἔλθοι,
ξεῖνον ἀτιμῆσαι· πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες
ξεῖνοί τε πτωχοί τε· δόσις δ᾽ ὀλίγη τε φίλη τε
γίγνεται ἡμετέρη· ἡ γὰρ δμώων δίκη ἐστὶν,
αἴει δειδιότων, ὅτ᾽ ἐπικρατέωσιν ἄνακτες
οἱ νέοι· ἦ γὰρ τοῦγε θεοὶ κατὰ νόστον ἔδησαν,
ὅς κεν ἔμ᾽ ἐνδυκέως ἐφίλει, καὶ κτῆσιν ὄπασσεν,
οἷά τε ᾧ οἰκῆϊ ἄναξ εὔθυμος ἔδωκεν.

Habent ea quæ sequuntur præclaram pietatis significationem, sponte expressam, non industria quæsitam. Mendicus Ulysses obtulerat se pignoris loco, ut capite plecteretur, ni Eumæo herum brevi præstitisset incolumem. Ille contra, vir prisca religione[u]:

ξεῖν᾽, οὕτω γὰρ κέν μοι ἐΰκλείη τ᾽ ἀρετή τε
εἴη ἐπ᾽ ἀνθρώπους, ἅμα τ᾽ αὐτίκα καὶ μετέπειτα,
ὅς σ᾽ ἐπεὶ ἐς κλισίην ἄγαγον, καὶ ξείνια δῶκα,
αὖτις δὲ κτείναιμι, φίλον τ᾽ ἀπὸ θυμὸν ἑλοίμην·
πρόφρων κεν δὴ ἔπειτα Δία Κρονίωνα λιτοίμην.

[s] Od. xiv. 32. [t] xiv. 56. [u] xiv. 402.

Mirum ni ea legentibus veniat aliquando in mentem Virgiliani illius,

> ..... Illic saltus et lustra ferarum,
> Et patiens operum, parvoque assueta juventus,
> Sacra Deum, sanctique Patres: extrema per illos
> Justitia excedens terris vestigia fecit.

Neque vero ex ulla parte propius invicem accedere, dixerim Graiæ Romanæque Poeseos antistites. Verbo dicam: qui scripsit Georgica, necesse est aliquando cum Eumæo aliquo vixerit. Verum ad Homerum redeamus; quem nos, hujusmodi rationibus adducti, conjicimus labanti Heroum disciplinæ utcunque succurrere voluisse.

Illud clausulæ loco adjiciam; qui in Odysseia, uti vidistis, nulla virtute procos redimi voluit, idem in Iliade tam Trojanorum quam Graiorum suorum personas ex bonis malisque æquissime temperavit. Non sine causa, mihi credite, tam sui dissimilis invenitur. Quidni ergo statuimus, Poetam hic seditiosos in republica perstringere, illic communi et aperto hosti debitas ut fit tribuere laudes?

Habetis, Academici, quæ in hac quæstione hodie disputanda mihi visa sunt. Ex quibus efficitur, probabili certe ratione, sponsos Penelopes eorum personam ferre, qui se istis temporibus novarum rerum cupidos monstrarent, Heroum ac religionum contemptores. Ipsius autem Poetæ vidimus eum prorsus fuisse animum, ut antiqua hesternis, profanis sacrosancta, vulgi clamoribus dignitatem optimi cujusque nullo non tempore anteferendam putaret. Itaque res eo redit, quo solet redire omnis nostra de Homericis argumentatio: ut certiores identidem fiamus, Poesin ejus nihil aliud agere, nisi ut aliqua-

tenus expleat heroici temporis desiderium, quo is flagrantissimo tenebatur.

Est et illud indolis Homericæ non leve neque contemnendum indicium, quod in universo carmine provocat ad opem Dei vindicis, Deos immortales ubique adducit Ulyssi fautores et patronos. Sed de ea re mox viderimus: quæ cum propter amplitudinem suam, tum propter gravitatem, dignissima est quæ seorsim explicetur. Nunc rationes nonnullas adferam, propter quas credibile sit, non Homero soli verum etiam omnibus qui suo jure Poetæ nominantur, magis placuisse eam in republica sectam, cui religio fuerit, quieta, vetusta, sacrosancta spe novarum rerum movere.

Primo, nihil tam carminibus alienum, quam ut omnia metiatur aliquis lucri et utilitatis norma. Illud autem, fremant licet omnes tabernæ, libere atque audacter affirmem esse popularis status (quod vocant) *ἦθος*. Eum intelligo popularem reipublicæ statum, qui et ordinum omnium et stirpium summam præ se ferat æqualitatem, eamque non legibus solum verum etiam moribus tueatur. Nulla in ejusmodi civitate nobilitas erit nisi pecuniosa. Longe lateque dominabitur Horatianum illud,

> O cives, cives, quærenda pecunia primum est.

Quid, obsecro, isti nationi cum suavissimis Musarum literis? quarum neque ad condendas opes neque ad servandas ullus sit usus. Langueant omnes necesse est, nulloque in honore jaceant; id quod his temporibus non uno in loco fieri videmus: nempe ut quoscunque invaserit seu homines sive civitates furor iste popularis ac nummarius, eos statim mira quædam occupet rei poeticæ despicientia: nisi forte extiterit

alicubi genus imitatorum, nescio qua formula sese fingentium ad melioris ævi reliquias.

Alteram jam aggrediar causam, cur existimemus, alienam plerumque ab hac populari via futuram Poesin. Nimirum, ut sæpius jam diximus, universæ Poeseos id ferme caput habendum est, nequis digna indigna, nullo delectu, nulla religione effutiat. Adhibenda semper quædam quasi reverentia: velut de rebus sacrosanctis dicendum, cum pudore et modestia: siquidem qui nativo impetu, non ascito, Poeta prodit, is bene novit agi tum maxime de arcanis sui cordis, deque intimis animi consiliis.

Jam vero, quam plane hospites sint in hac omni materia, qui sese accommodant ad vulgarem sensum, nemini non ultro apparet. Nempe a tunicato popello vere ingenuos et liberales nihil, ut opinor, clarius neque melius dividit, quam quod hi sua sibi habeant, illi importuna quadam levitate omnia omnibus impertire soleant. Quapropter si qui vates egregii potuerunt aliquando hujusmodi sæculo placere, utique propter ea placuerunt, quæ cultiora fortasse ingenia condonarent magis quam laudarent. Verbi gratia, vel ipsis Athenis, docente Trachinias Sophocle, quotam fuisse putatis subselliorum partem, quæ non magis caperetur acerbis illis atque atrocibus, furente post venenum Hercule, quam mollissimo Deianiræ epithalamio, seu næniam verius appelles:

τὸ δ' ἀμφινείκητον ὄμμα νυμφᾶς
ἐλέεινον ἄμμενει·
κἀπὸ ματρὸς ἄφαρ
βέβακεν, ὡς πόρτις ἐρήμα.

Sin domestica malit quis exempla; vereor equidem, ut ea quæ dicam probare valeam majori parti; dicam tamen, utpote quæ proxime ad rem hodiernam

pertinere videantur. Unum omnium, qui hac memoria viguerunt, facile principem agnovit popularis aura, quem honoris causa nominarem, ni facundiam suam, vimque ingenii multis magnisque fœdaverit vitiis, non modo vate sacro, sed ne homine quidem tolerabili dignis. Is igitur, ut libere quod sentio dicam, nulla re tam vehementer sua carmina vulgo commendavit, quam quod dicenda tacenda profuderit, rapidissimo verborum ac sententiarum æstu. Ipsa itaque inverecundia, atque, ut ita dicam, ferocia, lectoribus placuit sive inertibus, sive animi causa in versibus legendis breve quoddam tempus ponentibus. Idem ex formula nostra nescio an plane dejiciendus sit de gradu germanæ ac primariæ Poeseos: cujus vel præcipua pars est, ea quibus fervet animus parce aliquando, et quasi per ambages, efferre.

Verum hunc mittamus: de quo per me licet judicet quisque ut volet: modo vi formulæ nostræ concedatur, verum ac perfectum Poetam multis impeditum teneri religionibus, ne palam et aperte loquatur ea, quæ populus ægre silentio ferat prætermitti. Ex quo efficitur, minime eum cum vulgo imperito sentire. Propensior igitur esse debebit in eam civitatis partem, quæ a vulgo sit remotior. Vulgi autem nomine appellabit non plebem solam, verum etiam omnes omnium ordinum, quicunque ad crassam hanc utilitatem rem quamque referri volunt. Maxime vero adamabit ea, per quæ majores nostri, multis quoque sæculis demortui, videntur quodammodo etiamnum rebus interesse: mores, leges, religiones publicas: nec sine magno ejus dolore quisquam ea violabit et contemnet.

"At enim extiterunt egregio nomine Poetæ, qui non solum pertulerunt popularem reip. statum, verum

etiam enixe adjuverunt, quantum quidem in ipsis erat." Extiterunt, fateor, unus fortasse et alter: quanquam et de his dubitare possit aliquis, an rectius iis sint adnumerandi, qui non tam nati videantur quam facti quodammodo Poetæ. Verum extiterint, ac fuerint primarii; num propter unum atque alterum necesse est omni causa cadamus? Quasi vero quisquam omnium nostrum non plurimas simul agat partes; quasi non Poetas quoque variantes sæpius animi affectus varie turbent atque ferant; quasi denique necesse sit eundem per omnia sibi constare. Suscepto negotio satis erat factum, opinor, dummodo et causæ graves ostendantur, propter quas credibile sit abhorrere a vulgi rationibus Musarum amicos, et res ipsa planissime doceat, maximam partem abhorruisse.

Quod si quem unum instar omnium ponere quis audeat exempli loco, habet profecto Anglia hæc nostra, Academici, qui haud indigne fortasse respondeat pro universo Poetarum choro. Habemus, inquam, summum Tragœdiæ antistitem; qui non semel neque hæsitans declaravit suam de republica sententiam[x]:

> *κρίνειν τύραννον, τῶν ὑπὸ σκήπτρῳ, φίλοι,*
> *οὔδεις δίκαιος· ἔνθα γ' ὑψιστοῦ Θεοῦ*
> *σχῆμ' ἐστ' ἐναργὲς, τιμιώτατον φάος.*
> *μὴ δῆτα, μὴ δῆτ', ἄγνον ὦ Θεοῦ σέβας,*
> *ἴδοιμι κρείσσον' ἠττόνων ὑπηκόου.*

Sunt hæc gemella plane Homericorum;

> *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,*
> *εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω*
> *σκῆπτρον τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσιν ἐμβασιλεύῃ.*

[x] *King Richard II.* iv. 1.

PRÆLECTIO DECIMA QUARTA.

Odysseiam indicia præ se ferre tum egestatis Homeri, tum cæcitatis. Egenorum, immo servorum sensus eximie ab iis repræsentari, quæ vel ad Irum pertinent, vel ad Eumæum, vel ad Ulyssem mendicum. De cæcitate Homeri expenduntur quæ habet Hymnus ad Apollinem. Quanam ratione fieri potuerit, ut oculis captus tam vivide omnia depingeret. Ecquid ex ea parte intersit inter Iliadem et Odysseiam: inter Homerum quoque et Miltonum nostrum.

SATIS jam, ut opinor, illi loco factum est, quo nos Homeri mentem de republica suscepimus explorandam. Multis haud obscure signis evicimus, illum prisca Heroum jura, quo decuit Vatem, desiderio esse prosecutum: ægerrime tulisse eorum injurias, si qui insolentius in aula regia, procorum istorum ritu, dominabantur: illud demum in omne ævum omni supplicio dignum notasse, quod qui præcipue oderint Principes, iidem pauperibus, iidem quoque Numini sacrosancto maximam partem infensi esse soleant.

His hodie quasi cumulum duo quædam adjicere

decrevi: quæ, ut mihi quidem videtur, dulcissimo quodam lumine passim illustrant germanam Poetæ sententiam atque indolem: primo, quod pauper et egenus; deinde, quod oculis erat captus. Potuitne quisquam vehementius se vindicare in libertatem vere ingenuam, quam ut fortuna uteretur adeo acerba, nulla tamen vel invidentia vel ægritudine beatiores suspiceret?

Ac de paupertate quidem Homeri multa jam ante a me sunt dicta, cum de Iliade disputabam: videlicet in hanc sententiam, ut eum appareret suis manibus tetigisse, suis quasi humeris subiisse ea quæ depingit onera et pensa egenorum. Nunc venia sit nobis pauca eodem spectantia ex Odysseia quoque sumentibus. Quorum ope simul et de toto carmine certius fortasse judicabit quispiam, utrumne id ex hac etiam nota satis bene Homero vindicetur.

Mittamus vero ea quæ fusius sunt ante tractata; verbi gratia, de temporis signandi ratione, quam in omni vita solent operarii homines, solet et Homerus in utroque poemate servare [a].

> *ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ δόρποιο λιλαίεται, ᾧτε πανῆμαρ*
> *νειὸν ἀν' ἕλκητον βόε οἴνοπε πηκτὸν ἄροτρον·*
> *ἀσπασίως δ' ἄρα τῷ κατέδυ φάος ἠελίοιο,*
> *δόρπον ἐποίχεσθαι, βλάβεται δέ τε γούνατ' ἰόντι·*
> *ὡς Ὀδυσῆι ἀσπαστον ἔδυ φάος ἠελίοιο.....*
> .....[b]*ἦμος δ' ἐπὶ δόρπον ἀνὴρ ἀγορῆθεν ἀνέστη,*
> *κρίνων νείκεα πολλὰ δικαζομένων ἀϊζηῶν,*
> *τῆμος δὴ τάγε δοῦρα Χαρύβδιος ἐξεφαάνθη.*

Mittamus et ea quæ negotiis, præsertim agrestibus ac nauticis, intentum significant: velut ea quæ Cyclopeium ostium metiuntur[c]:

> .....*ἐπέθηκε θυρεὸν μέγαν ὄψοσ' ἀείρας,*
> *ὄβριμον· οὐκ ἂν τόνγε δύω καὶ εἴκοσ' ἀμάξαι*

[a] Od. xiii. 31. [b] xii. 439. [c] ix. 240.

εσθλαὶ, τετράκυκλοι, ἀπ' οὔδεος ὀχλίσσειαν·
τόσσην ἠλίβατην πέτρην ἐπέθηκε θύρησιν.

Adde etiam sceptri ejusdem mensuram[d]:

Κύκλωπος γὰρ ἔκειτο μεγὰ ῥόπαλον παρὰ σηκῷ,
χλωρὸν, ἐλαΐνεον· τὸ μὲν ἔκταμεν, ὄφρα φοροίη
αὐανθέν· τὸ μὲν ἄμμες εἴσκομεν εἰσορόωντες
ὅσσον θ' ἱστὸν νηὸς ἐεικοσόροιο μελαίνης,
φορτίδος, εὐρείης, ἥτ' ἐκπεράᾳ μέγα λαῖτμα·
τόσσον ἔην μῆκος, τόσσον πάχος εἰσοράασθαι.

His poterit aliquis haud incommode opponere carmina doctissimi Poetæ, Miltoni, docentis quæ fuerit hastæ Giganteæ moles[e]:

Quam qui ferre velit, ferat idem vertice pinum
Riphæo excisam, maloque insignia regis
Imponat, quatiatque manu.

Intelligimus plane immensam magnitudinem; illud vero, quod *numeros* non adhibeat, videtur sapere scriptorem magis umbratilem.

Quid, quod Homerus sæpissime, rusticorum more, diverticula suis quærit narratiunculis, non adeo necessaria? Optat alicubi Minerva, hospitis cujusdam similitudinem gerens, fore ut Ulysses brevi se ante oculos sistat suorum[f].

εἰ γὰρ νῦν ἐλθὼν, δόμου ἐν πρώτῃσι θύρῃσιν
σταίη, ἔχων πήληκα καὶ ἀσπίδα καὶ δύο δοῦρε,
τοῖος ἐὼν, οἷόν μιν ἐγὼ τὰ πρῶτ' ἐνόησα,
οἴκῳ ἐν ἡμετέρῳ πίνοντά τε τερπόμενόν τε,
ἐξ Ἐφύρης ἀνίοντα παρ' Ἴλου Μερμερίδαο·.....
ᾧχετο γὰρ καὶ κεῖσε θοῇς ἐπὶ νηὸς Ὀδυσσεὺς,
φάρμακον ἀνδροφόνον διζήμενος, ὄφρα οἱ εἴη
ἰοὺς χρίεσθαι χαλκήρεας· ἀλλ' ὁ μὲν οὐ οἱ
δῶκεν, ἐπεί ῥα θεοὺς νεμεσίζετο ἀιὲν ἐόντας·
ἀλλὰ πατήρ οἱ δῶκεν ἐμός· φιλέεσκε γὰρ αἰνῶς·....
τοῖος ἐὼν μνηστῆρσιν ὁμιλήσειεν Ὀδυσσεὺς,
πάντες κ' ὠκύμοροί τε γενοίατο πικρόγαμοί τε.

[d] Od. ix. 319. [e] *Paradise Lost*, i. 292. [f] Od. xii. 255.

Agrestius plane, quam concinnius, haud pauca narrari videtis, minime ad rem ipsam pertinentia.

Infinitus essem, si omnia congererem, quæ in hanc partem proferri possent: vel quia non veretur scriptor molestus fieri, epularum mentionem tam crebram injiciendo, repetitis iisdem fere verbis:

οἱ δ' ἐπ' ὄνειαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἴαλλον.

et quæ similia centies occurrunt: vel quia cum bajulis etiam, et cum omni genere operarum, sentire adeo se non indignum putat, ut ex eorum commentis sæpius enarret res atque effingat: quale est illud apud Læstrygonas[g]:

ἔνθα κ' ἄϋπνος ἀνὴρ δοιοὺς ἐξήρατο μισθοὺς,
τὸν μὲν, βουκολέων, τὸν δ' ἄργυφα μῆλα νομεύων,
ἐγγὺς γὰρ νυκτός τε καὶ ἤματός εἰσι κέλευθοι.

Obscuriora sunt hæc, perdita forte veteris cujusdam fabulæ memoria. Tantum illud clare intelligitur, cogitare Poetam de longinqua aliqua regione, a Cimmeriis suis haud procul fortasse dissita; quæ ex ratione veteris ejus physicæ tangat prorsus tenebrarum ac lucis confinia. Ea narratio cum proxime absit a sanctissimo quodam horrore, miretur aliquis, cur eam absolvat Homerus more eorum qui mercede conducuntur. Verum, ut opinor, mirari desinet, quisquis probe callet sermones et circulos pauperum.

Ejusdem plane sunt argumenti, quæ plurima in utroque carmine sponte sua legentibus occurrent, "gaudia, discursus," iræ, vota, passim egestatem redolentia, mentemque plebeiam. Hinc mala sociorum navalium suspicio, quibus scilicet indignum

[g] Od. x. 84.

videbatur, Ulyssem unum tantas sibi opes congerere, quantas accepisse ab Æolo cum autumabant[f]. Thesauros itaque vi resignant: erant autem sacci ventorum, non nummorum: unde tot pericula, tanti labores irriti. Sed agnoscimus utique naturam laboriosæ plebis, pronam in rumores ejusmodi.

Hinc non semel explicare amat Poeta, quibus argutiis vafri homines soleant utcunque res angustas sibi temperare: quæ est Ulyssis apud Eumæum solertia, nocte intempesta stragulam sibi vestem comparantis[g]. Accedit etiam (dicam enim, quanquam res minima sit, quoniam ex minimis et infimis optime judicatur hujusmodi quæstio) quod eidem longo post tempore Penelopen tandem revisuro, venit in mentem cavere ne sibi (nam frigus erat) non ante focum sedes daretur[h].

> .....Πηνελοπείαν ἐνὶ μεγάροισιν ἄνωχθι
> μεῖναι, ἐπειγομένην περ, ἐς ἠέλιον καταδύντα·
> καὶ τότε μ' εἰρέσθω πόσιος περὶ νόστιμον ἦμαρ,
> ἀσσοτέρω καθίσασα παραὶ πυρί· εἵματα γάρ τοι
> λύγρ' ἔχω· οἶσθα καὶ αὐτὸς, ἐπεί σε πρῶθ' ἱκέτευσα.

Atque hoc loco eam Odysseiæ partem attigimus, cujus præ cæteris habendam esse rationem nemo non videt, cum de plebeiorum et pauperum moribus fit quæstio. Nimirum cum eo res devenerat, ut Ulyssi mutanda esset persona, et ante Lares suos, tanquam mendico, manus ad stipem porrigenda; continuo quasi nactus occasionem optatam Homerus libere ferri suis in spatiis: pauperum curas, epulas, sermones, quin et convitia vocesque protervas non sine voluptate quadam exsequi: morari circa focum Eumæi: in minima quaque re gnavum agilemque sese præ-

[f] Od. x. 34. [g] xiv. 459. [h] xvii. 569.

stare: verbo dicam, famuli partes accurate adeo et officiose tueri, ut scias cum servis et egenis verius, quam cum dominis et luxu diffluentibus sentire. *Serviles*, inquam, sensus maximus Poetarum palam et aperte profitetur et præ se fert; *servorum* opera familiariter se nosse nullus pudor, nulla religio. Instar multorum exemplorum erit humi stratus, ultima jam nocte ante cædem procorum. Ulysses. Nescio quomodo mirifice augetur dira imminentis lethi expectatio, mentione injecta servilis lecti, rerum huc illuc sparsarum, vacua jam ac tacente in noctem aula[i].

> *αὐτὰρ ὁ ἐν προδόμῳ εὐνάζετο δῖος Ὀδυσσεύς,*
> *κὰμ μὲν ἀδέψητον βοέην στόρεσ', αὐτὰρ ὕπερθεν*
> *κώεα πόλλ' οἰῶν, τοὺς ἱρεύεσκον Ἀχαιοί.*
> *Εὐρυνόμη δ' ἀρ' ἐπὶ χλαῖναν βάλε κοιμηθέντι·*
> *ἐνθ' Ὀδυσεὺς, μνηστῆρσι κακὰ φρονέων ἐνὶ θυμῷ,*
> *κεῖτ' ἐγρηγορόων·*

Tum recordamini, qua potissimum imagine insomnem et curis fluctuantem exprimat[k].

> *ὡς δ' ὅτε γαστέρ' ἀνὴρ, πολέος πυρὸς αἰθομένοιο,*
> *ἐμπλείην κνίσσης τε καὶ αἵματος ἔνθα καὶ ἔνθα*
> *αἴολλῃ, μάλα δ' ὦκα λιλαίεται ὀπτηθῆναι·*
> *ὡς ἄρ' ὅγ' ἔνθα καὶ ἔνθα ἑλίσσετο, μερμηρίζων,*
> *ὅππως δὴ μνηστῆρσιν ἀναιδέσι χεῖρας ἐφήσει,*
> *μοῦνος ἐὼν πόλεσι.*

Hæc magis apte quam eleganter adhibuit hoc loco Poeta, ni fallor, hanc ipsam ob caussam, ut omnia bene convenirent inter se, nec scena suo quasi apparatu careret.

Deinde videte, cum erat de auspiciis agendum, quam familiariter ad humilem fortunam atque ad pensa vernarum diurna recurratur[l].

> *φήμην δ' ἐξ οἴκοιο γυνὴ προέηκεν ἀλετρὶς*
> *πλησίον, ἐνθ' ἄρα οἱ μύλαι εἵατο ποιμένι λαῶν.*

[i] Od. xx. 1. [k] xx. 25. [l] xx. 105.

τῇσιν δώδεκα πᾶσαι ἐπερρώοντο γυναῖκες,
ἄλφιτα τεύχουσαι καὶ ἀλείατα, μυελὸν ἀνδρῶν·
αἱ μὲν ἄρ' ἄλλαι εὗδον, ἐπεὶ κατὰ πυρὸν ἄλεσσαν·
ἡ δὲ μί' οὔπω πάνετ', ἀφαυροτάτη δ' ἐτέτυκτο·
ἥ ῥα μύλην στήσασα, ἔπος φάτο, σῆμα ἄνακτι·
Ζεῦ πατὲρ, ὅς ῥα θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσεις,
ἦ μεγάλ' ἐβρόντησας ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος,
οὐδέ ποθι νέφος ἐστί· τέρας νύ τεῳ τόδε φαίνεις.
κρῆνον νῦν καὶ ἐμοὶ δειλῇ ἔπος ὅττι κεν εἴπω·
μνηστῆρες πύματόν τε καὶ ὕστατον ἦματι τῷδε
ἐν μεγάροις Ὀδυσῆος ἑλοίατο δαῖτ' ἐρατείνην·
οἵ δή μοι καμάτῳ θυμαλγέϊ γοῦνατ' ἔλυσαν,
ἄλφιτα τευχούσῃ· νῦν ὕστατα δειπνήσειαν·
ὣς ἄρ' ἔφη· χαῖρεν δὲ κλεηδόνι δῖος Ὀδυσσεύς.

His omnino apponantur velim Ulyssis et Eumæi colloquia. Nimirum universæ partes Eumæi videntur e duabus rebus mire quodammodo temperari: quarum prima est, quo desiderio regem suum prosequatur absentem: cujus quidem loci rationem, ut potui, jam antea reddidi. Alterum vero caput est eorum, quibus identidem significat Eumæus servi de sua conditione sententiam[m].

ἄξεθ' ὑῶν τὸν ἄριστον, ἵνα ξείνῳ ἱερεύσω
τηλεδαπῷ· πρὸς δ' αὐτοὶ ὀνησόμεθ', οἵπερ ὀΐζὺν
δὴν ἔχομεν, πάσχοντες ὑῶν ἕνεκ' ἀργιοδόντων.
ἄλλοι δ' ἡμέτερον κάματον νήποινον ἔδουσιν.

Scilicet ea fortuna homines, sint licet animo in dominum quam maxime fideli, facile sibi ignoscendum esse arbitrantur, sicubi querulis indulgent vocibus. Quin et istiusmodi sermone quasi quodam solatio utuntur. Sinas aliquando verbis indignari, re ipsa non deerit hilare et promptum obsequium.

Sed cum Eumæo pergamus, et audiamus quæ soleant esse in deliciis servili animo[n].

ἐκ δ' ἄρα δεσποίνης οὐ μείλιχον ἔστιν ἀκοῦσαι
οὔτ' ἔπος, οὔτε τι ἔργον· ἐπεὶ κακὸν ἔμπεσεν οἰκῷ

[m] Od. xiv. 414. [n] xv. 374.

> ἀνδρὲς ὑπερφίαλοι· μέγα δὲ δμῶες χατέουσιν
> ἄντια δεσποίνης φάσθαι, καὶ ἕκαστα πυθέσθαι,
> καὶ φαγέμεν, πιέμεν τε, ἔπειτα δὲ καί τι φέρεσθαι
> ἀγρόνδ', οἷά τε θυμὸν ἄει δμώεσσιν ἰαίνει.

Quibuscum conferenda sunt omnibus satis nota[o],

> δμῶες δ', εὖτ' ἂν μηκέτ' ἐπικρατέωσιν ἄνακτες,
> οὐκέτ' ἔπειτ' ἐθέλουσιν ἐναίσιμα ἐργάζεσθαι.
> ἥμισυ γὰρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς
> ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν.

Videtis manu non incallida tangi mores ejus nationis; quibus in præsentia dominorum sita sunt omnia; neque iis quidquam fere antiquius, quam ut herilium arcanorum fiant participes, et quædam velut in aure deposita gerant.

Denique quisquis attentius legerit Eumæi de rebus suis ἐπεισοδίον, is non erit a me docendus, vel infimam illam servorum conditionem apud Græcos habuisse plurima, quæ magno cuivis Poetæ maxime moverent caperentque animum. Etenim eo tempore apud amplam quamque familiam quidam erant bello aperto devicti, quidam forte rapti subita vi prædonum. Fieri potuit ut regia gauderet origine subulcus quivis aut pastor aut custos vinearum. Præterea principibus certe servorum erant epulæ cum domino communes: suberat spes fruendæ aliquando libertatis: ut multis minuerentur ea quæ liberis hominibus fastidio esse solent, si forte quæstio oritur de vernilibus officiis, animisque. Ne forte magnum et mirabile esse videatur, si scriptor eximius tantam posuit operam in iis quæ ad servos pertinent atque ad ancillas. Debuit nimirum hoc ultimæ sorti hominum mens Homeri vere ingenua, ut quemadmodum cum divitibus et cum regibus absque invidia, ita cum

[o] Od. xvii. 320.

vilissima plebe ageret absque contemptione et despicientia.

Quo etiam illud pertinere credendum est, quod opes et luxum fortunatorum contemplatur ferme cum simplici quadam admiratione; qui plerumque mos est pauperis sua sorte contenti. Pulcherrima habentur in hoc capite de Telemacho primum intrante regiam Menelai domum, Orientis jam spoliis amplissime ornatam[p].

> .....οἱ δὲ ἴδοντες
> θαύμαζον κατὰ δῶμα Διοτρεφέος βασιλῆος.
> ὥστε γὰρ ἠελίου αἴγλη πέλεν ἢε σελήνης
> δῶμα καθ' ὑψερεφὲς Μενελάου κυδαλίμοιο.....
> αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο,
> τὴ τότε Τηλέμαχος προσεφώνεε Νεστόρος υἱόν,
> ἄγχι σχὼν κεφαλήν, ἵνα μὴ πευθοίαθ' οἱ ἄλλοι·
> φράζεο, Νεστορίδη, τῷ ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ,
> χαλκοῦ τε στεροπὴν καὶ δώματα ἠχήεντα,
> χρυσοῦ τ' ἠλέκτρου τε καὶ ἀργύρου ἠδ' ἐλέφαντος·
> Ζηνός που τοιήδε γ' Ὀλυμπίου ἔνδοθεν αὐλή.
> ὅσσα τάδ' ἄσπετα πολλά· σέβας μ' ἔχει εἰσορόωντα.

Eadem ferme mens est Ulyssis accedentis ad Alcinoi fores.

Quid, quod etiam inter Manes fecit Agamemnonem moveri vel memoria donorum, quibus ornari viderat Achillis exsequias[r].

> ἤδη μὲν πολέων τάφῳ ἀνδρῶν ἀντεβόλησα,
> ἡρώων, ὅτε κέν ποτ' ἀποφθιμένου βασιλῆος
> ζώννυνταί τε νέοι, καὶ ἐπεντύνονται ἄεθλα·
> ἀλλά κε κεῖνα μάλιστα ἰδὼν ἐτεθήπεα θυμῷ.

Patricii viri profecto non erat, neque ejus qui abundaret opibus, ut tales res tam vehementer suspiceret, aut certe quidem ut se suspicere fateretur.

Multo magis erat indignum, valde laborare aliquem de vestibus aut poculis, aliisve id genus.

[p] Od. iv. 43. [q] iv. 68. [r] xxiv. 87.

ne forte ea læderentur. Quod tamen Homero quasi statum est ac solemne. Hoc scilicet agit regina Phæacum, ubi donis prosequitur Ulyssem abeuntem[s].

> .....'Αρήτη ξείνῳ περικαλλέα κηλὸν
> ἐξέφερεν θαλάμοιο, τίθει δ' ἐνὶ κάλλιμα δῶρα....
> καί μιν φωνήσασ' ἔπεα πτερόεντα προσηύδα·
> αὐτὸς νῦν ἴδε πῶμα, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλον,
> μήτις τοι καθ' ὁδὸν δηλήσεται.....
> αὖτικ' ἐπήρτυε πῶμα, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλεν
> ποίκιλον, ὅν ποτέ μιν δέδαε φρέσι πότνια Κίρκη.

Omnino navalis erat peritiæ, ut suum quendam nodum Ulysses, vinculumque nemini solvendum nosceret. Similis erat regis Alcinoi cura[t]:

> καὶ τὰ μὲν εὖ κατέθηχ' ἱέρον μένος 'Αλκινόοιο,
> αὐτὸς ἰὼν, διὰ νηός, ὑπὸ ζυγὰ, μή τιν' ἑταίρων
> βλάπτοι ἐλαυνόντων, ὁπότε σπερχοίατ' ἐρετμοῖς.

Similis vel ipsius Minervæ[u]:

> .....θεὰ δῦνε σπέος ἠερoειδὲς
> μαιομένη κευθμῶνας ἀνὰ σπέος· αὐτὰρ 'Οδυσσεὺς
> ἆσσον πάντ' ἐφόρει χρυσὸν καὶ ἀτειρέα χαλκὸν,
> εἵματα τ' εὐποίητα, τὰ οἱ Φαίηκες ἔδωκαν·
> καὶ τὰ μὲν εὖ κατέθηκε· λίθον δ' ἐπέθηκε θύρῃσιν
> Παλλὰς 'Αθηναίη, κούρη Διὸς αἰγιόχοιο.

Nec facile crediderim, potuisse venire in mentem cuivis beatiorum, ut Telemachum patriæ cupidum faceret non modo propter summam rerum, sed etiam ne quod ex regio instrumento pereat[x]:

> βούλομαι ἤδη νεῖσθαι ἐφ' ἡμέτερ'· οὐ γὰρ ὄπισθεν
> οὖρον ἰὼν κατέλειπον ἐπὶ κτεάτεσσιν ἐμοῖσιν·
> μὴ πατέρ' ἀντίθεον διζήμενος αὐτὸς ὄλωμαι,
> ἤ τί μοι ἐκ μεγάρων κειμήλιον ἐσθλὸν ὄληται.

Immo etiam, vel ipso in nodo Poematis, ubi erat

[s] Od. viii. 438. [t] xxiii. 20. [u] xiii. 366. [x] xv. 88.

invenienda via, qua subjici posset Ulyssi pæne soli manus tam valida procorum: nonne ibi consilium fingitur ex ipsa tugurii pauperis *οἰκονομίᾳ* eductum[u]?

> Τηλέμαχε, χρὴ τεύχε' Ἀρήϊα κατθέμεν εἴσω
> πάντα μάλ'· αὐτὰρ μνηστῆρας μαλακοῖς ἐπέεσσιν
> παρφάσθαι, ὅτε κέν σε μεταλλῶσιν ποθέοντες·
> " ἐκ καπνοῦ κατέθηχ'· ἐπεὶ οὐκέτι τοῖσιν ἐῴκει,
> " οἷα ποτε Τροίηνδε κιὼν κατέλειπεν Ὀδυσσεύς,
> " ἀλλὰ κατήκισται, ὅσσον πυρὸς ἵκετ' ἀϋτμή."

Sed enim universis hisce libris, qui sunt de Ulysse mendicum simulante, vix quidquam agi invenias, nisi ex persona hominis in inopia bene versati.

Et quoniam mentionem hic fecimus nodi (quem vocant) totius poematis, videte quantum ad eum solvendum ex alia quoque parte conferat Homeri erga paupere animus. Nempe veri non erat simile, extorrem et vagum tam facile admitti in penetralia regiæ domus: erat is tamen omnino admittendus, neque enim alia ratione caveri poterat de summa rerum cum Telemacho et cum Euryclea. Atque huc pertinet universa de Iro narratio; quæ nonnemini fortasse poterit esse fastidio, quasi gratis de sua via divertatur scriptor, animique solum causa in vernarum jurgiis moretur. Quod si quis attentius inspiciet eam carminis partem, videbit Ulyssea non parum ab importuno isto adjuvari. Iro enim pugnis cæso, adeo delectantur protervi juvenes, ut victori præmii loco sedem decernant inter eos qui secum epulantur[x]:

> *αἰεὶ δ' αὖθ' ἡμῖν μεταδαίσεται, οὐδέ τιν' ἄλλον*
> *πτωχὸν ἔσω μίσγεσθαι ἐάσομεν αἰτήσοντα.*

Itaque per illos non stetit, quin rex paupere habitu

[u] Od. xix. 4. [x] xviii. 48.

suos et intra parietes versaretur, et in ipsorum in teritum provideret ac pararet omnia. Præterea ne turbæ exoriantur e famulis et ancillis, non facile passuris mendicum in palatio degentem, jactat se non semel Ulysses insignem in omni servili munere; unde sibi impetrat hanc veniam, ut in domo sua pernoctet, foci scilicet ac tædarum minister. Ea ratione et ille securus multa agit, quæ ad vindictam spectant, et liberius excurrit Homerus, diverticula quærendo circa vernas procaces.

Nam alia prorsus Homeri nostri, alia Tragœdorum Atticorum est ratio, ubi servorum res aguntur. His nescio an nusquam prodeat servilis persona, propter suum meritum in honore aliquo habenda: nam nihil moror hic Sophocleam Tecmessam, Ionem Euripideum, et siqui id genus extant, qui cum modo rebus mutatis sint in servitutem redacti, vereor ne temere quis ex iis scriptorum erga servos animum judicet. His itaque missis, ecquis, obsecro, servorum scenicorum est usus, nisi ut sint qui nuntios perferant; qui primariæ cujusque personæ mandata exsequantur; quique aures commodent narrationibus forte longiusculis? Dixeris eos magis ad instrumentum fabulæ, quam ad veras vivasque personas pertinere: quantum ab Eumæo, sociisque ejus remotos! Viderint gratiosi plebis cultores, uter in hac re magis ingenue pieque senserit; Homerus, regum fautor, an Tragœdi populares. Ego vero nostrum, quod in numero aliquo habendos homines etiam infimæ sortis duxerit, melioris ævi alumnum agnosco: quod autem adeo accurate ac diserte expresserit ingenia servorum, mores, sermones, in causa fuisse arbitror ipsius paupertatem, quæ do-

cuerit eum ista omnia perfectius fortasse multo quam ipse vellet.

Ac de servis quidem diximus: qui locus mihi videtur haud indignus qui seorsim aliquando tractetur. Nunc duo vel tria quædam exsequi liceat impressa veluti vestigia paupertatis: quæ postquam deprehenderam hic illic sparsa in Homericis libris, certo certius mihi videbatur, ipsum aliquo saltem tempore conflixisse cum inopiæ malis. Primo, quod religionum ferme omnium apud eum est sanctissima, quæ versatur in pauperibus curandis, atque in inopia sublevanda. Id quod palam docet Ulysses, Minerva jubente procorum coronam ambiens, si forte unum inveniet atque alterum, qui non sit omnino ab omni misericordia alienus[y]:

> .....αὐτὰρ Ἀθήνη,
> ἄγχι παρισταμένη, Λαερτιάδην Ὀδυσῆα
> ὦτρυν', ὡς ἂν πύρνα κατὰ μνηστῆρας ἀγείροι,
> γνοίη θ', οἵτινές εἰσιν ἐναίσιμοι, οἵ τ' ἀθέμιστοι.

Deinde, non aliud sapit ille Nestoris pudor, vetantis hospites in navem ire dormitum[z].

> Ζεὺς τόγ' ἀλεξήσειε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι,
> ὡς ὑμεῖς παρ' ἐμεῖο θοὴν ἐπὶ νῆα κίοιτε,
> ὥστε τευ ἢ παρὰ πάμπαν ἀνείμονος ἠὲ πενιχροῦ,
> ᾧ οὔτε χλαίναι καὶ ῥηγέα πολλ' ἐνὶ οἴκῳ,
> οὔτ' αὐτῷ μαλακῶς, οὔτε ξείνοισιν, ἐνεύδειν.

Non semel agnoscitur ciborum quoque discrimen, ita scilicet ut alius optimatium mensis conveniat, alius plebi et hominibus infimæ notæ[a].

> ἕσθιε νῦν, ὦ ξεῖνε, τάτε δμώεσσι πάρεστιν,
> χοίρε'· ἄταρ σιάλους γε σύας μνηστῆρες ἔδουσιν.

[y] Od. xvii. 360. [z] iii. 346. [a] xiv. 80.

Neque aliter instruitur Telemachi cella penaria[b]:

> ἐν δὲ γυνὴ ταμίη σῖτον καὶ οἶνον ἔθηκεν,
> ὅψα τε, οἷα ἔδουσι διοτρεφέες βασιλῆες.

Porro animadvertite, quibus idem oculis aspiciat lautissimas Phæacum epulas[c].

> ἔνθα δὲ Φαιήκων ἡγητόρες ἑδριόωντο
> πίνοντες καὶ ἔδοντες· ἐπηετανὸν γὰρ ἔχεσκον.

Quorsum illud. ἐπηετανὸν γὰρ ἔχεσκον; Nempe admiratur parvo assuetus Scriptor, cuiquam in promptu esse copiam frugis paratam in universum annum. Hæc non veluti queribundus effert Poeta, sed tanquam aliud agendo, quasi mos ille sit diuturno jam usu comprobatus: qua ratione solent egeni potentium amicorum delicias enarrare.

Homerum vero, siquem alium, benigne tulisse res angustas, vel ex his confirmare ausim, quibus Ulysses Eumæum solatur[d]:

> ἀλλ' ἤτοι σοὶ μὲν παρὰ καὶ κακῷ ἔσθλον ἔθηκεν
> Ζεὺς, ἐπεὶ ἀνδρὸς δώματ' ἀφίκεο πολλὰ μόγησας
> ἠπίου, ὅς δή τοι παρέχει βρῶσίν τε πόσιν τε
> ἐνδυκέως, ζώεις δ' ἀγαθὸν βίον· αὐτὰρ ἔγωγε
> πολλὰ βροτῶν ἐπὶ ἄστε' ἀλωμένος ἔνθαδ' ἱκάνω.

Videtisne, Academici, tranquillum ac mitem animum? quærit ultro quæ leniant paupertatis sensum, non quæ acerbiorem faciant, qui mos est plerisque ingeniosis. Sua sibi divites habere sinit, neque Fortunæ fit infensus: secunda si quæ obtigerunt, Jovi accepta refert omnia.

Sed hæc benigniora videbuntur, modo cum iis componamus ea, quæ effudit nostrorum non mini-

[b] Od. iii. 479. [c] vii. 98. [d] xv. 488.

mus, indignatus sibi, tali viro, tribui victum et cubile pauperum[e].

> Si Natura jubet domino servire superbo,
> Cur liberrima me rapit alte
> Mens animi? sin liber ero, quid vincla minæque?

Tale aliquando specimen edidit ipsius de sua fortuna sententiæ Poeta de nostratibus illustris, Scotiæ lumen, Homeri simillimus tum rerum agrestium et incompti ruris amore, tum, ut nobis quidem videtur, egestate. Quam vellem similis extitisset et ex hac quoque parte, ut pauper cum esset, benigne ac suaviter ageret cum locupletibus et fortunatis; atque adeo cum sorte sua ludere quam rixari maluisset! Verum in hac re, sicut in omni vita, plurimum ei nocuit insanus quidam ac plane temerarius ad voluptatem ardor. Hinc iræ, metus, ægritudines; hinc mens mali sibi conscia, nec satis cuiquam aut hominum aut rerum benigna: hinc de republica cæca murmura, indignatio liberrima, si qui beatiores quam pro meritis suis viderentur. Contra, Homerus, cum fuerit, ut in Ethnico scriptore, maxime pudibundus, consentaneum erat ut rebus præsentibus semper se hilarem et æquum præstaret. Non enim frustra dictum est, quærendum esse, "quid *pure tranquillet*;" ut intelligamus, qui velit quieto esse animo, illi ante omnia vivendum esse caste ac pure. Adeo commune quoddam est vinculum virtutum omnium, cum inter se tum cum vera ac legitima Poesi.

Verum quoniam, uti spero, satis diserte explicavi, quid ad Homericam illam suavitatem contulerit

[e] If I'm design'd yon lordling's slave, &c.
Burns's Poems, p. 196. Lond. 1833.

animus inopiæ patiens, ad alterum jam caput hodiernæ disputationis aggrediar; cujus cum par sit atque eadem ferme ratio, non erit cur nos in eo diu moremur. Nempe de Homeri cœcitate fuit, ut nostis, constantissima veterum fama: de qua ne dubitet aliquis, gravissimum habemus auctorem, Thucydidem[f]. Is velut Homericos plane laudavit dulcissimos de Delo versus, quibus clausula,

τυφλὸς ἀνὴρ, οἰκεῖ δὲ Χίῳ ἐνὶ παιπαλοέσσῃ.

Ac de reliquo quidem carmine, cui nomen inditum est, "Hymnus ad Apollinem," judicet quid velit quispiam; illud autem fragmentum Homero absque omni controversia vindicat non solum Historici testimonium, verum etiam ipse orationis color, et suavissimæ sententiæ decursus. Unum modo exemplum proferam, ne in rebus decantatis fiam forte molestior. Secundum ea quæ excerpsit Thucydides, his promissis demulcet Poeta sacrosanctum virginum cœtum[g]:

ἡμεῖς δ' ὑμέτερον κλέος οἴσομεν, ὅσσον ἐπ' αἶαν
ἀνθρώπων στρεφόμεσθα πόλεις εὐναιεταώσας·
οἱ δ' ἐπὶ δὴ πείσονται, ἐπεὶ καὶ ἐτήτυμόν ἐστιν.

Nolite putare clarum et simplex illud, *ἐπεὶ καὶ ἐτήτυμόν ἐστιν*, facile ab alio auctore, quam ab Homero, proficisci potuisse.

Reliquum autem carmen quod attinet, possim hic plura attexere, quæ Homerum plane sapere videntur: quanquam ejus membra misere disjecta lapsu temporis ad nos pervenerint. Sed ne longum faciam, modo perpendatis velim illa splendidissima,

[f] Thucyd. iii. 104.

[g] Hymn. ad Apol. 174.

quæ Deum describunt huc illuc præ choro sacerdotum suorum volitantem, cum mirifica ἐναργείᾳ[h]:

> ἔνθ' ἐκ νηὸς ὄρουσεν ἄναξ, ἑκάεργος Ἀπόλλων,
> ἀστέρι εἰδόμενος, μέσῳ ἤματι· τοῦ δ' ἀπὸ πολλαὶ
> σπινθαρίδες πωτῶντο, σέλας δ' εἰς οὔρανον ἵκεν·
> ἐς δ' ἄδυτον κατέδυνε διὰ τριπόδων ἐριτίμων·
> ἐν δ' ἄρ' ὅγε φλόγα δαῖε, πιφαυσκόμενος τὰ ἃ κῆλα,
> πᾶσαν δὲ Κρίσην κάτεχεν σέλας· αἱ δ' ὀλόλυξαν
> Κρισαίων ἄλοχοι, καλλίζωνοί τε θύγατρες,
> Φοίβου ὑπὸ ῥιπῆς· μέγα γὰρ δέος εἷλεν ἕκαστον.
> ἔνθεν δ' αὖτ' ἐπὶ νῆα, νόημ' ὣς, ἆλτο πέτεσθαι,
> ἀνέρι εἰδόμενος ἀϊζηῷ τε κρατερῷ τε,
> πρωθήβῃ, χαίτῃς εἰλυμένος εὐρέας ὤμους.

Quare vel ex hoc uno poemate ratum id nobis fixumque maneat, quod credidit omnis ætas, cæcum extitisse Poetarum omnium principem: et quidem ante ultimum senectutis suæ tempus, qua ætate poterat adhuc civitates et insulas obire, solennia cantando.

Hic statim occurrit quæstio non injucunda, fueritne Homerus oculis jam affectis, cum ea scriberet carmina, quibus nos hodie fruimur. Ac fateor equidem, primo intuentibus obvenire argumenta non levia, cur id negandum esse videatur. Quomodo enim cæco homini congruunt tot picturæ, tam diverso genere, forma, colore, motu, gestu, tam varie tam accurate depictæ? Fortasse autem rem altius repetenti non erit prorsus incredibile. Nam si quis velit profundius respicere in ipsa mentis suæ penetralia, tum cum maxime commovetur Naturæ deliciis, profecto inveniet non eo ipso temporis puncto formas sibi distinctas exsurgere silvarum, aquarum, montium, cæteras, quo ordine eas vel a Poeta vel a Pictore adumbrari oporteat. Sed post-

[h] Hymn. ad Apol. 440.

quam paullo deferbuit animi æstus, cum jam datur aliquid otii, tum confusæ prius imagines, velut in acie, se explicare; tum res quæque suo loco consistere; tum velut ex intervallo dignosci quid primum, extremum, medium, quamque rationem habeant ad se invicem omnia. Verbo dicam, Picturæ vel perfectissimæ plurimus est memoriæ usus. Porro fingamus, orbari visu pictorem aliquem acutissima memoria: nonne is apud se iterum iterumque repetet ac versabit imagines locorum, si quos forte præ aliis aut noverit accuratius aut vehementius adamaverit? Præsertim cum, adempto lumine, occludantur quasi fores animi, ne rerum ignotæ species ingerant sese, vetera exturbent. Ut ne cuiquam mirum videatur, verius aliquando a cæcis teneri formas rerum, quam ab iis qui visu fruuntur: non alia ratione ac solent vetuli meminisse quæ se pueris sint acta, multo perfectius quam hesterna meminerint juniores.

Quod itaque passim in Odysseia cum singulari quadam evidentia designantur urbes, portus, flumina, rarius autem adhibentur fictæ pro tempore similitudines, et quæ generatim sine nomine terrarum cœlique faciem exprimant; contra in Iliade regnant similitudines, parcius laboratur de locis nomine ac certa regione finitis: equidem sentio rem universam ita commodissime posse expediri, si conjiciamus Iliadem scriptam fuisse integris adhuc Homeri oculis, Odysseiam, magnam certe partem, postquam ei lumen erat ademptum. In Iliadem certe jure quodam suo convenit ea laus, quam præcipuam et excellentem tribuit Homero Aristoteles: *κινουμένα γὰρ καὶ ζῶντα ποιεῖ ἅπαντα.* Odysseia non tam motus habet animalium, cœli subitas conversiones, impetus

hominum, quam tranquilla viarum, montium, silvarum, locos denique ipsos, termino quemque suo conclusos. Hæc otiosas veluti scenas instaurare; illa semel visa momento rapere, et sub aspectu ponere videtur. Itaque hæc memoriam tenacissimam, illa oculos postulabat acerrimos.

Hic fortasse opponat aliquis, declinare aliquando et Odysseiam ab ipsa veritate situs ac regionum. Aiunt videlicet, Ithacam quæ nunc habetur Homericæ Ithacæ vix ulla ex parte respondere. Quocirca putandum est, aut longinqua vetustate de insulæ nomine hodie errari; aut si Poetæ ipsius fuit error, credibile erit, vel propter cæcitatem hæsisse in ejus animo notionem, ut fit, perperam semel conceptam.

Sed ad hunc locum unice pertinent suavissima ista de Demodoco, quæ religio fuerit præterire[1].

κήρυξ δ' ἔγγυθεν ἦλθεν, ἄγων ἐρίηρον ἀοιδον,
ὃν περὶ Μοῦσ' ἐφίλησε, δίδου δ' ἀγαθόν τε κακόν τε,
ὀφθαλμῶν μὲν ἄμερσε, δίδου δ' ἡδεῖαν ἀοιδήν.
τῷ δ' ἄρα Ποντόνοος θῆκε θρόνον ἀργυρόηλον
μέσσῳ δαιτυμόνων, πρὸς κίονα μακρὸν ἐρείσας,
κὰδ' δ' ἐκ πασσαλόφι κρέμασεν φόρμιγγα λίγειαν,
αὐτοῦ ὑπὲρ κεφαλῆς, καὶ ἐπέφραδε χερσὶν ἑλέσθαι
κήρυξ· πὰρ δ' ἐτίθει κάνεον καλήν τε τράπεζαν,
πὰρ δὲ δέπας οἴνοιο, πιεῖν, ὅτε θύμος ἀνώγοι.

His modo semel perlectis, spero equidem probare se vobis, Academici, eam quam hodie teneo sententiam, tum de cæcitate Homeri, tum de suavissima ejus indole, et mente in beatiores æquissima. Non enim, credo, fugit vos, qua sedulitate officia quæque percurrat, quæ oculis laboranti credibile est fore gratissima. Collocatur ex ea parte sella, qua possit ille accumbens fulcire se propinqua columna. Pen-

[1] Od. viii. 62.

det super ejus capite lyra; cavetur, ne frustra palpando eam quærat; tum etiam, dimissa in ludos concione, cæcus Poeta cum honore et gratia deducitur.

Denique ne dubitemus de animo ejus erga Numen cœleste submisso, piaque, ut ita dicam, securitate, faciunt ea, dulcissima sane, quibus docet vel cæcitatem compensatione vis poeticæ leniri:

> *τὸν περὶ Μοῦσ' ἐφίλησε, δίδου δ' ἀγαθόν τε κακόν τε,*
> *ὀφθαλμῶν μὲν ἄμερσε, δίδου δ' ἡδεῖαν ἀοιδήν.*

Præclaram sane habent ea non modo pietatis significationem, sed et comitatis nescio cujus, et ejus quam Græci dicunt *εὐθυμίας*, ad omnem vitæ statum paratæ.

Atque in hac re componamus, si placet, Homerum cum Miltono nostro: qui cum cæcus et ipse fuerit, et cæcitatem carminibus leniendam judicaverit, vereor ne caruerit Homerica illa suavitate, etsi non negaverim, cecinisse eum carmina plena constantiæ et severissimæ religionis[k].

> *ὅταν μ' ὑπέλθῃ φῶτος ἶμερος, μέσον*
> *πρὶν ἦμαρ ἐλθεῖν ἐν σκότῳ πλανώμενον,*
> *ἄλγιστον· εἴπερ καὶ τυφλοῖσι δεσπότης*
> *πικρὸς πάρεστιν, ἔργα τ' εἰσπράσσει, Θεός.*
> *ἀλλ' ἔστιν, ἐστ' ἄρ' ἐν μυχοῖς φρενῶν λόγος,*
> *ἀγαθός τε δαίμων· εἰμι δ' εὐθαρσὴς, νοῶν*
> *τὸν ἐν ζυγοῖσιν οὐρανοῦ καθήμενον,*
> *ἐμοῦ δέοντά γ' οὐδὲν, αὐταρκῆ Θεόν.*
> *πρὸ δ' αὖτ' Ἀνάκτος μυρίον φάσι στρατὸν,*
> *τοὺς μὲν, πετέσθαι πολλὰ, πυρφόρων δικὴν,*
> *ἄνω, κάτω, γῆν, πόντον, οὐρανοῦ πλάκα·*
> *τοὺς δ' αὖ, σεβόντας, ἐν τόπῳ μίμνειν ἀεί.*

Quam vellem eo tenore omnia! verum et in his videtis luctari quodammodo hominem cum sorte

[k] *Sonnet* xiv. *On his Blindness.*

sua; dixeris eum oculo non irretorto spectaturum ingentes aliorum acervos: dixeris etiam in republica (id quod res ipsa docuit) accessurum non ad Homericas partes, sed ad inquieta potius et popularia.

Reliquum erit, ut ad religiones pergamus, quibus passim abundant Homerica: qui locus non inepte conjungetur vel cum iis quæ ad cæcitatem Homeri vel cum iis quæ ad inopiam pertinent. Non enim facile credendum est, nulla numinis reverentia quemquam versari in istis infortuniis, nec tamen irasci Fortunæ. Præterea nemini, ne tenue quidem sæculi istius exemplar edenti, non erat vel maxima rerum sacrarum habenda ratio. Itaque ad eas, quales habet præsertim Odysseia, primo quoque tempore accedamus: quibus absolutis, erit tandem a nobis de Homero peroratum.

PRÆLECTIO DECIMA QUINTA.

Homericorum carminum, Odysseiæ præsertim, summam, ad crimina divinitus ulciscenda pertinere. Hinc creberrima Pelopidarum mentio: vindicta in procos asperior: Ithacensium animi, non sine Numine, pacati. Agi apud eum præsente Deo omnia, levissima quoque: expenditur Horatii de ea re præceptum. Agi præterea cum pudore et reverentia, tanquam et adsit Numen, et celari velit. Fortunæ denique et Fato nihil, omnia bono fortique animo dari.

QUÆ duo nobis, Academici, Homericam hanc materiem primo aggredientibus, veri videbantur esse simillima; primum de Homeri persona, extitisse omnino unum eundemque Iliadis et Odysseiæ scriptorem; deinde de mente ejusdem atque indole, accensa plane atque ardenti in heroum deperditorum memoriam: ea cum spero me argumentis jam ante allatis non leviter vobis probasse, tum certe maxime confirmari video ex iis quæ ad religionem pertinent: de quibus hodie disserendum erit.

Principio, divinitus quodammodo factum est, ut in

rudimentis etiam, primisque initiis utriusque carminis, tueretur Poeta fas et jura præcipuarum eo tempore religionum: immo et earum religionum, quas omni tempore gravissimas habet naturalis atque vera Pietas. Nam et Iliaci argumenti summa maxime ad religionem spectat; religionem videlicet hospitii per Paridem violati: ex quo factum est, ut neque reipublicæ Trojanæ neque ipsius Hectoris sacrificia ad exitium arcendum valerent, quin fatalis exoriretur Achilles, qui se totum daret ulciscendo immani flagitio. Odysseiæ vero prorsus universæ texturam eo potissimum filo deduci videtis; sive ad exitum fabulæ, sive ad vias modosque respiciat aliquis, res est tota, quanta quanta est, præsentissimi et optimi Numinis.

Nimirum, (id quod nos etiam atque etiam docuimus,) in illo situs est Odysseiæ exitus, non solum ut Ulysses ad sua redeat incolumis, verum etiam ut pœnæ exigantur e nefando procorum cœtu; regni, hospitii, conjugii jura in posterum sarta tecta conserventur. Ipso carminis initio proponitur causa, dignissima quæ veniat in mentem Jovi et Deorum concilio. Ac videte, quanta cum gravitate prima ejus injiciatur mentio, non dedita opera, sed forte quadam, occasione data propter cædem Ægisthi[a].

τοῖσι δὲ μύθων ἦρχε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε·
μνήσατο γὰρ κατὰ θυμὸν ἀμύμονος Αἰγίσθοιο,
τὸν ῥ' Ἀγαμεμνονίδης τηλέκλυτος ἔκταν' Ὀρέστης·
τοῦ ὅγ' ἐπιμνησθεὶς ἔπε' ἀθανάτοισι μετηύδα·
ὤ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται·
ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
σφῇσιν ἀτασθαλιῇσιν ὑπέρμορον ἄλγε' ἔχουσιν.
ὡς καὶ νῦν Αἴγισθος ὑπέρμορον Ἀτρεΐδαο
γῆμ' ἄλοχον μνηστὴν, τὸν δ' ἔκτανε νοστήσαντα,
εἰδὼς αἶπυν ὄλεθρον· ἐπεὶ πρό οἱ εἴπομεν ἡμεῖς,

[a] Od. i. 29.

Ἑρμείαν πέμψαντες ἐϋσκόπον Ἀργειφόντην,
μήτ' αὐτὸν κτείνειν, μήτε μνάασθαι ἄκοιτιν·
ἐκ γὰρ Ὀρέσταο τίσις ἔσσεται Ἀτρείδαο,
ὅππότ' ἂν ἡβήσῃ τε καὶ ἧς ἱμείρεται αἴης·
ὣς ἔφαθ' Ἑρμείας· ἀλλ' οὐ φρένας Αἰγίσθοιο
πεῖθ' ἀγαθὰ φρονέων. νῦν δ' ἀθρόα πάντ' ἀπέτισεν.
τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη·
ὦ πατὲρ ἡμέτερε, Κρονίδη, ὕπατε κρειόντων,
καὶ λίην κεῖνός γε ἐοικότι κεῖται ὀλέθρῳ·
ὣς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι.
ἀλλά μοι ἀμφ' Ὀδυσῆι δαΐφρονι δαίεται ἦτορ,
δυσμόρῳ, ὃς δὴ δηθὰ φίλων ἄπο πήματα πάσχει.

Magnificum sane religiosi carminis exordium, quodque ipsum per se satis arguat, animum Scriptoris in res divinas intentum fore et arrectum. Jam autem miretur aliquis, cur Deos colloquentes narraverit Homerus fortuito, ut ita dicam, incidisse in Ulyssis et procorum negotium, mentione facta Agamemnonis. Quid si Scriptor ista ratione Diis suis caveri voluit, ne forte putarent homines, præjudicio quodam et cæco favore teneri eos atque duci in hujus aut illius sectam? qua ratione, ut verum fatear, Apollo, Neptunus, cæteri in Iliade suis quisque partibus se videntur addixisse. Verbi gratia: primus omnium legentibus Iliadem Apollo occurrit, iratus scilicet,

οὕνεκα τὸν Χρυσὴν ἠτίμησ' ἀρητῆρα
Ἀτρείδης.

Quanto rectius et augustius apud Odysseiam Jupiter et Minerva:

καὶ λίην κεῖνός γε ἐοικότι κεῖται ὀλέθρῳ·
ὣς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι.

Non affectu aliquo commoti indignantur, sed stabilem certamque edunt tanquam pro tribunali sententiam, quæ penitus in omnes omni tempore valeat.

Ac nescio quidem an satis recte dicatur, locis inter se collatis, apparere hic etiam ingravescentis ætatis vestigia; ex altera parte minas et iram, judicium modo ex altera gravissimum.

Illud certe erit e re nostra, quod Agamemnonis et Pelopidarum casus non hoc uno loco, sed et omni fere carmine de industria memorantur. Telemachum qui volunt excitare ad laudem et ad laborem, quoties Orestis utuntur exemplo, nuperrime jam in vulgus noto[b]!

> .....οὐδέ τί σε χρὴ
> νηπίαας ὀχέειν, ἐπεὶ οὔκετι τηλίκος ἐσσί·
> ἦ οὐκ ἀΐεις, ὅσσον κλέος ἔλλαβε δῖος Ὀρέστης
> πάντας ἐπ' ἀνθρωποὺς, ἐπεὶ ἔκτανε πατροφονῆα
> Αἴγισθον δολόμητιν, ὅς οἱ πατέρα κλυτὸν ἔκτα;
> καὶ σὺ, φίλος· μάλα γάρ σ' ὁρόω καλόν τε μέγαν τε·
> ἄλκιμος ἐσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.

His addamus admonitum Nestoris[c];

> Ἀτρείδην δὲ καὶ αὐτοὶ ἀκούετε, νόσφιν ἕοντες,
> ὥς τ' ἦλθ', ὥς τ' Αἴγισθος ἐμήσατο λύγρον ὀλέθρον.
> ἀλλ' ἤτοι κεῖνος μὲν ἐπισμυγερῶς ἀπέτισεν·
> ὡς ἀγαθὸν, καὶ παῖδα καταφθιμένοιο λιπέσθαι
> ἀνδρός· ἐπεὶ καὶ κεῖνος ἐτίσατο πατροφονῆα.

Quod si contexere velis ea quæ habet idem Nestor infra, rogatus a Telemacho de morte Agamemnonis[d], quæque Menelaus proximo libro, Protei senis effata referens[e]; ea porro, quibus umbra ipsius Agamemnonis suam quasi næniam canit[f]: habebis profecto non adeo jejunam Tragœdiæ illius Æschyleæ formam. Ejus autem rei repetita identidem memoria quantum valeat ad animos arrigendos atque ad augendam exspectationem, per se satis erit perspectum.

Quid, quod in clausula totius fabulæ, summa re

[b] Od. i. 296. [c] iii. 193. [d] iii. 262. [e] iv. 512. [f] xi. 405.

jam confecta, vel apud Manes procorum umbris fit obviam rursus Agamemnon; ne non et superi et inferi testentur, certam injuriosis pœnam destinari? Scilicet Deorum potissimum tutelæ committendi erant Heroum Lares, nequis in res absentium invaderet, sive plebeius sive potentiorum furor. Illud quantopere metuendum foret, præter Ulyssem et Agamemnona documento sit nobis Achilles, solicite percontans quid patre Peleo fiat[g].

εἰπὲ δέ μοι, Πηλῆος ἀμύμονος εἴ τι πεπύσσαι,
ἢ ἔτ' ἔχει τιμὴν πολέσιν μετὰ Μυρμιδόνεσσιν,
ἦ μιν ἀτιμάζουσιν ἀν' Ἑλλάδα τε Φθίην τε,
οὕνεκα μιν κατὰ γῆρας ἔχει χείράς τε πόδας τε.
οὐ γὰρ ἐγὼν ἐπαρωγὸς ὑπ' αὐγὰς Ἠελίοιο,
τοῖος ἔων, οἷος ποτ' ἐνὶ Τροίῃ εὐρείῃ
πέφνον λαὸν ἄριστον, ἀμύνων Ἀργείοισιν·
εἰ τοιόσδ' ἔλθοιμι μίννυθά περ ἐς πατέρος δῶ,
τῷ κε τέῳ στύξαιμι μένος καὶ χεῖρας ἀάπτους,
οἳ κεῖνον βιόωνται, ἐέργουσιν τ' ἀπὸ τιμῆς.

Præclare hic adumbratur Achillis persona, ejus simillima, quam in Iliade novimus: et quidem ex ea parte simillima, quæ vix statim incurrat in oculos imitatoris, otiosi certe. Pietatem dico Achillis erga patrem grandævum, divine cum bellico isto ardore temperatam: maxime quidem illam personæ illius propriam, qui Hectorem Priamo condonaverat, commotus mœsta patris absentis memoria. Attamen filo sunt ea tenuiore, et manum prodere videntur ipsius auctoris.

Verum redeamus ad Odysseiæ nostræ religiones: quarum, ut opinor, ratio non erit omnino contemnenda, siquis ex hoc nostro sæculo penitus quasi exire poterit, propiusque, ut ita dicam, intueri desertas heroum domos, familias orbatas. Ei fortasse

[g] Od. xi. 494.

credibile erit, non omnibus numeris errasse æquales Homeri, quod Diis ipsis tuenda vacua regum suorum limina assignaverint. Quis scit an eximia quadam custodia, temporibus inquietis, cæleste numen invigilet circa privatorum fores, nedum heroum? Is utique, ut videtur, tenor est Divinæ bonitatis, ut siquam regionem leges deficiunt, moresque, illam ea tuendam suscipiat vi ac præsidio extraordinario.

> Ni faciat, maria ac terras cœlumque tumultu
> Quippe ferant rapido secum, verrantque per auras.

Igitur, adhibita veritatis regula, purgare se fortasse poterit ex aliqua saltem parte Homerus, de immiti Ulyssis animo, deque suppliciis crudelissimis et miserrimis, quibus ille, ne scrupulo quidem injecto, famulos ancillasque proditores sui coercet. Ni fallor, pertinent ea non tam ad iram stomachantis heri, quam ad officium sacrosanctum regis atque patrisfamilias; cui nihil, ea republica, debebat esse antiquius, quam ut servos graviter curaret admonendos, fractæque in dominos fidei pœnas exigeret. Ipsum audiamus, qua constantia Euryclciam, muliebriter exultantem post cædem procorum, inhibeat[h]:

> *ἡ δ' ὡς οὖν νέκυάς τε καὶ ἄσπετον εἶσιδεν αἷμα,*
> *ἴθυσεν ῥ' ὀλόλυξαι, ἐπεὶ μέγα εἴσιδεν ἔργον.*
> *ἀλλ' Ὀδυσεὺς κατέρυκε καὶ ἔσχεθεν ἱεμένην περ,*
> *καί μιν φωτήσας ἔπεα πτερόεντα προσηύδα·*
> *ἐν θυμῷ, γρῆυ, χαῖρε, καὶ ἴσχεο, μηδ' ὀλόλυζε·*
> *οὐκ ὁσίη, κταμένοισιν ἔπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.*
> *τούσδε δὲ μοῖρ' ἐδάμασσε θεῶν καὶ σχέτλια ἔργα·*
> *οὔτινα γὰρ τιέσκον ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,*
> *οὐ κακὸν, οὐδὲ μὲν ἐσθλὸν, ὅτις σφέας εἰσαφίκοιτο·*
> *τῷ καὶ ἀτασθαλίῃσιν ἀείκεα ποτμὸν ἐπέσπον·*

Non sunt hæc, mihi credite, ultricis amentiæ; non ad cœcum furorem pertinent; immo dignissima sunt.

[h] Od. xxii. 407.

quæ cœlitus mandata perferat læsæ Deorum majestatis vindex. Itaque non Homero sed sæculo tribuamus oportet cruciatus nimis horrendos et acerbos: Poetam ipsum liberrime admiremur, quod is rem atrocem sancte temperaverit, tanquam coram Deo gesta sint omnia.

Est etiam sub ipso fine Odysseiæ, quod fortasse alicui fastidium afferat, quod historiæ filo in longius deducto quam res ipsa facile ferre videatur, laborat aliquando ac tardatur fabula: copiosius videlicet enarrantur tumultus Ithacensium, Laertis vetuli fortitudo, pax conciliata Minervæ arbitrio.

Veruntamen qui his offenditur, is necesse est parum videat in Homerici consilii summa. Non enim conjurati tantum erant plectendi, sed et plebis habenda ratio, cum procis dignissime trucidatis (qui mos est vulgo) sentire incipientium: sed et documentum in posteros edendum, nequis ex partibus istiusmodi hominum ulla in republica stare auderet. Jam animadvertite, quo consilio nodum istum explicaverit Poeta. Recedit paulisper ab urbe Ulysses, tum ut requiem spatiumque concedat Ithacensium furori, cognatis peremptis, tum ut patrem revisat ætate ac curis affectum. Illis ad ultionem sese accingentibus occurrit primo Medon, testis idoneus, non sine numine cum iis actum fuisse.

κέκλυτε δὴ νῦν μευ Ἰθακήσιοι· οὐ γὰρ Ὀδυσσεὺς
ἀθανάτων ἀέκητι θεῶν τάδε μήσατο ἔργα·
αὐτὸς ἐγὼν εἶδον θεὸν ἄμβροτον, ὅς ῥ' Ὀδυσῆι
ἐγγύθεν ἑστήκει, καὶ Μέντορι πάντα ἐώκει.
ἀθάνατος δὲ θεὸς τότε μὲν προπάροιθ' Ὀδυσῆος
φαίνετο θαρσύνων, τότε δὲ μνηστῆρας ὀρίνων
θῦνε κατὰ μέγαρον· τοὶ δ' ἀγχιστῖνοι ἔπιπτον.

[i] Od. xxiv. 443.

Qui autem eorum, spreto admonitu, petere sunt ausi casam Laertis, hos uno teli jactu, Minerva hortante, vertit in fugam senex, cæso scilicet Antinoi patre, qui primus ad arma vulgus concitarat. Deinde universam regis et populi litem eadem Minerva gravissime componit, adhibitis portentis, quæ Jovem Optimum Maximum non longe abesse demonstrent[k].

καὶ νύ κε δὴ πάντας τ' ὄλεσαν καὶ ἔθηκαν ἀνόστους,
εἰ μὴ Ἀθηναίη, κούρη Διὸς αἰγιόχοιο,
ἤῦσεν φωνῇ, κατὰ δ' ἔσχεθε λαὸν ἅπαντα·
ἴσχεσθε πτολέμου, Ἰθακήσιοι, ἀργαλέοιο,
ὥς κεν ἀναιμωτί γε διακρινθεῖτε τάχιστα.
ὡς φάτ' Ἀθηναίη· τοὺς δὲ χλωρὸν δέος εἷλεν·
τῶν δ' ἄρα δεισάντων ἐκ χειρῶν ἔπτατο τεύχεα·
πάντα δ' ἐπὶ χθονὶ πίπτε, θεᾶς ὅπα φωνησάσης·
πρὸς δὲ πόλιν τρωπῶντο, λιλαιόμενοι βιότοιο·
σμερδαλέον δ' ἐβόησε πολύτλας δῖος Ὀδυσσεύς,
οἵμησεν δὲ ἀλείς, ὥστ' αἴετος ὑψιπετήεις.
καὶ τότε δὴ Κρονίδης ἀφίει ψολόεντα κεραυνόν,
κὰδ' δ' ἔπεσε πρόσθε Γλαυκώπιδος ὀβριμοπάτρης.
δή τοτ' Ὀδυσσῆα προσέφη γλαύκωπις Ἀθήνη.
Διογένες λαερτίαδη, πολυμήχαν' Ὀδύσσευ,
ἴσχεο, παῦε δὲ νεῖκος ὁμοιΐου πολέμοιο·
μήπως τοι Κρονίδης κεχολώσεται εὐρυόπα Ζεύς.
ὡς φάτ' Ἀθηναίη· ὁ δ' ἐπείθετο, χαῖρε δὲ θυμῷ.
ὅρκια δ' αὖ κατόπισθε μετ' ἀμφοτέροισιν ἔθηκεν
Πάλλας Ἀθηναίη, κούρη Διὸς αἰγιόχοιο,
Μέντορι εἰδομένη, ἠμὲν δέμας, ἠδὲ καὶ αὐδήν.

Ea majestate res agitur, ut fortasse nonnemini legenti in mentem revocet sanctissimam illam summi sacerdotis personam, pestem avertentis ab impia Judæorum plebe, atque in intervallo stantis vivorum corporum et mortuorum[l]. Videtis vero clausulam illam minus commode potuisse omitti, siquidem in turbis illis domesticis implicata erat causa maximarum in republica nationum: siquidem

[k] Od. xxiv. 528.

[l] Num. xvi. sub fin.

etiam reliqui Ithacenses rei quodammodo tenebantur offensæ violatæque regiæ domus.

Quare qui velit Odysseiam nominare ex proposito operis universi, videndum an is non male sacrosanctum nominet carmen, quippe cujus tota vis ac series ex una Deorum religione pendere videatur.

Venio nunc ad rationes modosque, quorum ope ad finem illum, quasi ad portum aliquem, perveniatur. Quo in loco illud nemini non erit in promptu; nulla unquam carminis hujus parte non adesse præsentissimum Numen; omnia non tam per Ulyssem et Telemachum quam per Minervam geri; ejus veluti tutelæ committi vel ab initio Ulyssem cum suis; neque ulla in parte operis ulla religione teneri Scriptorem, quin illam inducat de rebus eorum solicitam, interdum, si fors ita tulerit, plane leviusculis.

Equidem quoties Odysseiam relego, mecum, fateor, soleo mirari, quonam Poeseos fato acciderit, ut tot doctorum virorum sæcula tam facile juraverint in Horatianum illud,

> Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
> Inciderit:

præsertim cum eorundem judicio non aliunde petenda sint carminum fingendorum præcepta, quam ab ipsis magnorum poetarum carminibus. Ac scire velim, quanam ex parte Homericorum se hausisse credant nobile illud *ἀπόφθεγμα*. Video certe in Odysseia Minervam Ulyssi semper addi, minimarum quoque rerum ministram et adjutricem. Hinc illa toties repetita de Penelope, somnis leniente curas[m],

> *ἐς δ' ὑπερῷ' ἀναβᾶσα σὺν ἀμφιπόλοισι γυναιξίν*
> *κλαῖεν ἔπειτ' Ὀδυσῆα φίλον πόσιν, ὄφρα οἱ ὕπνον*
> *ἡδὺν ἐπὶ βλεφάροισι βάλε γλαυκῶπις Ἀθήνη.*

[m] Od. i. 362; xix. 602; xxi. 356; &c.

Hinc eadem Telemacho in navem ituro omnes exsequitur alacris nuntii partes[n].

> *ἔνθ' αὖτ' ἀλλ' ἐνόησε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη·*
> *Τηλεμάχῳ δ' εἰκυῖα κατὰ πτόλιν ὤχετο πάντη,*
> *καί ῥα ἑκάστῳ φωτὶ παρισταμένη φάτο μῦθον·*
> *ἐσπερίους δ' ἐπὶ νῆα θοὴν ἀγέρεσθαι ἀνώγει.*
> *ἡ δ' αὖτε Φρονίοιο Νοήμονα φαίδιμον υἱὸν*
> *ἤτεε νῆα θοήν· ὁ δέ οἱ πρόφρων ὑπέδεκτο.*
> *δύσετό τ' ἠέλιος, σκιόωντό τε πᾶσαι ἀγυιαί.*
> *καὶ τότε νῆα θοὴν ἅλαδ' εἵρυσε, πάντα δ' ἐν αὐτῇ*
> *ὅπλ' ἐτίθει, τά τε νῆες ἐῢσσελμοι φορέουσιν,*
> *στῆσε δ' ἐπ' ἐσχατιῇ λιμένος, περὶ δ' ἐσθλοὶ ἑταῖροι*
> *ἀθρόοι ἠγερέθοντο· θεὰ δ' ὤτρυνεν ἕκαστον.*

Quin et ejus quasi tactu fit, ut quos ea caros habet, hi pulchriores identidem evadant, et grandiores multo quam fuerant antea. Quo in genere pulcherrima sunt de Laerte[o]:

> *τόφρα δὲ Λαέρτην μεγαλήτορα ᾧ ἐνὶ οἴκῳ*
> *ἀμφίπολος Σικελὴ λοῦσεν καὶ χρῖσεν ἐλαίῳ,*
> *ἀμφὶ δ' ἄρα χλαῖναν καλὴν βάλεν· αὐτὰρ Ἀθήνη*
> *ἄγχι παρισταμένη μέλε' ἤλδανε ποιμένι λαῶν,*
> *μείζονα δ' ἠὲ πάρος, καὶ πάσσονα θῆκεν ἰδέσθαι.*
> *ἐκ δ' ἀσαμίνθου βῆ· θαύμαζε δέ μιν φίλος υἱὸς,*
> *ὡς ἴδεν ἀθανάτοισι θεοῖς ἐναλίγκιον ἄντην.*

Suavissimum se præstat, ut semper, in senectute ornanda Homerus, velut qui in deliciis suis lubens moretur, opere jam in finem vergente.

Quod si quis Horatianorum dicat, istis quæ modo attuli non deesse nodum vindice Deo dignissimum, obsessa per inimicos Laertis domo; at quid leviculis istis faciet, Minerva nunc pastoris, nunc nuntii, nunc præconis officium gerente, nunc puellulæ urnam portantis? Cur de cœlo descendit Jovi proxima, nunc ad viam monstrandam, nunc ad cives convo-

[n] Od. ii. 382. [o] xxiv. 365.

candos, nunc ne desit quæ quærat in specu latebras, ubi satis tuto condantur Ulyssis opes? Atque etiam quodam in loco nihil se indignum admittere putat, quod terminos notet disci, ab Ulysse forte jacti, ipsumque proclamet longo intervallo victorem [p].

> *τόν ῥα περιστρέψας ἦκε στιβαρῆς ἀπὸ χειρός·*
> *βόμβησεν δὲ λίθος· κατὰ δ' ἔπτηξαν ποτὶ γαίῃ*
> *Φαίηκες δολιχήρετμοι, ναυσίκλυτοι ἄνδρες,*
> *λᾶος ὑπὸ ῥιπῆς· ὁ δ' ὑπέρπτατο σήματα πάντα*
> *ῥίμφα θέων ἀπὸ χειρός· ἔθηκε δὲ τέρματ' Ἀθήνη*
> *ἀνδρὶ δέμας εἰκυῖα· ἔπος τ' ἔφατ', ἐκ τ' ὀνόμαζεν·*
> *καί κ' ἀλαός τοι, ξεῖνε, διακρίνειε τὸ σῆμα*
> *ἀμφαφόων· ἐπεὶ οὔτι μεμιγμένον ἐστὶν ὁμίλῳ,*
> *ἀλλὰ πολὺ πρῶτον· σὺ δὲ θάρσει, τόνδε γ' ἄεθλον·*
> *οὔτις Φαιήκων τόνγ' ἵξεται, οὐδ' ὑπερήσει.*
> *ὣς φάτο· γήθησεν δὲ πολύτλας δῖος Ὀδυσσεύς,*
> *χαίρων οὐνεχ' ἑταῖρον ἐνηέα λεῦσσ' ἐν ἀγῶνι.*

Alacrem profecto præ se fert et arrectum erga Deos immortales animum: quique constantissime teneat, coram iis vel minimam quamque rem agi: quod siquis eos bene placatos effecerit pietate sua et sanctitate, prospecturos eos ejus commodo, etiam in exiguis et communibus vitæ negotiis: tum, quod instar omnium est, prodere se præsentes aliquando fortibus atque bonis viris, per indicia minuta illa quidem, sed tamen ipsis minime obscura.

Quocirca, si Homerum audiemus, vel ad Epicureos hortos relegandum erit dictum illud Horatii, voluptarii scilicet viri et divina spernentis; vel certe ita tenendum, ut nihil absque Diis agi putetur, ipsis quidem ut plurimum tacentibus, et quasi per transennam modo visis. Nolim forte quadam, rebus involutis, superveniat Jupiter aliquis aut Hercules: idem si totius fabulæ decursu sensum quendam sui præbeat, tanquam non procul absit a negotiis ho-

[p] Od. viii. 189.

minum, nihil erit, quod incredulus oderim. Præterea, non de carminibus modo, sed et de scena loquitur Horatius, quam siquis importunius occupaverit Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, ipsorum etiam oculorum judicio fit tum molesta res, tum in cœleste numen inverecunda.

Ad universum, Deos quod attinet Homericos, opus erat Scriptori solertia non modica, summo pudore et rerum sacrarum reverentia, ut nosceret, ubi quisque promendus esset in lucem atque in mortalium oculos; ubi subtiliter quodammodo monstrandus uni atque alteri eorum, quos ipse carissimos haberet; ubi denique nubibus et sacro celandus horrore. Misere vagetur necesse erit, quicunque Poetarum versabitur in ista regione, non prius in omni vita rerum divinarum ratione habita. Parum videbit in Diis suis poeticis, qui neglexerit quibus consiliis benigni Numinis contineatur cursus fortunarum ac vitæ suæ.

Verum ut penitius quid velim prospiciatur, libet proferre quædam ex Odyssea, qualia profecto nunquam scripsisset Homerus, ni esset circa religiones maxime pudibundus, cauteque ac timide nominaret Deorum nomina. Exemplum primum ponimus in eo genere, quo celant se Dii tutelares, etiam ab iis, quorum utilitatibus inserviunt[q].

> Ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ἐπὶ νῆα θοὴν καὶ θῖνα θάλασσης
> ἤομεν ἀχνύμενοι, θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέοντες,
> τόφρα δ' ἄρ' οἰχομένη Κίρκη παρὰ νηῒ μελαίνῃ
> ἀρνειὸν κατέδησεν ὄϊν, θῆλύν τε μέλαιναν,
> ῥεῖα παρεξελθοῦσα· τίς ἂν θεὸν οὐκ ἐθέλοντα
> ὀφθαλμοῖσιν ἴδοιτ', ἢ ἔνθ' ἢ ἔνθα κιόντα;

Ita plane loquitur, tanquam eant redeantque sub silentio tutores hominum Genii, multa afferant,

[q] Od. x. 569.

multa avertant, non pauca in melius mutent: homunculis interea Fortunæ accepta referentibus. Atque his sæpissime utitur Odysseiæ auctor. Crediderim, indignum visum ei vulgus hominum, cui se cognoscendas præberent ulla ex parte cælestes animæ. Horum in censum referendum erit, tum quicquid usquam legimus de variis personis, quas inducbat aliam ex alia Pallas, prout ex usu foret alumnis suis; tum etiam, quibus insomniis Penelopen, Telemachum, cæteros, curat admoneri; tum quod semel atque iterum cœlum quoque et terræ temperari videntur ejus nutu, in commodum eorum, quibus ipsa consultum velit[r].

> .....ὁ δ' ἔγρετο δῖος Ὀδυσσεὺς,
> εὖδων ἐν γαίῃ πατρωΐῃ, οὐδέ μιν ἔγνω,
> ἤδη δὴν ἀπεών· περὶ γὰρ θεὸς ἦερα χεῦεν
> Παλλὰς Ἀθηναίη, κούρη Διός.

Est ubi Solem ipsum cursu inhibeat Ulyssis gratia[s]:

> καί νύ κ' ὀδυρομένοισι φάνη ῥοδοδάκτυλος ἠὼς,
> εἰ μὴ ἄρ' ἄλλ' ἐνόησε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη.
> νύκτα μὲν ἐν περάτῃ δολιχὴν σχέθεν, ἠῶ δ' αὖτε
> ῥύσατ' ἐπ' Ὠκεανῷ χρυσόθρονον, οὐδ' ἔα ἵππους
> ζεύγνυσθ' ὠκύποδας, φάος ἀνθρώποισι φέροντας.

Adeo nunc hanc, nunc illam tangit Poeta rationem juvandi hominis, ne ex ulla prorsus parte carere se putet aliquis præsenti numine: sive ad fortuitos suorum occursus, sive ad cœli temperiem, cæterasque rerum naturalium conversiones, sive ad flexus et inclinationes animorum. Illo judice, nemini ullo tempore certum ratumque esse debuit, se non coram cernere Deorum aliquem, humana forma[t].

> Ἀντίνο', οὐ μὲν κάλ' ἔβαλες δύστηνον ἀλήτην,
> οὐλόμεν'· εἰ δή πού τις ἐπουράνιος θεός ἐστιν;

[r] Od. xiii. 187. [s] xxiii. 241. [t] xvii. 483.

καί τε θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσιν,
παντοῖοι τελέθοντες, ἐπιστρωφῶσι πόληας,
ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες.

Dormientem servabant vigiles cœlestium oculi:

.....καὶ γάρ τ' ὀνὰρ ἐκ Διός ἐστιν.

Nulli erant harum quas videmus rerum sive status sive motus, nullæ pluviæ, tempestates, tranquillitates, de quibus certo sciret aliquis, non ibi latere tutelaris sui Numinis auxilium.

Ergo cum apud vulgus hominum adessent quidem semper Homerici Dii, maximam vero partem laterent; paucis tamen eximie a se dilectis, atque adeo heroum generi, præcipuum illud ac proprium concedebant, ut interventus eorum nosceretur, si non manifeste ac palam, at certe per indicia non adeo obscura. Tetigit eam rem Alcinous, gloriosius fortasse quam verius, ubi se suosque commendat Ulyssi advenæ[s].

εἰ δέ τις ἀθανάτων γε κατ' οὐρανοῦ εἰλήλουθεν,
ἄλλο τι δὴ τόδ' ἔπειτα θεοὶ περιμηχανόωνται·
αἰεὶ γὰρ τὸ πάρος γε θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς
ἡμῖν, εὖτ' ἔρδωμεν ἀγακλειτὰς ἑκατόμβας,
δαίνυνταί τε παρ' ἄμμι καθήμενοι, ἔνθαπερ ἡμεῖς·
εἴ δ' ἄρα τις καὶ μοῦνος ἐὼν ξύμβληται ὁδίτης,
οὔτι κατακρύπτουσιν· ἐπεί σφισιν ἐγγύθεν εἰμέν,
ὥσπερ Κύκλωπές τε καὶ ἄγρια φῦλα Γιγάντων.

Multo propius ad mentem ipsius Poetæ accedit, ni fallor, Ulysses, Telemachum admonens, ne is alta loqui audeat, præsente Numine[t].

ἦ μάλα τις θεὸς ἔνδον, οἱ οὔρανον εὐρὺν ἔχουσιν.
τόνδ' ἀπαμειβόμενος προσέφη πολύμητις Ὀδυσσεύς·
σίγα, καὶ κατὰ σὸν νόον ἴσχανε, μήδ' ἐρέεινε·
αὕτη τοι δίκη ἐστὶ θεῶν, οἱ Ὄλυμπον ἔχουσιν.

[s] Od. vii. 199. [t] xix. 40.

Gravissima sane et plenissima pietatis oratio, quæque haud ambigue doceat, quanti sit in rebus religiosis ut se prudenter compescant ac coerceant homines. Quid, quod abeuntes modo Dii scintillas nescio quas ex se emicare patiuntur[11] ?

> *ἡ μὲν ἄρ' ὡς εἰποῦσ' ἀπέβη γλαυκῶπις Ἀθήνη,*
> *ὄρνις δ' ὡς ἀνοπαῖα διέπτατο· τῷ δ' ἐνὶ θυμῷ*
> *θῆκε μένος καὶ θάρσος, ὑπέμνησεν τέ ἑ πατρὸς*
> *μᾶλλον ἔτ' ἢ τὸ πάροιθεν· ὁ δὲ φρεσὶν ᾗσι νοήσας,*
> *θάμβησεν κατὰ θυμὸν, ὄΐσατο γὰρ θεὸν εἶναι.*

Uteunque clare se ostendant, cogitatione magis, quam oculis, cerni dixeris. Interdum etiam dant operam, ut sermonibus ipsi utantur ambiguis, qui miram sæpe habent divinæ majestatis significationem, postquam semel edocti sumus quid ii revera sonent.

Denique, quod cursim modo inspicientibus mirabile fortasse dictu videatur, Homerum invenio non modo non temere, sed etiam exquisito momento, dispensare quodammodo Deorum suorum opem : pieque, siquem alium, ac prudenter, ad gravissimam rem accedere. Meminit nimirum, se coram Numine de rebus Deorum loqui. Quam vellem idem sæpius meminissent et illi, qui cum carminibus laudarent verum DEUM, canere debebant non modo vera, sed et gravia, pia, pudica, reverentia omni ac religione plena.

Sed quoniam eorum qui res hominum divino imperio agi arbitrantur, alii Numen ipsum subjiciunt fatali cuidam necessitati, alii subjicere sibi dicunt omnia, virtutis et æquitatis norma ; et in hac etiam quæstione quid senserit princeps Poetarum, erit operæ pretium exquirere. Eoque magis in ea re laboran-

[11] Od. i. 319.

dum, quod nonnulli in Homericis videre se putant expressis verbis conceptam fatalis istius decreti formulam. Verbi gratia, quod ipsa dicit Minerva[x],

> ἀλλ' ἤτοι θάνατον μὲν ὁμοίϊον οὐδὲ θεοί περ
> καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλαλκέμεν, ὁππότε κεν δὴ
> μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι.

Sed viderint qui ista sunt sententia, quomodo conveniat cum ea nobile illud, jam ante laudatum, Jovis O. M. effatum, quod ille, velut oraculum adyto, præfigi voluit universo carmini[y]:

> ὦ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται·
> ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
> σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπέρμορον ἄλγε' ἔχουσιν.

Equidem non video, qua tandem ratione congruat *ὑπέρμορον* illud cum norma Stoicorum. Quid enim? Nonne aperte dicit, Ægistho fuisse in fatis alium prorsus exitum, ni ipse sua dementia in suum caput et crimen et pœnam arcessisset?

His gemella ferme sunt, atque ex altera parte respondent, Ulyssis mendici preces, quibus ille facit periculum procorum, et præsertim Amphinomi, primo an ad inopiam sublevandam satis prompta sint manu, deinde an velit tandem aliquis eorum recipere se, ut aiunt, ad bonam frugem.

> ὥς ἂν πύρνα κατὰ μνηστῆρας ἀγείροι,
> γνοίη, θ' οἵτινες εἰσιν ἐναίσιμοι, οἵ τ' ἀθέμιστοι.

Fuit, ut videtur, Minervæ in animo, vel devota servare capita, si qui præstare se velint salute non indignos: prorsus veluti miserrimus Ægisthus scelere suo attraxerat ad se exitium, præter naturam, præterque fatum. Amphinomus autem, cum cæteris sit honestior, rursus docetur quæ sit conditio vivendi.

[x] Od. iii. 237. [y] i. 32.

quantoque periculo versetur aliquis in profano isto cœtu[z].

τοῖος γὰρ νόος ἐστιν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.
καὶ γὰρ ἐγώ ποτ' ἔμελλον ἐν ἀνδράσιν ὄλβιος εἶναι,
πολλὰ δ' ἀτάσθαλ' ἔρεξα, βίῃ καὶ κάρτεϊ εἴκων,
πατρί τ' ἐμῷ πίσυνος καὶ ἐμοῖσι κασιγνήτοισιν.
τῷ μήτις ποτε πάμπαν ἀνὴρ ἀθεμίστιος εἴη,
ἀλλ' ὅγε σιγῇ δῶρα θεῶν ἔχοι, ὅ, τι διδοῖεν.
οἳ ὁρόω μνηστῆρας ἀτάσθαλα μηχανόωντας,
κτήματα κείροντας, καὶ ἀτιμάζοντας ἄκοιτιν
ἀνδρὸς, ὃν οὐκέτι φημὶ φίλων καὶ πατρίδος αἴης
δηρὸν ἀπέσσεσθαι· μάλα δὲ σχεδόν· ἀλλά σε δαίμων
οἵκαδ' ὑπεξαγάγοι, μηδ' ἀντιάσειας ἐκείνῳ.
ὅπποτε νοστήσειε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.

Gravissima sane omnium oratio, quæque tantum non ante oculos ponat misericordiam Numinis, omnia prius tentantis, quam cœcum ferri sinat amentia propria. Sed irrita cadit ejus clementia tam in Amphinomo quam in cæteris: propterea quod Amphinomus, etsi erat animo in religiones proniore, noluit se tamen ab infami caterva segregare. Immo in extremo illo certamine adjutorem se præstabat facinorosis. Ita malo pudore periit, ne scilicet partibus suis parum fidus esse diceretur.

Denique auguris Theoclymeni terribile illud effatum quid aliud, obsecro, sonat, nisi ut omni crudelitatis culpa liberet ultores seu Deos sive homines, spreto semel ejusmodi monito? Ac pauca inde iterum recitanti sit venia: nam est profecto dignissimum carmen, quo concludatur omnis hic de Homeri pietate locus[a]:

..... *Μνηστῆρσι δὲ Παλλὰς Ἀθήνη*
ἄσβεστον γέλῳ ὦρσε, παρέπλαγξεν δὲ νόημα.
οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελοίων ἀλλοτρίοισιν·
αἱμοφόρυκτα δὲ δὴ κρέα ἤσθιον· ὄσσε δ' ἄρα σφιν
δακρύοφιν πίμπλαντο· γόον δ' ὠΐετο θυμός.

[z] Od. xviii. 136. [a] xx. 345.

Obscure quodammodo inter se miscentur, ut fit, auguris visa, et fortuita quædam, quæ procis acciderant, intemperantius epulantibus.

> τοῖσι δὲ δὴ μετέειπε Θεοκλύμενος θεοειδής·
> ἆ δειλοί, τὶ κακὸν τόδε πάσχετε; νυκτὶ μὲν ὑμέων
> εἰλύαται κεφαλαί τε πρόσωπά τε, νέρθε τε γοῦνα·
> οἰμωγὴ τε δέδηε, δεδάκρυνται δὲ παρειαί·
> αἵματι δ' ἐρράδαται τοῖχοι, καλαί τε μεσόδμαι·
> εἰδώλων δὲ πλέον πρόθυρον, πλείη δὲ καὶ αὐλή,
> ἱεμένων ἐρεβόσδε ὑπὸ ζόφον· ἠέλιος δὲ
> οὐρανοῦ ἐξαπόλωλε, κακὴ δ' ἐπιδέδρομεν ἀχλύς.
> ὣς ἔφαθ'· οἱ δ' ἄρα πάντες ἐπ' αὐτῷ ἡδὺ γέλασσαν.

Sed utique omnes documento sunt, Deos, ex mente Homeri, summam habere meritorum cujusque rationem: quod si quid durius et Stoicis propius inculcaverit sequens Poetarum ætas, id nostro minime vitio verti debere.

Quin opera data, ut mihi quidem videtur, in hoc incumbit, ut liberas hominum voluntates mirifice temperet cum vi ac virtute Numinis.

PRÆLECTIO DECIMA SEXTA.

Homerum eo tempore viguisse, quo credibile sit eum maxime desiderio rerum heroicarum angi. Optimo Græcarum literarum fato evenisse, ut is potissimum cæteris omnibus specimen et exemplar ediderit. Quæritur an Poeticæ profuerit, optimum quemque primum ferme viguisse. Pauca quædam de Minoribus, qui vocantur, Poetis. Alcæum, Sappho, Archilochum, Simonidem, suo quemque genere fuisse Primarios.

ERAT in animo, si forte meministis, Academici, (quoniam nos in Homero primum, uti par erat, experiri decrevimus ecquid valeat sententia nostra de summa rei poeticæ), erat, inquam, in animo, excussis prius ipsis carminibus, deinde accedere ad historiæ monumenta, si quæ forte tradiderint veteres, quæ ad rem nostram convenirent, de vita, fortunis, indole, sacrosancti vatis. Ut ut enim jejunæ nimis atque tenues exstent, injuria temporis, illæ reliquiæ, magnopere tamen ad confirmandas hujusmodi conjecturas pertinebit, si modo bis terve rem acu tetigisse videbimur: sin minus, parum tamen infirmabitur bene ac prudenter a nobis inita ratio.

Exempli gratia: signis haud levibus freti, do-

cuimus Homerum cum milite magis gregario sentire, quam cum ducibus castrorum et optimatibus. Quis non videt, istiusmodi argumento præcipuam quandam vim addi, si forte ipsum cum gregariis unquam militasse memoriæ sit proditum? quod si nemo res ejus ita narraverit, manebit tamen argumento sua virtus, atque, ut ita dicam, probabilitas. Id modo unice cavendum, ne forte nostrorum nimii amatores, Historiam in partes nostras invitam ac reluctantem trudamus.

Igitur eorum, quæ nos videre nobis videbamur in Homericis, hæc fere summa erat: laborasse Poetam ingenti desiderio temporum quæ vocantur Heroica; quod ut expleret, scripsisse cum auguramur Iliadem florentibus annis, vergentibus Odysseiam: quarum in utraque, vel ex ipso argumenti tenore, vel ex personarum delectu, quibus præcipuæ partes darentur, vel e narrandi ac dicendi genere, vel denique ex scriptoris sententia de republica et religionibus, manifesto satis et aperte tradita, deprehendimus illum, quem modo dixi, animum. Illud tantum interest, quod in Odysseia mitigatur et quodammodo languet ferventior Iliadis et maxime Achillis impetus: tum quod hic navigantium, illic bellantium verius exprimitur indoles.

Hæc erat fere summa eorum, quæ nos conjectura non levi de carminibus ipsis deprompsimus. Nunc interrogandi auctores fide digni, ecqua ex parte vera egerimus auguria. Non equidem arbitror, laturum me in lucem aliquid, præter ea quæ viris doctis probe jam diu cognita sint et conclusa. Verum et nos cum tironibus loquimur, et non erat utcunque omittendus ille locus, ne ex integra sui parte manca foret atque incerta disputatio.

Ac primum quidem de ætate scriptoris pauca quædam præmittenda censeo: non quo putem, vexatissimæ quæstioni quidquam me allaturum novi; verum erit fortassis operæ pretium, si demonstrabo, omnes ferme de ea re doctorum virorum sententias intra eos quasi limites concludi, qui satis commode cum nostris conjungi possint et conciliari. Nam et Duris ille Samius[a], qui in longinquum maxime tempus rejecit obsidionem Troicam, et magni inter nostrates viri, qui vix centum et quadraginta annis sejungi eam volunt ab Olympiadum initio[b], discrepant illi quidem in Troicis, ita tamen, ut in Homericis non magno negotio conveniat inter eos. Sive enim annos ante Christum mille trecentum amplius cum Duride isto, sive cum Newtono nongentos modo tribuamus excidio Trojæ, ratum erit utcunque disertum Thucydidis[c] testimonium, reditum Heraclidarum octoginta modo annis ab Ilio capto sejungentis.

Quod si, Mitfordio auctore, ponere quis velit Iliadem ante Heraclidas, næ ipsum illud tempus habebis, quo maxime opus erat ad nostra confirmanda. Atque in hanc partem manu quasi ducunt temporis notæ, hic illic in carminibus ipsis sparsæ: id quod acute pro suo more docuit ille quem modo nominavi, Historiæ Græcorum apud Anglos non minimus auctor[d]. Qui profecto non levem habet conjecturæ suæ defensionem, quod vix uspiam apud Homerum reperies mentionem fieri rerum recentiorum: mutati soli, eversarum urbium, stirpium gentiumque in cladem ac ruinam actarum. Quantum autem ea

[a] Ap. S. Clem. Alex. *Strom.* i. §. 139. vid. Clinton, *Fast. Hellen.* Introd. p. vi.

[b] Vid. Mitford, *Hist. of Greece*, c. iii. App. [c] Thucyd. i. 12.

[d] Mitford, t. i. p. 169—173. 4to.

res valeat, judicari potest ex usu plurimorum Poetarum; apud quos nihil solennius, quam ut veteres inducant vaticinantes et oracula proferentes, de rebus ipsorum, qui scribunt, tempore futuris. Nobilissima sunt Æschyli atque Pindari exempla: qui quo propius Nostrum ætate ac patria attingant, eo magis miretur aliquis, penitus ferme carere eum artificio (ut ita dicam) poetico, quo illi tantopere delectabantur.

Multa præterea congessit Mitfordius, quæ minime silentio erant prætereunda, si modo cecidissent intra Homericos terminos. Eadem itaque præterita Poetam arguunt vetustiorem, quam ut eorum notitiam aliquam habeat.

Etiam ex Strabone, ni fallor, haud pauca ejusmodi colliget apertus atque acer oculus. Verbi causa: quas ille Ætoliæ urbes ab Heraclidis initium ait habuisse[e], de iis ferme solis tacetur in amplissimo Poetæ Catalogo. Jam Strabo Homerum, veluti certissimum indicem, plane se prosequi testatur[f] circa oras omnes et litora Græciæ. Quin ex Iliade et Odysseia locorum cognitionem adeo plenam erui posse censet, ut res aliquando in dubium revocandas doceat, tantum propter Homeri silentium.

Porro crediderim eodem pertinere, quæ sub initio duodecimi Iliadis libri habentur de castris et aggeribus Graiorum, plane obrutis ac deperditis.

> *ὄφρα μὲν Ἕκτωρ ζωὸς ἔην, καὶ μήνι' Ἀχιλλεύς,*
> *καὶ Πριάμοιο ἄνακτος ἀπορθητὸς πόλις ἔπλε,*
> *τόφρα δὲ καὶ μέγα τεῖχος Ἀχαιῶν ἔμπεδον ἦεν.*
> *αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μὲν Τρώων θάνον ὅσσοι ἄριστοι,....*
> *πέρθετο δὲ Πριάμοιο πόλις.....*
> *δὴ τότε μητιόωντο Ποσειδάων καὶ Ἀπόλλων*
> *τεῖχος ἀμαλδῦναι.....*

[e] Lib. x. 6. [f] E.g. i. 1; viii. 1. 1; 3. 23.

Crediderim, inquam, Homerum in hac parte narrationis suæ angi quadam solicitudine, ne forte suum illud *ἀκριβὲς* non servasse videatur in regionibus illis depingendis. Itaque vim illam æstumque fluviorum et Oceani sive fingit sive narrat, cum magno verborum strepitu, quo sit cur minime mirentur homines nullas reliquias immensi operis exstare. Qui si multis ipse sæculis fuisset a Trojano bello divisus, poterat absque ullo negotio causari ipsius temporis injuriam.

Jam vix consentaneum videtur, qui in exponendis locorum mutationibus tam religiose operam posuerit, eundem plane tacitum fore in eversionibus nobilium domorum atque in migrationibus gentium. Hujusmodi sunt ea, propter quæ visus est nonnullis Homerus viguisse prope sub Orestis tempora, exulantibus adhuc a Peloponneso Doriensibus.

Atqui, ut ingenue fatear, sunt quæ huic sententiæ non mediocriter obesse videantur. Proferre possit aliquis Ephori sententiam a Strabone recitatam, qua is rationem reddit, cur Homerus Cretam appellet nunc *ἑκατόμπολιν*, nunc *ἐνενηκοντάπολιν*. Ait scilicet, *ὕστερον ἐπικτισθῆναι τὰς δέκα φησὶ, μετὰ τὰ Τρωικὰ, ὑπὸ τῶν τῷ Ἀλθαιμένει τῷ Ἀργείῳ συνακολουθησάντων Δωριέωνς*. Appellaverit itaque Cretam Homerus ex consuetudine hic Trojanorum temporum, illic suorum. Sequitur illico, scripsisse eam post Peloponnesum a Doriensibus devictam. Nam Althæmenes ille, cujus auspiciis *ἑκατόμπολις* facta est Creta, nepos esse dicitur Temeni, ejus, quem, ejecta Pelopidarum domo, Mycenarum regem constituerunt Heraclidæ.

Urgemur præterea hinc Herodoti calculo, illinc

[s] Lib. x. 15.

Isocratis, gravissimorum sane auctorum: ex quibus Isocrates, ævo jam grandior, tradit[h], annis ferme septingentis, suo tempore, Peloponnesum a Spartanorum majoribus coli. Herodotus autem, cum sit Isocrate dimidio fere sæculo prior, ait[i] quadringentos modo annos interfuisse inter se et tempora Homeri atque Hesiodi. Ex his efficitur, Dorienses tenuisse Peloponnesum, nascente Herodoto, quinque ferme sæculis dimidio auctis; distare autem Homerum et Hesiodum a reditu Heraclidarum annis centum et quinquaginta, a Troja obsessa, ducentis et triginta.

Ac vereor equidem, an Herodotus in temporibus hisce statuendis non optimos auctores adhibuerit: nolim tamen ejus testimonium elevare, cum præsertim id non male conveniat cum calculis ab Eratosthene subductis; quibus, ut bene norunt omnes, innititur recepta Græcorum annalium series. Illud moneo; non obscure vel hoc ipso in loco eum indicasse, homines etiam tunc temporis incertos fuisse de ætate summi Poetæ. Ita enim ille: *Ἡσίοδον καὶ Ὅμηρον ἡλικίην τετρακοσίοισι ἔτεσι δοκέω μευ πρεσβυτέρους γενέσθαι, καὶ οὐ πλέοσι.* Omnino intelligas non omnibus idem videri: quo facilior nobis sit venia, in alteram partem, si res ita tulerit, discedentibus. Eo autem tenus ab Herodoto discedendum arbitror, ut sub ipsis potius Heraclidis Homerum viguisse existimem, quo tempore coloniæ passim deducebantur, ubi jam facta fuerat *ἑκατόμπολις* Creta. Videlicet, æstuantibus etiamnum animis, intelligo Heraclidarum mentionem potuisse omitti. Cætera omnia satis bene quadrant.

Ad summam, ut id quod res est dicam, non erit a

[h] *Panathenaic.* c. 32. cf. Clinton, *Fast. Hellen.* Introd. v. [i] ii. 53.

nobis in hoc argumento magnopere laborandum. Fuerit Homerus, juxta Herodotum, uno alteroque sæculo posterior Troicis; fueritne, sicut conjiciat aliquis ex ipsius carminum tenore, Heraclidarum æqualis, vel etiam iis anterior: vixisse eum satis constat inter ipsas ævi Trojani reliquias, quo tempore forma ac facie manebant jura ac religiones heroum, tantum non evanuerat virtus ipsorum atque anima. Fieri itaque potuit, ut ævi istius magno quodam desiderio percitus, carmine saltem laudes ejus, suaque studia in longum propagaret. En vobis initium atque *ἀφορμὴ*, (ut ita dicam) divini utriusque Poematis.

Hactenus de Homeri tempore. Pauperiem ejus, cæcitatem, errores, maxime circum oras Ægæi et Ionici maris, testantur quæ pauca veluti fragmina popularium de eo rumorum servavit nobis vel Pausanias vel auctor ipsius vitæ sub Herodoti nomine. Insignis est ejus apud Pausaniam laus, propterea quod, multorum dissimilis, noluerit regali patrono uti. Postquam enim bene multos nominaverat, qui singuli cum principibus viris vixerunt, Ἡσίοδος, inquit[k], *καὶ Ὅμηρος ἢ συγγενέσθαι βασιλεῦσιν ἠτύχησαν ἢ καὶ ἑκόντες ὠλιγώρησαν· ὁ μὲν ἀγροίκια καὶ ὄκνῳ πλάνης· Ὅμηρος δὲ ἀποδημήσας ἐπὶ μακρότατον, καὶ τὴν ὠφελείαν τῶν χρημάτων παρὰ τῶν δυνατῶν, ὑστέραν θέμενος τῆς παρὰ τοῖς πολλοῖς δόξης· ἔπει καὶ Ὁμηρῷ πεποιημένα ἐστιν, Ἀλκινόῳ παρεῖναι Δημοδόκον, καὶ ὡς Ἀγαμέμνων παραλείποι τινα παρὰ τῇ γυναικὶ ποιήτην.* Habetis egregium, ni fallor, documentum, non dico Homericæ indolis, sed ejus certe opinionis, quæ de Homeri vita ac moribus percrebuit apud populares suos. Judicent periti, an *ἦθος* ejusdemmodi sapiant ii præ-

[k] *Attic.* c. 2. p. 6. ed. Kuhn. 1696.

sertim Odysseiæ libri, quibus tacite quodammodo conferuntur inter se procorum et Eumæi hospitia.

Ex his omnibus effici videtur, ut in re pervetusta atque in magna auctorum penuria, minime contemnenda Historiæ consensio cum iis quæ ex libris ipsius augurio probabili poterit quis eruere. Eo alacrius pergendum erit ad cæteros, quicunque Graiorum post Homerum eximie floruerunt primariæ Poeseos gloria. Est autem quod in ipso limine occurrat, ac dubitationem quandam non levem nobis incutere videatur. Suspicantur videlicet, minus feliciter actum iri cum vera Poesi, si qua forte in regione, qui princeps eam artem coleret, is primas quoque omnium judicio tulerit, ita ut nihil prorsus simile aut secundum sibi habeat. Itaque cum Homerus unus omnium, qui usquam ullo tempore Musarum opus sint auspicati, plenissima auctoritate regnaverit apud suos, negant facile fieri potuisse, ut quisquam eorum evaderet germanus Poeta. Etenim in ejus vestigiis, fato quodam, omnes insistere.

Atque illud quidem nemo negaverit, altissime quodammodo insedisse in Græcis literis, atque adeo in literis omnium gentium, quæ priscam illam humanitatem vel leviter sapiant, Homericæ poeseos æmulum quendam amorem. Multis autem ego rationibus adducor, ut firmissime credam, majestatem illam Homeri prope regiam adeo non nocuisse libertati poeticæ, ut eam unice adjuverit atque auxerit.

Quod quo melius intelligatur, considerate, quæso, mecum paulisper, Academici, quot viis in animos suorum insinuare se debuerit Homerica Poesis, quam altas radices egerit. Nolite putare, occupasse eum, quasi jure suo, discipulorum modo cathedras, quo

more solent, qui singulis ferme annis apud nos produnt canori homines, popularis auræ captatores. Immo vero, uti tunc temporis habebant se res Hellenicæ, nulla prorsus vitæ pars erat, seu domi sive militiæ, nullum neque publicum neque privatum officium, quo non pertinuerint statim Homeri carmina, verum vivumque istius sæculi exemplar; modo colore quodam imbutum, qualis esse solet exuviarum labentis ævi, vel ipsa mœstitia ac desiderio gratiorum. Quid multa? respondebant Homerica rebus atque animis æqualium suorum, plane sicut hodie respondent cantilenæ nauticæ nautarum rebus, animisque: eundemque illico sibi locum apud populares vindicavit *ὁ Ποιήτης*, quam apud nos Shaksperus noster, Anglorum *κατ' ἐξοχὴν* vates jure nominatus.

Eundem dico? immo vero familiarem magis, propiusque ad aras focosque accedentem: maxime propter Deorum religiones, quibuscum arctissime conjuncta erat semper, uti nostis, Homericorum memoria. Atque hic nemini non, puto, occurret Herodoteum istud, de Hesiodo et Homero[1]: *Οὗτοι δέ εἰσι οἱ ποιησάντες θεογονίην Ἕλλησι, καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες, καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διέλοντες, καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες.*

Quod utique, ut plerique interpretes, non ita judicamus accipiendum, quasi ex Ægypto atque ex Asia tum primum deduxerint illi coloniam quandam novorum numinum: verum sic statuimus, principes eos in ordinem redegisse, versibus ac memoriæ commendasse, vaga prius atque incerta atque in ore hominum fluitantia de Diis suis commenta: suis carminibus reddidisse rationem eorum, quæ in oculos hominum nullo non tempore incurrebant, ludorum dico, sacri-

[1] ii. 53.

ficiorum, festorum dierum: quo nihil jucundius aures ferire potuit, rudes quidem illas, sed religionum plenissimas.

Itaque, ut cætera taceam, quibus is egregie comparatus erat ad deleniendos Graiorum animos; vel quoniam ipse, quantus quantus, nihil erat nisi Graiorum alumnus, neque usquam longe vagatur a patriæ limitibus: vel quoniam ubique tangit res etiam vulgo non penitus ignotas, locorum, urbium, domorum ingenuarum vices, opera nautarum, agricolarum, militantium, simpliciter ad veritatem expressa:—verum ut ista missa faciam, ex sola religionum vi augurarer, fore Homerum brevissimo tempore in manibus omnium qui Græce scirent, non solum propter excellentem poeseos laudem, verum etiam quod obviam se offerebat ejus memoria, ut familiarissimi cujusdam et intimi, quoquo ferme aut oculos aut cogitationes suas verterent. Immo crediderim umbram quandam ejus, quasi tutelaris cujusdam Genii, ad latus eorum adhæsisse: ut ipse venerandus omnibus et sanctus evaserit, cujus nomen cum re quaque sanctissima tam arcte conjunctum esset.

Porro, rem ita se habuisse, testatur universa plane Græcorum antiquitas. Ut pauca de multis delibem; Poetas omnes a nomine summi Poetæ Ὁμηρίδας appellatos fuisse a Pindaro docemur: contra, ipse Homerus, misso nomine proprio, dicitur plerumque ὁ Ποιήτης, non proximis modo sæculis, sed et per omne tempus Græcarum literarum. Notiores sunt, quam ut enarrando aures vestras hodie fatigem, historiolæ de septem urbibus Asiæ, Homerum acerrime suum vindicantibus, in Tiberii usque ætatem. Quæ disceptatio etsi tunc temporis ad inanem modo gloriam pertinuerit, credibile est ejus principia non

longe abfuisse a sacrosancta religione. Nam quæ civitas vere ac proprie sibi assumere poterat Homerum, habitura erat jure suo templum ejus, altaria, ceremonias; proinde futura erat et ipsa sacrosancta, *νεωκόρος* quodammodo et antistes ejus, jam in Divorum numerum relati. Quid, quod carmina ejus non semel usurpari legimus, ubi de finibus erat controversia, tanquam ex tripode judicium proferentis? ut inter alia divina illud etiam Homeri sit proprium, quod oracula loqui noverit.

Videtis aliam esse gloriolam, qua inter ludos literarios imitatorum catervæ magnos viros prosequuntur; alium longe cultum illum, quo suum Homerum universa prosequebatur Græcia. Non minus inter se distant, ac si fingamus alteri generosum in venas transfundi sanguinem, alteri in faciem modo colorem cutis putidius illini. Concesso itaque, a magno quoque Poeta semper fore civibus periculum aliquod, ne in imitationem ejus indignam et nimiam abeant posteri; constat tamen, id in Homericis eo minus metuendum esse, quo illum opinio quædam sanctitatis supra omne non dico scriptorum sed et hominum genus extulerit.

Præterea quærendum, an sapor ille Homericus infecerit solutam recentioris Græciæ orationem, altius fortasse, quam ipsos Poetas. Ex quo efficietur, animi non moris causa finxisse se ad illud exemplar homines: tum, quod verissimum est, Graiorum ingenium nescio quomodo *ἀντιστρόφον* esse Homerici styli, et cum eo mirifice consentire. Jam ut cæteros taceam, habemus Herodotum, habemus Platonem; quorum alter Homerum refert non lingua tantum Ionica, et simplicitate illa *ἀρχαιοτρόπῳ*, sed et universo genere narrandi, et maxime omnium propter

quasdam sententias, de vita caduca, rerumque mortalium ægritudine, quas ille mira dulcedine narrationibus suis intertexi curavit. Platonem autem expressis verbis haberi volunt Philosophorum Ὁμηρικώτατον: omnino juxta illud Horatii,

> Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
> Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.

Igitur, quod ad Homerum et ad Græcos attinet, nihil sane invenio, cur putem minus feliciter evenisse, quod qui primus operam dederit poeticæ, is in lucem protulerit exemplar omnibus numeris absolutum. Nisi forte propter Homerum degeneraverunt viri eximii, Plato, Herodotus, Pindarus, Æschylus, cæteri; quorum unusquisque quantum Homero debeat in promptu est videre.

"At enim singularis fortasse erat Græcorum et Homeri causa." Istam, si placet, quæstionem altius paullo investigemus. Rationes ex ipsa re ducantur, quare, subductis bene calculis, lucro deputari debeant ubique, et in omne tempus, splendida illa Musarum apud quosque primordia. Ac nolim profecto suspicemini, frigidam tantummodo ac jejunam θέσιν hoc loco a nobis tractari. Multum, mihi credite, veræ Poeseos interest, diligenter ac scite poni limites imitandi: quæ res eo facilior erit, quo subtilius cernat aliquis mirabile illud magnorum ingeniorum quasi commercium et communionem, rectiusque intelligat, quorsum cuique liceat alienis uti ut suis. Quapropter in hac causa venia sit paulisper consistenti et commoranti.

Volo autem planissime intelligatur quæ sit ipsius causæ summa. Quærimus videlicet de vera et germana Poesi, an e re ejus sit, ut in unaquaque regione exstet, qui tanquam in choro ductor omnium assensu

primus et solus regnet. Ubi probe tenendum est, qualem nos intelligere solemus veram et germanam Poesin. Scilicet hujus nominis honorem tribuimus eis tantum scriptoribus, qui instinctu quodam animorum quasi ferventes aguntur in carmina; qui sibi quodammodo requiem et spatium quærunt. Eo itaque redit a nobis proposita quæstio, ut disceptandum sit, utrumne homines, præsertim adolescentes, pleno ac ferventi ingenio, facilius prorupturi sint in carmina, extante in manibus divino quodam exemplare.

Afferri poterunt rationes sane probabiles, cur id negandum esse videatur. Primo, occurrit decantatum illud[g],

> Ἆ μάκαρ ὅστις ἔην, κεῖνον χρόνον ἴδρις ἀοιδῶν,
> μουσάων θεράπων, ὅτ' ἀκείρατος ἦν ἔτι λείμων·
> νῦν δ' ὅτε πάντα δέδασται, ἔχουσι δὲ πείρατα τέχναι,
> ὕστερῳ αὖτε δρόμῳ καταλειπόμεθ', οὐδέ τι γ' ἔσται
> πάντη παπταίνοντα νεοζυγὲς ἅρμα πελάσσαι.

Multos fore putandum est omni loco ac tempore, qui postquam carmina fingere cœperint, visis semel magnorum virorum reliquiis, vel actum se agere intelligent, vel certe operam et oleum perdituros. Hac ratione, propter unum Homerum pauciores fuerint apud Græcos Poetæ.

Deinde, quod omnium molestissimum, deterrentur fortasse facilius ingeniosi viri, quam hebetes prorsus et inepti. Prout enim quisque auribus acutius audit, eo plerumque ægrius ad canendum inducitur, experta semel in cantore aliquo eximio suavi illavocum varietate. Rudes ac stolidi facile sibi placent.

Atque illud quidem vereor ut audeam negare, ubi-

[g] Chœrilus ap. Aristot. *Rhet.* 3. 14. 1.

cunque gentium unus primariorum extiterit, brevi fore, ut ibidem noscatur luxuriosa prave imitantium seges. Quod autem metuat aliquis, eandem ob causam multos ad silentium redigi, qui feliciter ad carmina pangenda alias aggressuri essent, id etsi specie veri non careat, invenietur vix rationi consentaneum. Poetam enim hodierna disputatione appellamus, non qui magno populi plausu versus suos in lucem edat, sed qui magno sui solatio domi sedens numeros et verba meditetur. Tales autem qui sint, quanquam inviti et recusantes sinant scripta sua in manus venire, nescio equidem cur stylo utantur segniore, quod scilicet inciderint in vatem aliquem egregium, atque adeo sibi magis suæ mediocritatis facti sint conscii. Immo videre mihi videor rationes minime contemnendas, cur alacriores ad scribendum fiant, postquam conspexerint in opere quodam immortali, quid possit nativæ Poeseos quasi de cœlo delata vis.

Primo, tanquam ignis igne, ita ferme poetæ accensus animus alius poetæ quasi contactu fovetur. Timidi ac pudibundi homines, qui antea sibi etiam ipsis vix et ne vix quidem confessi erant animorum suorum sensus, non dubitant arcana ista communicare quodammodo cum scriptore semel adamato; amicorum loco habent carmina cum mentibus suis et affectibus eximie congruentia: ita paulatim audaciores facti, sui quoque faciunt periculum; discunt cantando viam lenire; denique et ipsi, quales quales, evadunt poetæ. Quis scit an hic et ubique habeat eximius quisque vates suum quendam discipulorum gregem, qui veluti scintillam ab eo emissam tacite ac latenter foveant, eoque cariorem habeant, quo abditam magis? Itaque omni loco ac tempore fiet exspectatione major eorum numerus.

qui legitimis poetarum ordinibus erunt adscribendi: qui facile ferant sua carmina secum emori, modo viventibus et canere licuerit, et aures hominum canendo fallere.

Neque vero in his rebus sua vi prorsus carebit illa fax ingeniorum, magnorum operum altrix, Æmulatio. Erunt, credo, unus et alter, magno et fervido ingenio viri, quos adeo non frigore feriet eximia priscorum exemplarium pulchritudo, ut stylum eorum magis magisque acuat, ipsaque magnitudine operis spem confirmet. Erunt quidem rarissimi, sed erunt tamen. Neque enim solis id accidit bellicæ gloriæ amatoribus, ut parta a Miltiade tropæa Themistoclem non sinant dormire. Neque ad libros et ad hæc Musarum dona non pertinebit, quale referunt effatum excidisse principi omnium Pictori, qui cum esset Architectura quoque nobilis, Romæ, contemplans cameram templi alicujus de vetustioribus, "Bene," inquit; "at quid si aliquando videbitis fornicem istum, meo opere, medio ferme aëre suspendi?" Id quod eundem mirifice præstitisse testantur, ut aiunt, laquearia S. Petri. Itaque non erat inanis illa jactatio, sed fortis et honesta vox magnifice de se, neque tamen perperam, sentientis. Par est, ut in re quoque poetica tale aliquid interdum putemus evenire. Quod quoties accidet, tot edentur exempla, quibus intelligatur, quanto cum bono Poeseos extiterint adeo præclara ejus initia.

Porro quanti id fore existimatis, ut pleno quasi animo laborantibus præsto sint verba, voces, numeri, quorum ope sese expediant ex æstu illo cogitationum et phantasiæ! Sæpissime, credo, anguntur ingeniosi homines, quod cum intus habeant gravissimas fortasse res et Musis dignissimas, hæreant

lingua; immo ne mente quidem ea quæ sentiant in ordinem redigere valeant. Qui postquam semel legendo edidicerunt, quæ sint consilia, quæ artes legitimæ Poeseos, statim levari se onere odioso gestiunt, magnamque alacritatem sibi ad scribendum addi. His splendidioris cujusque poetæ liber erit vel armamentarii loco, vel, si malit aliquis, ludi militaris: quo scilicet accedant rudiores, non tam materiæ sumendæ gratia, quam penitus sese tentandi, ne vox immobilis et rigida rapidis animorum flexibus male respondeat. Rem jam antea sibi providerant; nunc formam ediscunt et ordinem, magno sane vetustiorum auctorum beneficio.

Triplici ergo compensari videtis bono, si quam injuriam poeticæ rei apud veteres Græcos intulerit maturior atque absolutior unius præstantia: principio, quod primariorum lectio, dulcissima quadam *συμπαθεία*, non tam excudat quam eliciat abstrusos quasi venis quorundam ignes, præsertim eorum, qui animo sunt teneriore: deinde, quod stabiles et robustos etiam ad scribendum incitet: postremo, quod inexpertos sensim doceat verbis numerisque concludere sensus animi: ut, quemadmodum canere nesciens, turba atque impetu canentium aliquando abreptus, sentit quid sua vox vere possit, ita qui prius sibi erant visi ab omnibus Musis alienissimi, postquam familiares facti sunt egregio vati, ultro se ferri patiantur cursu ejus et numerorum flumine.

"At enim, quos non absterrebit admiranda priorum vatum excellentia, eos tamen eadem aliter fortasse impediet, ne inter primarios locum sibi mereant. Videlicet fieri potest, ut in unum quendam de numero isto egregio defixam adeo teneat quis mentem atque animum, ut ne clausulam quidem, nedum

sententiam, expromere audeat, quæ non accuratissime formetur ad exemplar ejus ac modulum. Vel etiam, id quod multo fit sæpius, sponte atque inscii, cum amore quodam, quos diligimus, imitamur. Plane sicut evenire videmus in consuetudine vitæ communis; ut quos valde amant homines, quorumque convictu libentissime fruuntur, eorum ultro referant imaginem vel ipso gestu, statione, incessu. In quo diligentius cavendum, ne in satietatem usque progrediatur, atque in oculos omnium moleste nimis incurrat imitatio: quæ res existimationem boni quoque viri ac sapientis plus æquo minuere solet. Idem vero in re poetica primo lectoribus odiosum, deinde non facile committitur absque detrimento tum famæ, tum etiam ingenii scribentis. Is, ut uno verbo dicam, de gradu suo dejicitur; quique alias haud infeliciter primas sibi partes esset arrogaturus, verendum ne hac ratione desinat in imitatorem merum."

Addent fortasse, qui in hanc partem disputabunt, "hoc illud esse, quod in diversis regionibus exortæ sæpius sunt Poetarum quasi scholæ, similes earum, quæ a Philosophis nominantur; quibus nihil in eo genere deterius ne cogitari quidem possit: nisi forte judicemus, turbam eorum, qui aut Petrarcam inter Italos, aut e nostris Miltonum sunt insecuti, laudabile aliquid ad opes Poeseos contulisse. Quin sæpius usu venire" aiunt, "ut quæ gentes, quique homines, ad captandas similitudines sint aptissimi, ii plerumque parum de proprio habeant:" idque confirmant exemplo potissimum a Russicis literis petito: quas dicunt "fere nullas extare, propterea quod ea gens mirificam facultatem habeat ediscendi linguas, et facillime sese flectat ad omnem peregrini sermonis varietatem."

Verum enimvero hæc omnia non tam ad ipsius Poeseos interiorem vim atque animam pertinent, quam ad externam ejusdem formam faciemque. Intelligo vim intimam Poeseos, illam toties a nobis laudatam, qua quisque potis est ferventia nimis corda carminibus placare. Nihil profecto, quod sciam, vetat eam facultatem extare vel præcipuam in tali scriptore, qui nulla religione teneatur, ne proprias res alienis verbis exprimat. Itaque persæpe mutua sibi sumet verba, imagines, immo sententias totas: styli color, modulandi carminis tenor, nimis accurate sapient dilectum exemplar: non tamen deerit ingenium, non mens divinior, recteque satis primariis adnumerari poterit, etiam qui lingua non sua suos tamen sensus fervide noverit efferre. Minime negamus, deteriorem fore poetam, sed erit utcunque tamen poeta.

Unum omnium maxime cavendum erit, siquis ad æmulandum aliquem promptior sit; ne forte sibi deligat idem plane atque iste scribendi genus atque formam. Exempli gratia, qui totus est in Homericis, is, censebo, Tragœdiæ potius quam Epopœiæ se addicat. Adjuvabit nonnihil ipsa numerorum diversitas, ne inscii mittamus falcem in messem alienam, neve ad fastidium usurpemus verba, voces, clausulas, sententiarum formulas, quibus gavisus sit ille, quem cupidi sequimur.

Adhibita igitur ex hac parte diligentia, non erit cur in assidua lectione exercere se dubitet aliquis, ne scilicet in aliena nimis intentus amittat propriam ac nativam vim. Quin potius uniuscujusque studiorum non minima pars esse debebit, nosse non modo res ipsas, verum etiam de re quaque judicia atque affectus magnorum virorum. Quod si forte eveniat,

ut unus et alter eorum, qui ad meliora sint nati, desidia captus, imitatoris partes subeat: at multo plures tamen exstitisse par est, qui ne tacerent prorsus indigne, factum est per librum aliquem forte oblatum, vel etiam libri particulam. Quid? Scotorum ille princeps poetarum, qui si quis alius in poetica suæ (quod aiunt) fortunæ faber erat, nonne et ipse, puer cum esset, mire commoveri est solitus, legendis iis qui ante se flumina sylvasque egregie laudaverant? Num ergo languebat ejus vox, cum de suo canere inciperet? Quotusquisque eam viam sibi primus inveniet! inventam autem et traditam a majoribus omnes, credo, servare poterunt, qui ex ulla parte sui Poesin attingunt.

Porro non verisimile est, quam valide latentem eliciant calorem singulæ sæpe voces aut sententiolæ, sive etiam syllabarum soni, tempore suo feliciter in aures delati. Multiplicatis autem magnorum poetarum libris, pariter, ut quivis videt, multiplicantur opportunitates ejusmodi. Quid multa? quibus de causis evincat aliquis, plures fore Musarum cultores, regione jam expolita per artes ingenuas, quam cœca et immani barbarie, iisdem ferme de causis primaria Poesis, postquam in lucem et in ora hominum venerit, radices agere incipiet, et propagabitur.

Hactenus de his conjectura auguramur: nunc ad res ipsas, si placet, veniamus: ipsos interrogemus, quorum causa tamdiu agitur, Græcæ Poeseos, post Homerum, antistites. Ecquis omnium putet plures fore sive Pindaros sive Æschylos, seu quis alius nativa vi prodierit vates, modo nemo unquam inivisset viam Homerus? Incerta, fateor, erit disputatio; sed tamen inde fortasse non male capietur conjectura, quod qui maxime quoque tempore vi

ista insita pollebant et ætherio ardore, iidem plerumque Ὁμηρικώτατοι omnium fuerunt. Recolite, quæso, quos tulit Græcia poetas, brevissimo illius sæculi curriculo, sed in æternum memorando, quod a Pisistrato usque pertinet ad Ptolemæi Philadelphi tempora. Pisistratum intelligo eum, qui primus, si fides dicto, sparsa maximi Poetæ membra in unum corpus collegit, atque in suum ordinem redacta dedit in manus popularibus suis. Quo facto, exoritur illico nova rerum poeticarum facies, nova series divinorum vatum; qui ordo ab Alcæo incipiet, desinet in Apollonio Rhodio. Atque ut mittamus Sophoclem, Euripidem, cæteros, de quibus erit, uti spero, alio die disputandi locus, utrumne debeant Primariis nostris adnumerari: Pindaro certe et Æschylo nemo istam palmam negaverit; quorum uterque Homeri studiosissimus erat.

Sed campus ille latior est, quam ut in eum hoc tempore ingredi liceat. Duo modo verba addam, de Poetis, qui Minores vocantur; quæ quidem appellatio, ut opinor, ex mole non ex dignitate interpretanda est; quoniam pretiosa horum monumenta adeo nobis invidit ætas, ut vix uno atque altero versu plurimi sint hoc tempore superstites. Hos inter, ut norunt omnes, eminent præsertim splendida duo paria: Alcæus, Sappho, Archilochus, Simonides: qui omnes, excepto Simonide, res etiam metricas novaverunt, credo ut esset unde corda æstuantia plenius et melius exprimerent.

Atque Alcæo quidem vix supersunt viginti versus: quo magis miremini divinam plane vim indolemque, quæ se tam clare ac tam vehementer effuderit, spatiis tam exiguis conclusa. Duo loca proferam, felicissime congruentia cum iis quæ de isto

scriptore tradidit Horatius. Primo, tanquam udo in litore, recenti naufragio, jactatam canit navem [h].

τὸ μὲν γὰρ ἔνθεν κῦμα κυλίνδεται,
τὸ δ' ἔνθεν· ἄμμες δ' ἂν τὸ μέσσον
ναῒ φορήμεθα σὺν μελαίνᾳ,
χειμῶνι μοχθεῦντες μεγάλῳ· καλὰν
πὰρ μὲν γὰρ ἄντλος ἰστοπέδαν ἔχει,
λαῖφος δὲ πᾶν ζάδηλον ἤδη,
καὶ λακίδες μεγαλαὶ κατ' αὐτό.

Deinde ut erat feroci et libero ingenio, reprehendit vel se vel alium, pudore malo laborantem.

θέλω τιν εἰπῆν, ἄλλα με κωλύει
αἰδώς.....
αἰ δ' ἶκε σ' ἐσλῶν ἵμερος ἢ καλῶν,
καὶ μηδὲν εἰκῆ γλῶσσ' ἐκύκα κακὸν,
αἴδως κεν οὐχὶ σ' εἶχεν ὄμματ',
ἄλλ' ἔλεγες περὶ τῶ δικαίω [i].

Nescio quomodo mihi persuadeo, vel ex brevissimis hisce reliquiis colligi posse Scriptoris illius *ἦθος*, usque eo cum Homericis conveniens, ut in utroque nauticum aliquid agnoscas, idque intelligas non de longinquo sumi, sed media inter pericula edoceri, et inuri quodammodo. Quocum etiam, ni fallor, non male conspirat stabilis ille sed tamen vehementior cursus numerorum qui Alcaici nominantur; qui rapido initio paullatim se compescunt ac retrahunt, et ad clausulam vergunt prævisam, quasi constantis gubernatoris impetu. Denique si quis musicorum modus cæteris bellicosior haberi debet, ei respondere suspicor Alcaicos versus.

Porro tanquam Alcæus severioris Lyricæ, sic mollioris et magis amatoriæ parens, ut videtur, habenda est Sappho: modos autem ejus Lyricæ nunc flebiles et interruptos, nunc ludo jocoque propiores, apte satis

[h] Ap. Gaisford, *Heph.* p. 336.
[i] Ap. Arist. *Rhet.* i. 9. ix. 3; Gaisford, in *Heph.* ubi supr.

exponere videntur Sapphica quæ vocantur carmina, partim crebris ictibus et quasi singultibus effracta, partim, velut aura secunda, celeriter et æquabiliter decurrentia. Atque hæc una fortasse Graiorum putanda est minimum ab Homero didicisse. Vox Poetæ virilis et casta cum Æoliis furoribus parum concordare poterat. Testatur autem omnis antiquitas, nimis vera eam cecinisse: itaque in rebus inhonestis et miserrimis emeruit sibi utcunque primariæ nomen.

Considerate nunc alium, quem pleno pectore locutum satis confirmat unus ille versus Horatii, "Archilochum proprio rabies armavit Iambo." Illud quidem *rabies*, vereor ne durius sit dictum, siquidem conjecturam capere licet ab Archilocheis quæ supersunt. Videlicet eorum est acrior quidem sonus, is tamen, qui mitigetur tenerrimo sensu conditionis hujus vivendi, humanæque fragititatis [k].

> *θυμὲ, θυμ' ἀμηχάνοισι κήδεσιν κυκώμενε,*
> *ἄνεχε, δυσμενέων δ' ἀλέξευ προσβαλὼν ἐναντίον*
> *στέρνον, ἐν δοκοῖσιν ἐχθρῶν πλησίον κατασταθεὶς*
> *ἀσφαλέως· καὶ μήτε νικὼν ἀμφάδην ἀγάλλεο,*
> *μηδὲ νικηθεὶς ἐν οἴκῳ καταπεσὼν ὀδύρεο·*
> *ἀλλὰ χαρτοῖσίν τε χαῖρε, καὶ κακοῖσιν ἀσχάλα*
> *μὴ λίην· γίγνωσκε δ' οἷος ῥυθμὸς ἀνθρώπους ἔχει.*

Idem quo oculo cælum et terras contemplatus sit, discas ab altero λειψάνῳ, quod eis præsertim Criticis commendatum velim, qui negant rem ex ea parte feliciter cessisse veteribus Poetis [l].

> *Γλαῦχ' ὅρα· βαθὺς γὰρ ἤδη κύμασιν ταράσσεται*
> *πόντος· ἀμφὶ δ' ἀκρὰ γυρεὺν ὀρθὸν ἵσταται νέφος,*
> *σῆμα χειμῶνος· κιχάνει δ' ἐξ ἀελπτίης φόβος.*

[k] Fragm. xiv. ap. Gaisford, *Poet. Min.* t. i. 294.
[l] *Ibid.* xiii. p. 293.

Fuit ergo et is quoque poeta ex eorum genere, qui viam sibi primi invenerunt, non modo numeris innovandis, verum etiam vi ac lumine sententiarum; Satyricorum, qui vocantur, antesignanus, velut Alcæus et Sappho Lyricorum.

Restat Simonides, Elegiarum si non auctor, (id enim in dubio, ut nostis, relinquit Horatius[m]) at certe qui in lugubri eo genere, judicio veterum, primas tulit. Ille, ut Archilochus, cum suis oculis consideraret casus hominum, omnemque hanc malorum varietatem, propter quæ, concepta pæne formula, mortales a veteribus *ægri* nominantur; hanc, inquam, contemplatus Simonides, sed de longinquo magis, et sedatiore mentis oculo, curas leniebat talium carminum tenore, quæ dulcedine quadam sua docerent homines, lacrymas esse (ut ait quidam) vel optimam nostri sensus partem. Unum atque alterum exscribere liceat; quæ genere quoque dicendi commonstrent Homeri vestigia minime dubia.

Σῶμα μὲν ἀλλοδαπὴ κεύθει κόνις· ἐν δέ σε πόντῳ,
Κλείσθενες, Εὐξείνῳ Μοῖρ' ἔκιχεν θανάτου
πλαζόμενον· γλυκεροῦ δὲ μελίφρονος οἴκαδε νόστου
ἤμπλακες, οὐδ' ἵκευ Χῖον ἐς ἀμφιρύτην[n].

Φῆ ποτε Τίμαρχος, πατρὸς περὶ χεῖρας ἔχοντος,
ἡνίκ' ἀφ' ἱμερτὴν ἔπνεεν ἡλικίην,
ὦ Τιμηνορίδη, παιδὸς φίλου οὔποτε λήσῃ,
οὔτ' ἀρετὴν ποθέων, οὔτε σαοφροσύνην[o].

Diximus de Poetis Minoribus: quos ideo cursim excitandos putavi, ut confirmarem, spatia Poeseos Hellenicæ propter Homerum non circumscripta fuisse, sed in latius diducta: simul ut testes eos

[m] *Art. Poet.* 77. [n] Ap. Gaisford, *Poet. Min.* i. p. 386. [o] *Ibid.* 387.

adhiberem sententiæ nostræ, de universæ Poeseos vi et origine.

Proximo loco, veniemus aliquando ad lumen illud alterum Græciæ, Tragœdiam, severissimum Poeseos genus, ortumque a severissimo auctore, Æschylo.

PRÆLECTIO DECIMA SEPTIMA.

Tragœdiam Epicæ, Homero Æschylum multa multis ex partibus debere: discrepare autem partim dictione minus facili, partim simpliciore historiarum filo: id quod evincitur in unaquaque Tragœdia. Disputantur nonnulla de ordine, quo quæque scripta fuerit. Æschylum Homericis annumerandum esse vel propter bellicosam venam. Exempla, præsertim nautica, de Persis adferuntur. Negatur irrideri ista Tragœdia Persas: docetur præcipuas in ea esse religiosæ sapientiæ partes.

PINDARUS, Academici, divinitus pæne appellavit illos, qui ejus tempore dabant operam severiori poeticæ, nomine tanquam solenni et avito, Ὁμηρίδας[a]. Qua voce significavit, opinor, non tam fore eos imitatores Homeri, quam in eorum ingenia tacite ab illo derivari flumen quoddam generosi sanguinis: quo fiat, ut legentibus nusquam non illius viri vigeat memoria, quique remotissimi sint a rebus Homericis, Homerica tamen indole quodammodo colorentur: ut illi, qui veluti peregrinantur in ea regione, agnoscant indigenas patrio oris habitu.

[a] *Nem.* ii. 1.

Jam videndum, an ea res ita se habeat, non modo apud eos qui singuli carmina scripserunt, verum etiam in universo genere Poeseos. Nimirum, ut ab Homero cæteros Epicos, sic ab ipsa Epica credibile est omnem Tragœdorum nationem apud Græcos initium accepisse. Ecquid felicius potuit convenire cum rapido isto ac vehementi ingenio, quam ut, mutata demum forma, non sicut ante, vates narrando, verum ipsi, quorum facinora narranda essent, voce, vultu, gestu, fabulam coram peragerent? Meministis, Aristotelem exempli loco proponere Homerica potissimum Tragœdis. Homerum, veluti *δραματικώτατον* omnium laudare. Quota nempe sui parte distant colloquia Tragica ab Epicis! Tantum interest, quod hic semper legitur, *τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη, τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα.* vel tale aliquid: Tragœdia, facta jam audacior, statim ex Heroum persona res omnes enunciat.

Ex his efficitur, communia multa fore Homericis cum Tragœdiæ inventore, quisquis tandem ille fuerit. Fuisse autem, re et veritate, Æschylum, constat veterum omnium testimonio: siquidem Tragœdiæ nomine appellandus erit non is modo canentium et agentium apparatus, quem primus adornavit Thespis, sed gravior hæc et cultior fabularum docendarum ratio; quæ et seria quærat, amotis nugis, et adhibita altera persona, propius ad sermonem vitamque communem accedat.

Verum enimvero, præter eas partes, quas in origine Tragœdiæ tribuimus Æschylo, quod is videlicet primus omnium actores et pulpita in melius mutaverit, arrepto ludorum genere quod invexerat Thespis, versoque in severiorum Musarum usus: sentimus plane, carminibus ipsius legendis, multis

ex partibus optime inter se convenisse nobile Poetarum par: ne dubitemus Æschylum dicere Tragœdorum Atticorum Ὁμηρικώτατον. Hæc tamen ita velim accipi, ut discipulus non tam vultu gestuque quam intimo quodam sensu magistrum referat, ideoque leviter intuentibus non adeo similis Homeri videatur. Similitudinem autem eam quam inter se habent melius fortasse intelligemus, si prius paucis exposuero, quæ sint eorum præcipuæ dissimilitudines.

Dicimus igitur Ὁμηρικώτατον Æschylum, non quo dictionum delectu et sono propius ille quam cæteri omnes ad Homericum modulum accesserit: etenim amplitudo illa Æschylea, visque et sonus verborum, alte quasi in cumulum congestorum, non parum discrepat, vel aurium ipsarum judicio, ab epica Homeri celeritate et ἐναργείᾳ. Planeque intelligimus excusationem dari legitimam, cur eum luserit Aristophanes notissimo carmine[b],

> ἀλλ' ὦ πρῶτος τῶν Ἑλλήνων πυργώσας ῥήματα σεμνὰ,
> καὶ ποίησας τραγικὸν λῆρον, θαῤῥῶν τὸν κροῦνον ἀφίει.

Quo in loco videtur mihi notare non solum ampullas et magnifica verba, verum illud etiam non paulo molestius, quod in re quaque enarranda et explicanda tantopere sudet Æschylus ac laboret; non frustra quidem ille, sed laborat tamen. Quod contra Homerus, feliciter ac rapide, quo vult, sua quadam aura decurrit, Virgilianæ illius columbæ plane similis, quæ

> ..... aëre lapsa quieto
> Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

[b] *Ran.* 1004.

Hujus autem tarditatis Æschyleæ (absit, precor, verbo invidia; non enim intelligimus tardum hebetemque ingenio, sed lingua solum gestuque lentum quodammodo et spissum) tarditatis, inquam, Æschyleæ erat utrumque, tum ut rem unam pluribus modis variaret atque efferret, tum ut gradatim, quo vellet, assurgeret, ἐπιθετὰ (quæ vocant) alia aliis cumulando: qua de re acute Aristophanes verbum illud, πυργώσας, adhibuit. Insigne exemplum præbebit hymnus ille Choricus, quo cædem Œdipodarum Thebanæ lugent virgines[c].

πέφρικα τὰν ὠλεσίοι-
κον θεὸν, οὐ θεοῖς ὁμοί-
αν, παναλήθη, κακόμαν-
τιν, πατρὸς εὐκταίαν ἐρί-
νυν τελέσαι περιθύμους κατάρας
Οἰδιπόδα βλαψίφρονος.

Nihil hic otiosum invenies, nihil non gravissimo affectu plenum. Illud modo incompositum videatur ac rude, quod unam plane formulam sæpius repetit.

Nobile et illud de sacrificio Iphigeniæ, in hoc ipso argumento jam ante a doctissimo viro allatum[d].

Ἰηίον δὲ καλῶ Παιᾶνα,
μή τινας ἀντιπνόους
Δαναοῖς χρονίας ἐχενήδας
ἁπλοίας τεύξῃ,
σπευδομένα θυσίαν
ἑτέραν, ἀνόμον τιν', ἄδαιτον,
νεικέων τεκτόνα σύμ-
φυτον, οὐ δεισήνορα· μίμνει
γὰρ φοβέρα παλίνορσος
οἰκόνομος δολία, μνάμων μή-
νις τεκνόποινος.

[c] *Theb.* 717. [d] *Agam.* 144.

Nimis erit iniquus egregio Poetæ, quicunque ex horum carminum tenore desidiæ eum insimulare audebit. Quin potius nimia cura peccasse dixerim, qui mos est eorum, qui rebus unice intenti, de verbis numerisque variandis ne cogitant quidem: id agunt, in eo sunt, ut plene ac libere quid sibi velint exprimant.

Jam, quod historiarum decursus simplicior est quam subtilior; quod in paucissimis plerumque personis vertitur immensæ rei discrimen; quod languere solet apud Æschylum cursus fortunæ, neque multum casibus et conversionibus variatur: eo pertinere videntur ad unum omnia, ut indicent Scriptorem usum stylo non adeo facili; paucorum quodammodo hominum, paucarum fuisse rerum: quos autem semel describendos sibi delegerit, sive eventus sive homines, in iis nullam ejus diligentiam, nullum unquam acumen desiderari.

Recenseatis, quæso, mecum, Academici, singularum ejus Tragœdiarum, quæ quidem supersunt, formulam. Mirabile est, tam parca velut supellectile tantas res tam potenter agi. Placet autem eo potissimum ordine fabularum titulos referre, quo scriptas fuisse maxime est credibile: qui ordo, recte semel descriptus, haud parum fortasse adjuvabit de Æschylo judicaturos.

Ac primo quidem loco ponuntur, doctorum sententia, nobiles illi Persæ: quam fabulam docuit Æschylus, si fides narratis, septimo post Platæam anno[e], flagrante etiamnum bello in Asia maritimo. Neque multum ab isto calculo abhorret ipsius dramatis ratio atque indoles, spirans ubique Martem,

[e] Clinton, *Fast. Hellen.* Ol. 77. 1.

præsertim navalem. Jam, qui personas numerabit, inveniet Persarum fabulam contineri partibus trium fere actorum, Chori, Atossæ, Darii ab inferis evocati. Nam Xerxis ipsius, mero se luctu effundentis, vix ulla debet hoc loco haberi ratio. Quod si concedamus ejus rei in causa fuisse, aliqua certe ex parte, imperfectam adhuc rudemque Tragœdiæ formam, cui primus ipse Æschylus secundi histrionis partes addidit; at ipsius tamen Poetæ, credo, erat, quod simplicitatem istam nulla unquam arte variaverit, sed in eo totus fuerit, ut quas paucas adhibuisset personas, illas ante oculos expressas poneret, omnique numero absolutas. Ipsius etiam erat, quod in eo carmine nuda prorsus narratione res conficitur, nullo, quem vocant, nodo, nulla *περιπετεία*. Tantum, quod initio sumus ominati, *πάθος*, id magis magisque accrescit, procedente fabula, usque dum certissimo nuntio vertitur in luctum atque in mœrorem acerrimum.

Venio nunc ad Promethea Vinctum: nam ad eandem *τετραλογίαν* pertinuisse aiunt Persas et Promethea *πυρφόρον*[f], quæ *τοῦ Δεσμώτου* quodammodo prima pars erat: itaque eum non longo tempore, ut opinor, præcedere debuit. Ejus autem quæ superest fabulæ eadem ferme atque Persarum est ratio, ab initio usque ad finem uno tenore decurrentis, nulla aut rerum conversione, aut inopinato causarum nexu. Fateor equidem, pluribus eam quasi luminibus personarum distingui, primo Nympharum introitu, deinde Oceani, postremo Iûs inquietæ illius ac vagæ. Atque ut id quod res est dicam, liberius hic quam usquam alias excurrere mihi videtur Æschylus, et ad Homerici styli facilitatem et celeritatem propius acce-

[f] *Arg. in Pers.*

dere: ita tamen, ut ipsius fabulæ summa ubique servetur simplicitas. Eunt redeuntque personæ, τὸ πάθος manet.

Quod idem nescio an clarius etiam significet splendidissima Tragœdia, cui titulus, Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας. Ejus quidem editæ annum nescimus: tantum post Persas scriptam fuisse auctor est interpres Aristophanis[z]. Universam autem illam fabulam unus Eteocles ita sustinet, ut ea non tam Tragœdia esse videatur, quam pompa quædam Tragica, coram eo ducta. Neminis ne persona quidem inducitur: modo Amphiaraus, Capaneus, cæteri, nuntio narrante, singuli quodammodo prodeunt. Quid multa? simplicitati isti suæ tam unice hic consuluit Poeta, ut tantum non ipsi Tragœdiæ formam Tragicam denegaverit.

Quod autem in scenam, extremo fine Poematis, Antigonam cum sorore miserit, novoque affectu nunc luctus de morte fratrum, nunc gaudia immiscuerit victoriæ, urbisque servatæ; crediderim equidem id fecisse Æschylum, Sophocleo potius mori obsecutum, (quippe qui hoc tempore regnare jam in theatris incepisset) quam propria voluntate et judicio.

Quanquam et ibi Æschyleum plane illud agnosco, quod ipso etiam fine Tragœdiæ soliciti relinquuntur animi, re infecta. Plane sicut in musicis fieri audimus, lege harmoniæ non omni ex parte servata; suspensum quodammodo relinqui in aere sonum, neque suo tempore in orbem perfectum redire. Videte an ejusmodi sint ultimi quoque Promethei versus:

τοιάδ' ἐπ' ἐμοὶ ῥίπη Διόθεν
τεύχουσα φόβον στείχει φανερῶς·

[z] In *Ran.* 1026.

ὦ μητρὸς ἐμῆς σέβας, ὦ πάντων
αἴθηρ κοινὸν φάος εἰλίσσων,
ἐσορᾶς μ', ὡς ἔκδικα πάσχω.

Neque multum aliena est τῶν Χοηφορῶν clausula,

ποῖ δῆτα κρανεῖ, ποῖ καταλήξει
μετακοιμισθὲν μένος ἄτας;

Sed enim diversa paulo a cæteris videtur esse ratio Promethei, Agamemnonis, Choephorarum: ut quæ singulæ tripartiti dramatis sint partes, non integra quæque Tragœdia. Quare consentaneum erat, ut earum unaquæque spectaret ad ulterius aliquid. Sed de Thebana tragœdia nihil prorsus tale accepimus. Quare, ut dicebam, suspicari licet clausulam ejus ad exemplar Sophoclis effingi. Tacemus autem hoc tempore, siquid gravioris et sanctioris doctrinæ putandus est vates insinuasse per ejusmodi *οἰκονομίαν*. Manet igitur, hanc quoque fabulam documento fore simplicitatis Æschyleæ.

Quid vero dulcissimæ illæ Ἱκετιδές? nam istis proximum a Thebanis tribuunt locum; conjectura, ut mihi quidem videtur, probabili ac prope vera. Etsi enim nihil, quod sciam, de ea re doceant veterum Grammaticorum libri, non deest tamen unde ducat aliquis argumentum. Modo teneatur, Æschylum nostrum, sicut et posteriores, præsertim Atticos, aliquando ad eam rempublicam, quæ suo tempore erat, in condendis carminibus respexisse. Constat porro ex ipso Ἱκετιδῶν tenore, duas potissimum terrarum regiones scribentis animo esse obversatas; hinc Ægyptum, illinc Argolidis littus. Constat quoque, vivente etiamnum Æschylo, in easdem illas regiones cum omni cura et solicitudine conversum aliquando fuisse populum Atheniensem. Præcesserunt ejus mortem quatuor annis Ægyptiacæ

turbæ, lacessente Persas Inaro[h]; quibus prompte intervenisse Athenienses, maximo apparatu, nemo nescit. Itaque non fieri potuit, quin in ore omnium diu esset Ægyptus, arrectisque animis plebs ea raperet quæ ad illam provinciam pertinerent. Idem annus primus erat, ex quo simultas illa propter Ithomen et Messenios intercesserat inter Lacedæmonem et Athenas[i]: unde offensi Athenienses cœperunt illico petere Argivorum societatem. Quidni igitur statuamus, cum viro docto[k], Æschylum nostrum, cum in eam incidisset fabulam, quæ res partim Ægyptiacas tangeret, partim Argivas, minimo negotio eam accommodasse ad rempublicam, quæ tunc erat? ut simul laudaret et conciliaret Argivos, simul suorum animos deleniret, si qui aut Ægyptum ipsi inviserant, aut militantes ibi desiderabant amicos.

Profecto cum his calculis mirandum in modum congruere dixerim ipsius Poematis ἀφελείαν. Parumne existimatis valere ad homines mulcendos, quod nulla neque narrantis arte, neque violento certamine ac motu animorum, sed æquabili rerum tenore eo deducimur, quo velit jus et fas et religio supplicum? Ἦθος, quod proprie vocant Critici, nescio an nullum esse dicam in illa fabula. Ita nimirum est ea morata, ut genera hominum, non homines ipsos, repræsentet: non Danaidas, sed omnes quæ unquam fuere supplices mulieres; non Pelasgum, non plebem Argivorum, sed genera ipsa regum, gregisque popularis. Deinde narratio simplex et aperta. Appellant ad littus virgines, fidem Argivorum implorant, recipiuntur in societatem, a raptorum injuria vindicantur et liberantur. Nihil hic nodorum argutiis, nihil

[h] Clinton, *Fast. Hellen.* Ol. 80. 1; 81. 1.
[i] *Ibid.* Ol. 79. 4.
[k] Muller, ap. Butler, *Not. in Suppl.* p. 98.

acutis solutionibus agitur. Has qui unice amant, crediderim istis tædio prorsus futuram Ἱκετιδῶν lectionem.

Restat nobilissima omnium series, Ὀρεστεία: quam ut concedamus deduci fortasse filo non adeo simplici, velim tamen meminerint homines, prodiisse eam in scenam ultimam omnium, atque adeo postquam corona jam exciderat, commissa lite poetica cum Sophocle, Æschylus[1]. Quare fieri potuit, ut non tam suo, quam temporis et theatri Attici consilio, formam scribendi mutaret: si tamen mutasse dicendus est.

Verum enimvero quid est, obsecro, cur in istis etiam Tragœdiis germanam Æschyli simplicitatem aliquis desideret? Plures, fateor, in scenam mittuntur personæ, suis quæque accuratius distinctæ notis: variantur audacius tum animorum affectus, tum ea quæ ad locos quæque ad fortunas hominum pertinent. Ea vero omnia quot tandem punctis separantur a posteriorum calliditate ac versutia! Conferantur modo Choëphoræ cum Sophoclis Electra: nemo non intelliget abundare hanc artibus et dolis, quibus illa prorsus careat.

Ad summam, pro concesso habeamus, Æschylum Homero doctius fortasse et severius, sed duriore ut plurimum stylo scripsisse: id quod non modo arguas ex fabularum et personarum ratione, verum illud etiam non male adjungas, multo rarius Nostrum quasi ludere sonorum clausulis ac diversitate numerorum. Excerpat aliquis ex ejus Iambicis octoginta vel centum versus, et cum totidem Sophocleis, ne dicam Aristophanicis, componat; mirum ni vel aurium

[1] Clinton, *Fast. Hellen.* Ol. 80. 3; 78. 1.

judicio inveniat recentiorum rhythmum multo agilius moveri, et ad mentem scriptoris immutari.

Dicat aliquis, Quonam igitur modo appellandus erit Æschylus Ὁμηρικώτατος? Ut uno alteroque verbo respondeam; Quoniam et ea diligit, quæ sunt in Homeri deliciis, et more Homerico se verissime cum rebus et negotiis solet immiscere. Quod primum omnium perspicias et agnoscas in iis quæ pertinent ad militiam, præsertim navalem. Quod enim in Homero conjectura tantum augurabamur, id in Æschylo nostro certissimis veterum testimoniis evincimus; extitisse eum bellica laude egregium, tum cum maxime florebat armis Græcia. Marathon, Salamis, Platæa, immortalia nomina, pars erant ejus famæ[m]: quod et marmora illa testantur, hos intra parietes etiamnum servata[n]; et picta olim testata est Marathonii prœlii tabula, quam habuit theatrum Atticum, Pausania narrante[o]; et versus exsculpti in ipsius Poetæ tumulo[p],

ἀλκὴν δ' εὐδοκίμον Μαραθώνιον ἄλσος ἂν εἴποι,
καὶ βαθυχαιτήεις Μῆδος ἐπιστάμενος·

quos quidem versus ab ipso fuisse conditos, Pausanias est auctor.

Quid multa? nihil de eo vulgatius, quam eodem illo vitæ tempore, cum ad Tragœdias scribendas se contulerat, cum fratribus cum duobus durissima militiæ pericula ac labores suscepisse. Quis scit, an id ipsum in causa fuerit, cur gravius aliquod ac sanctius sonent ferme Æschyli carmina, quam cæterorum, qui in Tragicis laudantur? Non enim usitatum neque triviale bellandi genus impendebat; non levia aut ludicra petebantur præmia, verum ea

[m] *Vit. Æsch.* ed. Butler, viii. 3. [n] Clinton, *Fast. Hellen.* Ol. 72. 3. [o] *Attic.* c. 21. [p] *Vit. Æsch.* 4. Paus. *Attic.* 14.

erant tempora, quæ præ cæteris egregii vatis animum erigerent atque in immortalia raperent. Ac fortasse hoc illud erat, quod in minutis negligentior esset Æschylus: usus videlicet nobili quadam incuria, qualis optime deceat milites, periclitante patria.

Sed ne vagemur opinionibus, Æschylum militasse tum omnes confirmant historiæ, tum universa ejus carmina, vel cursim intuentibus, militiam quodammodo sapiunt. Videas non raro exsultantem, primo quod ipse Atheniensis sit, deinde quod Athenæ feliciter se in victoriam et in libertatem asserant. Intelligitis me hoc loco Persas potissimum respicere: nam (de cæteris statuant quid velint homines) illa certe fabula, nullis ambagibus, palam præ se fert animum arrectum in reipublicæ tempora atque in militares curas. Adeo ut ad historiæ supellectilem eam assumere minime dubitaverit judex solertissimus historicæ veritatis, Mitfordius[q].

Videte vero an deceat veteranum interrogatio illa Choricorum senum[r],

> *πότερον τοξοῦ ῥῦμα τὸ νικῶν,*
> *ἢ δορικράνου*
> *λόγχης ἴσχυς κεκράτηκεν;*

Servant videlicet illud castrense, ut ex telorum et præliandi genere nationes designent: ut quærant curiosius, non solum uter exercitus, verum etiam utra plus valuerit bellandi ratio. Quid, quod laudantes Darii tempora, e re militari sumunt initium[s]?

> *πρῶτα μὲν εὐδοκίμου στρατι-*
> *ᾶς ἀποφαινόμεθ', ἥδε νομίσματα*
> *πύργινα πάντ' εὔθυνον·*
> *νοστοὶ δ' ἐκ πολέμων ἀπόνους, ἀπαθεῖς, εὖ*
> *πράσσοντας ἤγον οἴκους.*

[q] Cap. viii. §. 5. [r] Æsch. *Pers.* 152. ed. Blomfield. [s] Ver. 864.

Etiam, ubi fugatas Xerxis cohortes narrat tentasse fluvium gelu astrictum[t]:

> κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον στράτος περᾷ·
> χ' ὥστις μὲν ἡμῶν, πρὶν σκεδασθῆναι θεοῦ
> ἀκτῖνας, ὥρμηθη, σεσωσμένος κύρει·
> φλέγων γὰρ αὐγαῖς λαμπρὸς ἡλίου κύκλος
> μέσον πόρον δίηκε, θερμαίνων φλογί·
> ἔπιτνον δ' ἐπ' ἀλλήλοισιν· εὐτύχης δέ τοι
> ὅστις τάχιστα πνεῦμ' ἀπέρρηξεν βίου.

Hæc, ni fallor, hominis sunt non omnino hospitis in ipso quem narrat casu: vel certe ejus qui bene calluerit mentes sensusque militum, tali fortuna conflictantium. Nam ibi solvuntur quodammodo et languent fortium quoque virorum spiritus, invicti alias et illæsi vel summo instantis prælii periculo.

Verum hæc sunt terra militantis. Æschyli autem nostri propria ac præcipua laus, ut civem decebat Atheniensem, ἐκ τῶν εὐπατριδῶν, ponebatur in rebus maritimis atque in navali certamine. Audite qua vi, qua pulchritudine lectissimorum numerorum, Persici senes patriæ vindicent primas terra marique partes[u].

> θεόθεν γὰρ κατὰ μοῖρ'
> ἐκράτησεν τὸ παλαι-
> ὸν, ἐπέσκηψέ τε Πέρσαις
> πολεμοὺς πυργοδαίκτας
> διέπειν, ἱπ-
> πιοχάρμας τε κλόνους,
> πολέων τ' ἀναστάσεις.

Hucusque de rebus terræ gestis; splendide sane: sed videte, obsecro, quibus quasi pennis ultro se efferat vates, simul atque ad maritima ventum est[x].

> ἔμαθον δ', εὐρυπόροι-
> ο θαλάσσας πολιαι-
> νομένας πνεύματι λαβρῷ,

[t] *Pers.* 507. [u] Ver. 105. [x] Ver. 112.

> *ἐσορᾶν πόντιον ἄλσος,*
> *πίσυνοι λεπ-*
> *τοδόμοις πείσμασι λα-*
> *οπόροις τε μαχαναῖς.*

Necesse est ipse navigaverit, qui cum Æschylo prorsus hoc loco sentire velit. Alias vix et ne vix quidem capiet, quid tandem *doctrina* opus sit, ut possit aliquis profunda maris contemplari: neque recte sibi finget *πόντιον* illud *ἄλσος*, corallii scilicet ac salsarum fruticum.

Sed unus omnium dominatur in hac materia nuntii sermo de pugna Salaminia: qui cum sit in ore omnium, satis erit si ex eo pauca quædam hoc tempore adferam, quibus nauticum (ut ita dicam) spirat eximie bellicosus vates. Tale aliquid invenias, ubi noctu se parant Persæ, littus Atticum, classemque Hellenicam obsessuri[y].

> *οἱ δ' οὐκ ἀκόσμως, ἀλλὰ πειθάρχῳ φρενὶ*
> *δεῖπνόν τ' ἐπορσύνοντο, ναυβάτης τ' ἀνὴρ*
> *ἐτροποῦτο κώπην σκιαλμὸν ἀμφ' εὐήρετμον.*

Talis et corporum misere collisorum, cum fluctibus et scopulis obscure conflictantium mentio[z].

> *οἱ δ' ἀμφὶ νῆσον τὴν πελειοθρέμμονα*
> *νικωμένοι 'κύρισσον ἰσχυρὰν χθόνα....*
> *οἱ δ', ὥστε θύννους ἤ τιν' ἰχθύων βόλον,*
> *ἀγαῖσι κωπῶν, θραύσμασίν τ' ἐρειπίων*
> *ἔπαιον, ἐῤῥάχιζον· οἰμωγὴ δ' ὁμοῦ*
> *κωκύμασιν κατεῖχε πελαγίαν ἅλα....*
> *ὀτοτότοι· φίλων ἁλίδονα*
> *σώματα πολυβαφῆ*
> *καθάνοντα λέγεις φερέσθαι*
> *πλαγκτοῖς ἐν διπλάκεσσιν....*
> *γναπτόμενοι δ' ἁλὶ δείνᾳ, φεῦ,*
> *σκύλλονται πρὸς ἀναύδων, ἠὲ,*
> *παίδων τᾶς ἀμιάντου, ὀά.*

[z] *Pers.* 380.

[y] Vers. 314. 430. 279. 582.

Quibus et illud adjungere liceat, quo planissime, ut mihi quidem videtur, docuit Poeta sententiam suam, qualis esse solet veterani nautæ, de vi maris inexpugnabili[b]:

> *δοκιμὸς δ' οὔτις, ὑποστὰς*
> *μεγάλῳ ῥεύματι φώτων*
> *ὀχύροις ἔρκεσιν εἴργειν*
> *ἄμαχον κῦμα θαλάσσης.*

Nolite vero putare, Æschylum, cum hæc patriæ gratulatus scripserit, irrisisse plane Persarum infortunia: quæ doctorum quorundam est sententia. At scire velim, qua tandem ratione conveniat cum risu et insolentia, quod nusquam non honorifice appellat neque Persas neque Darium, neque etiam Xerxen ipsum. Primum, quod ad Persarum gentem attinet, illam non modo divitiis sed et bellica et civili virtute præstantissimam nobis tradit. Eo crediderim spectare verborum ac numerorum apparatum, magnificum sane, sub ipso carminis initio[c].

> *πεπέρακεν μὲν ὁ περσέ-*
> *πτολις ἤδη βασίλειος*
> *στρατὸς εἰς ἀντίπορον γεί-*
> *τονα χώραν, λινοδέσμῳ*
> *σχεδίᾳ πορθμὸν ἀμείψας*
> *Ἀθαμαντίδος Ἕλλας,*
> *πολύγομφον ὄδισμα*
> *ζυγὸν ἀμφιβαλὼν αὐ-*
> *χένι πόντου·*
> *πολυάνδρου δ' Ἀσίας θού-*
> *ριος ἄρχων ἐπὶ πᾶσαν*
> *χθόνα ποιμανόριον θεῖ-*
> *ον ἐλαύνει, διχόθεν, πε-*
> *ζονόμοις, ἔκ τε θαλάσσας,*
> *ὀχυροῖσι πεποιθὼς*
> *στυφελοῖς ἐφέταις, χρυ-*

[b] *Pers.* 89. [c] Ver. 65.

σονόμου γενεᾶς ἰ-
σόθεος φῶς.
κυανοῦν δ' ὄμμασι λεύσσων,
φονίου δέργμα δράκοντος,

(qua quidem similitudine, ni fallor, repræsentat nobis Poeta vultum quodammodo hæreditarium regii generis Achæmenidarum:)

πολύχειρ, καὶ πολυναύτας,
Σύριόν θ' ἅρμα διώκων,
ἐπάγει δουρικλύτοις ἀν-
δράσι τοξόδαμνον Ἄρην.

Et paulo inferius,

ἀπρόσοιστος γὰρ ὁ Περσῶν
στρατὸς, ἀλκίφρων τε λαός·
δολόμητιν δ' ἀπάταν θεοῦ
τίς ἀνὴρ θνατὸς ἀλύξει;

Profecto non sunt hæc irridentis, neque sedulo elevantis hostem, sed ejus potius scriptoris, qui ingenua æmulorum laude patriam suam victricem ornari sentiat.

Darii vero e mortuis evocata persona, quam quasi figuram et umbram veteris Persarum gloriæ adhibet Poeta, nonne ea est, cui inesse videatur sanctitas quædam et sua pæne divinitas? sive ea spectes, quæ viam processuro ab inferis sternunt; sive ipsius introitum, vocesque et verba plenissima paternæ atque regiæ majestatis. En quo desiderio mortuum prosequuntur nobiles Persæ, ipsius sodales [d]!

τί ποτε Δαρεῖος μὲν οὔ
μήκετ' ἀβλαβὴς ἐπῆν
τόξαρχος πολιήταις,
Σουσίδαις φίλος ἄκτωρ;

Ubi, (sit admonenti venia,) non nimis curiose

[d] *Pers.* 560.

premendum est illud ἀβλαβὴς, quasi nullo unquam tempore male cessissent Persis Darii arma; sicut neque illa choricorum senum jactatio[e],

> νοστοὶ δ' ἐκ πολέμων ἀπόνους, ἀπαθεῖς,
> εὐ πράσσοντας ἦγον οἴκους.

Fuerunt qui hæc vitio verterent Æschylo, tanquam fide historiæ non bene servata. Verum, ut opinor, vix tantum valuit vel fuga illa Scythica vel ipse Marathon, ut tot annorum memoriam, tranquille ac feliciter actorum, obscurare debuerint.

Sed redeamus ad personam Darii. Num potuit verius exprimi reverentia piis dignissima sacerdotibus, quam ubi senes chorici regiam e sepulchro animam cantu arcessunt[f]?

> ἦ ῥ' ἀΐει μου μακαρίτας ἰσοδαίμων βασιλεὺς
> βάρβαρα σαφηνῆ
> ἱέντος τὰ παναίολ'
> αἰανῆ δύσθροα βάγματα;....
> νέρθεν ἆρα κλύει μου;
> ἀλλά σύ μοι, Γᾶ τε καὶ ἄλ-
> λοι χθονίων ἀγεμόνες,
> δαίμονα μεγαλαυχῆ
> ἰόντ' αἰνέσατ' ἐκ δόμων,
> Περσᾶν Σουσιγενῆ θεὸν,
> πέμπετε δ' ἄνω,
> οἷον οὔπω
> Πέρσις αἶ' ἐκάλυψεν.
> ἦ φίλος ἀνὴρ, φίλος ἔχθος, φίλα γὰρ
> κεκεύθεν ἤθη· Ἀϊδωνεὺς
> δ' ἀνάπομπος ἀνείης, Ἀϊδωνεὺς,
> Δαρεῖον, οἷὸν ἄνακτα Δαρεῖον· ἠέ.

Quo deinde affectu sibi fingunt vel tiaram et cothurnum emergentis, vetera regii splendoris insignia[g]!

> βαλὴν, ἀρχαῖος βαλὴν, ἴθι, ἵκου,
> ἔλθ' ἐπ' ἄκρον κόρυμβον ὄ-

[e] *Pers.* 868. [f] Ver. 639. [g] Ver. 663.

χθου, κροκόβαπτον ποδὸς εὖ-
μαριν ἀείρων, βασιλεί-
ου τιάρας φάλαρον πιφαύσκων.

Quid quod in lucem quoque redeuntem cum solenni formidine excipiunt, coram eo vel profari metuentes[h]?

σέβομαι μὲν προσίδεσθαι,
σέβομαι δ' ἀντία λέξαι,
σέθεν ἀρχαίῳ περὶ τάρβει.

Ne multa: Darii vel solius partes quisquis serio ac sedulo inspiciet, minime ita comparatam esse hanc fabulam judicabit, ut in ea victores impune victos irrideant. Ut de Atossæ pia tranquillitate taceam, qua certe nihil remotius ab ista arrogantia fingi potest.

Quod autem aiunt, Xerxem fugitivum, laceris pannis, coram duci contumeliæ ergo, oblivisci plane videntur veterum ritus, præsertim Orientalium; apud quos, ut sacræ quoque Literæ testantur, non tam mutatæ quam scissæ vestes solennem habent calamitatis significationem.

Rursus objiciunt, regum ducumque nomina non uno in loco aliud alio cumulari, barbaris sonis atque asperis, ne desit quod infimis subselliis ludo sit atque joco. Verum credibile est, fuisse ea germana nobilium Persarum nomina, Æschylo, si cui Atheniensium, bene ac familiariter nota: quibus adeo scena ejus debuerit ornari, jure haudquaquam deteriore atque in Homeri Catalogo recensentur Trojani pariter et Graii. Exordium illud Persarum Homerica quidem elegantia caret, non male tamen comparata esse videtur ad illustrandam Xerxis magnificentiam, cujus simul in uno exercitu militaverint

[h] *Pers.* 700.

tot gentes, quarum terminis ibi definitur summi regis imperium.

Postremo, non equidem inficias iverim, molestius quodammodo ferire aures fragmenta illa næniarum, seu *κόμματα* (quæ vocant) quibus se invicem ad fletum provocant, sub fine Tragœdiæ, Xerxes et chorici senes. Neque tamen facile mihi quisquam persuadebit, adhiberi ista dedita opera ad risum theatri movendum, cum videam eadem plane formula querimonias et luctus in aliis quoque tragœdiis exstare, ubi nullus omnino locus erat ridendi. Videtur autem universa *τῶν κομμάτων* ratio magis ad cantores quam ad Poetas pertinuisse. De verbis, ut opinor, non multum ibi laborabant; numeris tribuebatur omnis cura et studium.

Quare qui velit omnino Persas apud Æschylum ludibrio haberi, is necesse est non maneat in singulis versibus, sed acerbam quandam ironiam tota fabula diffundi judicet. Quæ primo conjectura est mera, et ea quidem frigidissima, cum nullam habeat speciem veri, quæ legentibus ultro se offerat. Deinde vix dici potest, quam longe abhorreat ista ratio ab indole animoque severissimi omnium scriptoris. Æschylum, non modo Poetam, verum etiam gravissimæ sectæ Philosophum, jocari, more ferme Aristophanico, in ea re, qua contineantur non solum Athenarum fortunæ sed et universi terrarum orbis! Miles cum fuerit, et gloria militari ornatus, irrideri ab eo viros fortes, ejus opera devictos et fugatos! Et quod omnium maximum est, cultor qui esset assiduus Deorum, et religionibus ex animo deditus, pueriliter eum ludere et cavillari, quo tempore (nam is Tragœdiæ totius est tenor) Diis agendæ erant gratiæ, delubris, domibus, re omni publica servatis!

Profecto non erat tempus terendum in quæstione tam aperta: sed fecimus propter leviculos quosdam homines, quorum hoc tempore major est copia, quam facile ferat qui vere digneque amat sive virtutem sive ejus ancillam, Poesin: eos dico, qui non tam rident ipsi, quam ab omnibus omnia rideri confirmant; qui nihil a quoquam serio agi putant: quod genus hominum solet non modice sibi plaudere, si quando videant in re seria vatem egregium inepte lusisse.

Sed quoniam incidi in religionum mentionem, videamus, quæso, an non aliunde pendeat universa series et *οἰκονομία* Persarum, quam a propinqui Numinis religione. Primum, ita nos ipse docuit scriptor: expressis verbis cladem Persarum retulit ad templa Deorum diruta, arasque pollutas[1].

> *. . . . . σφιν κακῶν ὕψιστ' ἐπαμμένει παθεῖν,*
> *ὕβρεως ἄποινα κἀθέου φρονήματος·*
> *οἳ γῆν μολόντες Ἑλλάδ', οὐ θεῶν βρέτη*
> *ᾐδοῦντο συλᾶν, οὐδὲ πιμπράναι νέως·*
> *βώμοι δ' ἄϊστοι, δαιμόνων θ' ἱδρύματα*
> *πρόρριζα φύρδην ἐξανέστραπται βάθρων.*
> *τοίγαρ κακῶς δρασάντες, οὐκ ἐλάσσονα*
> *πάσχουσι, τὰ δὲ μέλλουσι, κουδέπω κάκων*
> *κρῆπις ὕπεστιν, ἀλλ' ἔτ' ἐκπιδεύεται.*

Deinde quid sibi vult Atossa, colloquiis istis sive cum Choro habitis, sive cum Darii umbra, nisi ut Deos vel propitios servare vel placare possit iratos? Nimirum id erat proprium Æschyli nostri, ut ad pietatem et religionem unice omnia traheret ac referret. Itaque cum ei docenda erat fabula de recenti Athenarum gloria, plenam quidem bello et Marte conscripsit, plenam navali clamore atque impetu: peritum se locorum, patriæ amantem, bene gnarum reipublicæ

[1] *Pers.* 812.

prodit: at præ cæteris tamen omnibus, morem, ut fit, indoli suæ gerens, Deos, Manes, cærimonias, caras et honoratas habet. Ejusmodi complura hodie sciens prudensque missa facio, commodius fortasse in alia parte disputationis nostræ Æschyleæ promenda. Unam hoc tempore mecum consideretis velim Atossæ personam, mirifice temperatam regia dignitate, suavitate qualis matrem, mœstitia qualis viduam deceat: unius ejus unicam, inquam, sententiam hoc tempore consideretis velim. Nempe ubi eam rem, quam timuerat, habuit jam certam claramque, neque lacrymis se conficit et ejulatu, nec dolorem premit acerbissimo illo silentio; verum ut decuit sapientem bonamque fœminam, ad aras statim et Deorum tutelam se recipit; neque, quod vulgaris foret pietatis, vota precesque, velut frustra inceptas, omittit[k].

> ὅμως δ' ἐπείδη τῇδ' ἐκύρωσεν φάτις
> ὑμῶν, θεοῖς μὲν πρῶτον εὐξάσθαι θέλω·
> ἔπειτα γῇ τε καὶ φθιτοῖς δωρήματα
> ἥξω λαβοῦσα πέλανον ἐξ οἴκων ἐμῶν·
> ἐπίσταμαι μὲν ὡς ἐπ' ἐξεργασμένοις,
> ἀλλ' ἐς τὸ λοιπὸν εἴ τι δὴ λῷον πέλοι.

Habetis hic Fidei ejus prope specimen, quam nos a Deo edocti tantum laudamus.

Sed pergamus cum Atossa. Eadem, qua abierat, tranquillitate, post paulo redit, sacra ferens Manium. Adeo non cedit mœroribus, qui acutissimi eam angunt[l].

> ἐμοὶ γὰρ ἤδη πάντα μὲν φόβου πλέα,
> ἐν ὄμμασίν τ' ἀνταῖα φαίνεται τὰ θεῶν·
> βοᾷ δ' ἐν ὠσι κέλαδος οὐ παιωνίος·
> τοῖα κακῶν ἔκπληξις ἐκφοβεῖ φρένας·
> τοίγαρ κέλευθον τήνδ' ἀνεὺ τ' ὀχημάτων
> χλιδῆς τε τῆς πάροιθεν, ἐκ δόμων πάλιν

[k] *Pers.* 527. [l] Ver. 609.

> ἔστειλα, παιδὸς πατρὶ πρευμενεῖς χοὰς
> φέρουσ', ἅπερ νεκροῖσι μειλικτηρία.

Quo in sermone verbum illud, πρευμενεῖς, bis jam in hac re repetitum, (etenim paulo ante Chorus monuerat, πρευμενῶς δ' αἴτω τάδε Σὸν πόσιν Δαρεῖον), verbum illud πρευμενεῖς, inquam, optime ac verissime adumbrat aggredientem ad cælestes res, animo neque servili neque curis turbido, neque ob nimium metum dejecto et anxio: ponit in conspectu vultum tranquillum, oculos humiles, pectora ad patientiam composita.

Unum addam: perperam omnino visus est nonnemini Æschylus noster ita cum Sophocle componendus et Euripide, ut in diris atque in larvis, atque in horrore incutiendo, plus cæteris omnibus polleret; infelix, ubi dulcedine opus esset. Quod contra videmus vel unius Atossæ exemplo, nihil eo dulcius fieri potuisse, nihil tranquillius. Sed hic ut semper, suum illud servat vulgus hominum in interpretando vetere Poeta, quod in judicando de religionibus hodiernis. Animos statim advertunt ad ea, quæ duo vel tria fortasse cum impetu et clamore efferuntur: quieta, tranquilla, religiosa fere negligunt. Sed in quietis et tranquillis, sive dulcedinem quæras, sive majestatem, verissima semper laus erit Poeseos.

De religionibus autem Æschyleis, simul et de fonte ex quo credibile est derivatas eas fuisse in pectus divini Vatis, fusius erit dicendum alio tempore.

PRÆLECTIO DECIMA OCTAVA

Disputatur de Æschyli Theologia, præsertim ex Prometheo Vincto. Contineri eam 1. *acerrimo miserœ hominum conditionis sensu:* 2. *προνοίας, non Fati opinione: id quod ex Eumenidum quoque persona, et ex universa Orestеæ Trilogiæ ratione evincitur:* 3. *anxia dubitatione, an in pejus tendant omnia:* 4. *commista tamen spe bona, sed obscurissima, maxime propter συμπαθείαν quandam, qua frui videntur ægri mortales, ipsius cœli et orbis terrarum.*

ÆSCHYLUS in ea Tragœdia, cui nomen a Persis inditum est, cum dedita opera res tractaret militares, lubens tamen, arrepta occasione, docuit quid de divinis sentiret: propterea quod arma a Xerxe in Græciam illata belli sacri rationem ferme habuerant. Persæ nimirum, Magorum discipuli, diruerant fœde Græcorum delubra, fanis, sacrificiis, imaginibus odio habitis. Præterea Xerxes arrogantissima usus insania, tum ad Athon, tum ad Hellespontum, terra marique Diis se majorem gesserat: ut religioso Poetæ nihil magis in promptu fuerit, quam ut cœleste numen assereret, et in ejus tutelam res humanas vindicaret.

Quod autem in Persis scribendis quasi de suo addidit Æschylus, de religionibus et rerum divinarum ratione, id in cæteris ferme Tragœdiis, ac præsertim in Prometheo, ex ipsa vi materiæ dicendum erat. Omnis illa fabula versatur in arcano rerum cælestium cum rebus humanis nexu: ut ex ea potissimum petenda sit Æschyli, non Poetæ modo verum etiam philosophi, de Diis hominibusque sententia.

De qua re illud primum cuivis, ut opinor, succurrit; depingi ab eo coloribus non adeo lætis, immo vero mœstissimis, universum hunc statum vivendi: qui Jovem nobis proferat, non Optimum illum et Maximum, sed injuriosum quendam, malevolum, invidum, humani generis, ut qui maxime, inimicum. Promethea contra, patronum hominum, vel eam ipsam ob causam narrat omni cruciatu vexari ac laniari: non, ut plerique, propter ignem modo fraude mala gentibus illatum. Ex quo efficitur, hominum genus apud Superos ea fuisse conditione, ut per unum solum Promethea steterit, ne id funditus in æternum periret: Promethei ope liberari homines, ita tamen, ut et ipse summis doloribus eorum pœnam redemerit, et redemptis quoque mirandum in modum colluctandum sit cum irato numine. Ζεὺς, inquit ille[a], *βροτῶν*

> .....τῶν ταλαιπώρων λόγον
> οὐκ ἔσχεν οὐδέν', ἀλλ' ἀϊστώσας γένος
> τὸ πᾶν, ἔχρῃζεν ἄλλο φιτῦσαι νέον·
> καὶ τοισίδ' οὐδεὶς ἀντέβαινε πλὴν ἐμοῦ.
> ἐγὼ δ' ἐτόλμησ'· ἐξερυσάμην βροτοὺς,
> τοῦ μὴ διαρραισθέντας εἰς Ἅιδου μολεῖν·
> τῷ τοι τοιαῖσδε πημοναῖσι κάμπτομαι,
> πάσχειν μὲν ἀλγειναῖσιν, οἰκτραῖσιν δ' ἰδεῖν.

[a] Æsch. *Prom.* 239.

Jam illud omitto, quod bene multis in animum venire solet; divinitus quodammodo per ejusmodi fabulam adumbrari singularem illam veræ salutis viam. Principio, dari orbem terrarum in manus immani tyranno; qui, recentis victoriæ insolentia, neque tamen satis confidens diuturnam eam fore, nulla non arte nocendi festinat ad exitium hominum. Deinde, spem tamen aliquams ubesse, fore ut in melius aliquando valeat emergere mortalium genus, ope non sua, sed Deorum alicujus. Postremo, male mulcatum iri, quisquis tandem fuerit ille cælestium, qui partes hominum sibi suscipiendas judicaverit; fœdissima illum contumelia, mœrore, cruciatu, bonitatisi llius intempestivæ pœnas luiturum. Hæc omnia qui serio cogitat, mirum ni ei legenti ultro se offerat imago aliqua sanctissimæ illius rationis ac disciplinæ, per quam salvos nos fieri voluit verus ac vivus Deus. Consueverunt certe Promethea cumprimis laudare sacrosanctæ Ecclesiæ Patres, ubi de obscuris cœcisque testimoniis agitur, quibus ultro Veritatem ornaverant seu Dæmones, sive Poetæ, illorum cultores. Verum hæc, ut dixi, missa facio impræsentiarum; non quo negaverim, divinitus esse factum, ut theologicis evidenter adeo respondeant somnia illa sive poetica seu Pythagorea: sed loquimur hodie de mente ipsius Æschyli, non de arcanis summi Dei consiliis, quibus ille inscius agebatur.

Neque vero illud multum laboro, quod video placuisse Verulamio, gravissimo auctori[b]: totam videlicet hanc de Prometheo fabulam referri debere ad rem philosophicam, atque ad earum artium incrementa, quibus potissimum vita hominum et sus-

[b] *De Sapient. Veter.* c. 26.

tentatur et ornatur. Nimirum (ut cum Virgilio loquamur) "Pater ipse colendi" (ut et aliarum artium) "haud facilem esse viam voluit". . .

> Ille malum virus serpentibus addidit atris,
> Prædarique lupos jussit, pontumque moveri,
> Mellaque decussit foliis, ignemque removit,
> Et passim rivis currentia vina repressit.

Verbo dicam: per immitem Jovem significari conjiciat aliquis vivendi conditionem, quatenus utilitates et commoda rerum plurimarum removit in obscurum et in longinquum natura: Prometheus autem, ex eadem illa ratione, ecquid aliud præ se fert, atque vim illam inventricem, cælo ferme delapsam, cujus ope tot artes tam ingeniose excogitarunt sibi mortales? Quæ quoniam cura, metu, solicitudine, torqueri solet omni tempore: eoque magis, quo quisque longius processerit in causis rerum indagandis (juxta illud oraculi sanctissimi effatum[b], *ὁ προσπίθεις γνῶσιν προσθήσει ἄλγημα*): ideo Promethea legimus affigi scopulo, onerari catenis, quotidie atrocissimo vulturis morsu lacerari. Sed in his non libet hodie morari; neque enim arbitror, physicis in rebus multum operis posuisse Æschylum. Ac fieri potuit, ut is, quicunque primus excudit universam istam de Prometheo fabulam, nil præter artes cogitaverit et vitæ hujus quotidianæ rationem: at vero Æschylo ipsi in animo fuisse gravius quiddam atque sanctius, mihi certe persuasissimum est.

Nedum cum iis sentiam, si qui vel hic vel in aliis Tragœdiis divinum Vatem loqui autumantur ex formula quadam reipublicæ administrandæ, atque adeo præcipue versari circa regum ducumque officia. Fateor

[b] *Eccles.* i. 18.

equidem, in carmina ejus spargi non raro sententias ejusmodi. quæ deceant egregium civem, libera republica; præsertim eo tempore, quo Persica illa tempestas vix et ne vix quidem in auras abierat. Hinc illa sæpius allata de vi tyrannorum, nullis subjecta legibus.

[c]οἶδ' ὅτι τράχυς καὶ παρ' ἑαυτῷ
τὸ δίκαιον ἔχων Ζεύς.—
[d]ἅπαντ' ἔπραχθη πλὴν θεοῖσι κοιρανεῖν,
ἐλευθέρος γὰρ οὔτις ἐστι, πλὴν Δίος.——
[e].....ἀμέγαρ-
-τα γὰρ ταδὲ Ζεὺς ἰδίοις
νομοῖς κρατύνων, ὑπερή-
-φανον θεοῖς τοῖς πάρος ἐν-
-δείκνυσιν αἴχμαν.

Hinc ea, quibus semel iterumque admonemur, asperrimum fieri quemvis, recenti victoria[f].

πολλοὺς δ' ὀδυρμοὺς καὶ γόους ἀνωφελεῖς
φθέγξει· Διὸς γὰρ δυσπαραίτητοι φρένες·
ἅπας δὲ τραχὺς, ὅστις ἂν νέον κρατῇ.

Etiam illa, quæ acute satis tangunt animum tyrannorum ad res novandas arrectum[g].

νέοι γὰρ οἰακονόμοι
κρατοῦσ' Ὀλύμπου· νεοχμοῖς
δὲ δὴ νόμοις
Ζεὺς ἀθέτως κρατύνει, τὰ
πρὶν δὲ πελώρια νῦν ἄϊστοῖ.

Quid, quod in Persis etiam non pauca invenietis ejusmodi? Meministis, Atossam ægerrime sibi temperare a verbis male ominatis[h].

ταῦτ' ἐμοίγε δείματ' ἐστ' ἰδεῖν,
ὑμῖν δ' ἀκούειν· εὖ γὰρ ἴστε, παῖς ἐμὸς
πράξας μὲν εὖ θαυμαστὸς ἂν γενοίτ' ἀνήρ,
κακῶς δὲ πράξας, οὐκ ὑπεύθυνος πόλει,
σωθεὶς δ' ὁμοίως τῆσδε κοιρανεῖ χθόνος.

[c] *Prom.* 194. [d] Ver. 49. [e] Ver. 409.
[f] Ver. 33. [g] Ver. 153. [h] *Pers.* 215.

Palam atque aperte, ni fallor, fatetur ipsum, quem negare vult, metum. Quorsum enim ista *τοῦ ὑπευθύνου* mentio?

Rursus, est ubi chorus vaticinatur, Asiam brevi fore jugo liberam[i].

> *τοὶ δ' ἀνὰ γᾶν Ἀσίαν δὴν*
> *οὐκ ἐτὶ περσονομοῦνται·*
> *οὐδ' ἐτὶ δασμοφοροῦσιν*
> *δεσποσύνοισιν ἀνάγκαις·*
> *οὐδ' ἐς γᾶν προπίτνοντες*
> *ἄξονται· βασίλεια*
> *γὰρ διόλωλεν ἴσχυς·*
> *οἰδ' ἔτι γλῶσσα βροτοῖσιν*
> *ἐν φυλακαῖς· λέλυται γὰρ*
> *λαὸς ἐλεύθερα βάζειν,*
> *ὡς ἐλύθη ζόγον ἀλκάς.*

Gravius aliquid suspicatur et umbra Darii[j],

> *πρὸς τάδ' οὐ νόσος φρενῶν*
> *εἶχε παῖδ' ἐμόν; δέδοικα μὴ πολὺς πλουτοῦ πόνος*
> *οὖμος ἀνθρώποις γένηται τοῦ φθάσαντος ἁρπάγη.*

Possim addere multa ejusmodi: quorum tamen omnium non est ea vis, ut Æschylum doceant scripsisse velut unum Atticorum, urbi et civilibus negotiis unice ac præcipue intentum. Non enim pertinent ista ad summam fabulæ: nisi forte velit quispiam (quæ est misera et insaniens quorundam sapientia) voces et verba sublimia sacri vatis in mortalitatem meram, atque in humile hoc et terrenum genus revocare.

Quapropter, ut illuc, unde abii, revertar: Æschylum dicimus eo scripsisse sensu, quo commotus undequaque Virgilius *miseros* et *ægros* appellare solet mortales; ita tamen, ut eum judicemus eximendum prorsus numero eorum, qui cæco fato regi volunt omnia. Quod contra docuerunt nonnulli de recen-

[i] *Prom.* 590. [j] Ver. 756.

tioribus, magni sane nominis auctores; quibus est visum Græcanicæ Tragœdiæ summam in eo potissimum consistere, quod agantur omnia fatali quadam necessitate, qua tanquam velati homines ducantur in obscurum exitium ;—

> Quale per incertam Lunam sub luce maligna
> Est iter in sylvis, ubi cælum condidit umbra
> Jupiter, et rebus nox abstulit atra colorem.

Itaque, ex hac formula, Tragœdiæ vis universa ac venustas una hac maxime re continebatur, videlicet ut via quamvis incerta quæque res tenderet ad eventum minime dubium. Expectabat theatrum, non quid agerent illi, quos in scenam placuisset induci quoque tempore; sed potius quo processura esset cœca et invicta Parcarum vis.

Atque ut concedam, genus id omne velari obscuro quodam horrore, minime ab his Musis alieno; ita constantissime negandum arbitror, Æschylum ex eorum fuisse familia, qui putent cæleste Numen per fas et nefas agere cum hominibus. Audiamus Promethea, qua is ratione summam hujus doctrinæ explicet. Postquam enim non paucis narraverat, quæ, quanta, quam ingeniosa excogitasset ipse in mortalium gratiam; negat tamen, ut decuit pium animum, in ipsius seu ingenio sive viribus situm esse, ut ex vinculo tandem et carcere prorsus liberetur. Spem bonam susceperat Chorus Nympharum, fore ut is, qui tam acute generi hominum laboranti prospexerat, se quoque suo tempore expediret e durissima sorte[k].

> *μὴ νῦν βροτοὺς μὲν ὠφέλει καιροῦ πέρα,*
> *σαὐτὸν δ' ἀκήδει δυστυχοῦντος· ὡς ἐγὼ*
> *εὐέλπίς εἰμι τῶνδέ σ' ἐκ δεσμῶν ἐτί*
> *λύθεντα, μηδὲν μεῖον ἰσχύσειν Δίος.*

[k] *Prom.* 516.

Hasce Nymphas igitur jubet Prometheus ita tranquillo bonoque esse animo, ut nihil tamen ex ipsius ingenio sperent, sed ad ignoti Numinis vim omnia conferant.

> *οὐ ταῦτα ταυτῇ Μοῖρα πω τελέσφορος*
> *κρᾶναι πέπρωται, μυρίαις δὲ πημοναῖς*
> *δύαις τε καμφθεὶς, ὧδε δεσμὰ φυγγάνω·*
> *τέχνη δ' ἀνάγκης ἀσθενέστερα μακρῷ.*

Animadvertite autem qua pietate, qua prudentia, statim subjiciant,

> *τίς οὖν ἀνάγκης ἐστὶν οἰακοστρόφος;*

ne forte suspicemur loqui Poetam non de *προνοίᾳ* Numinis, sed de cœca vi quadam, et norma rebus ipsis insita. Respondens autem Prometheus oraculum edit gravissimum sane, atque ab intimis religionis antiquæ penetralibus eductum:

> *Μοῖραι τριμόρφοι, μνήμονές τ' Ἐρινύες.*

Videtis id unum maxime agi, ut nemo judicet, injecta mentione necessitatis, in partes vocari potentiam quandam fatalem, nulli neque nomine neque persona astrictam. Quin diserte ab Æschylo docemur, regi hæc omnia duplici choro Dearum, Parcarum videlicet et Eumenidum: manifesta proinde per Parcas indicia dari divinæ voluntatis, nullis unquam neque impedimentis neque mutationibus obnoxiæ; Eumenidas eandem nobis monstrare, non modo justitiæ integerrimæ, verum etiam æqui bonique amantissimam.

Quæ quidem Eumenides, ubi disputatur de improborum hominum pœnis, rectius appellari solent Erinnyes. Ac fateor equidem, eo nomine sæpius apud antiquos prodire; non aliam ob causam, credo, quam quod in hac labe et ruina generis humani

Justitia sæpius cernitur in noxiis puniendis, quam in re bonorum bene ac feliciter agenda. Apud nostrum certe hac maxime prærogativa jus suum contineri aiunt, nobilissimo carmine, fugitivum Orestem insequentes[1].

> Ἄγε δὴ καὶ χορὸν ἄψωμεν, ἐπεὶ
> μοῦσαν στυγερὰν
> ἀποφαίνεσθαι δεδόκηκε,
> λέξαι τε λάχη τὰ κατ' ἀνθρώπους
> ὡς ἐπινωμᾶ στάσις ἅμα,
> εὐθύδικαι θ' ἡδύμεθ' εἶναι.
> τὸν μὲν καθάρας χεῖρας προνέμοντ'
> οὔτις ἐφέρπει μῆνις ἀφ' ἡμῶν,
> ἀσίνης δ' αἰῶνα διοιχνεῖ·
> ὅστις δ' ἁλιτῶν, ὥσπερ ὁδ' ἀνὴρ
> χεῖρας φονίας ἐπικρύπτει,
> μάρτυρες ὄρθαι τοῖσι θανοῦσιν
> παραγινόμεναι, πράκτορες αἵματος
> αὐτῷ τελέως ἐφάνημεν.

Et post paulo,

> τοῦτο γὰρ λάχος διανταία
> μοῖρ' ἐπέκλωσεν ἐμπέδως
> ἔχειν, θανάτον τοῖσιν αὐτουργίαι
> ξυμπέσωσιν μάταιοι,
> τοῖς ὁμαρτεῖν, ὅφρ' ἂν
> γᾶν ὑπέλθῃ· θανὼν δ'
> οὐκ ἄγαν ἐλεύθερος.

Verum enimvero, qui ita cantantes induxit, is et solenni titulo Eumenidas consuevit appellare, et sub ejusdem fabulæ fine non dubitat istis quasi patronis tribuere fausta ac felicia omnia, quibus patriam impense ornat[m].

> ὁποῖα νίκης μὴ κακῆς ἐπίσκοπα,
> καὶ ταῦτα γῆθεν, ἔκ τε ποντίας δρόσου,
> ἐξ οὐρανοῦ τε, κἀνέμων ἀήματα
> εὐελίως πνέοντ' ἐπιστείχειν χθόνα·
> καρπόν τε γαίας καὶ βροτῶν ἐπίῤῥυτον
> ἀστοῖσιν εὐθενοῦντα μὴ κάμνειν χρόνῳ,
> καὶ τῶν βροτείων σπερμάτων σωτηρίαν.

[1] *Eum.* 307. [m] *Ibid.* 906.

Quæ omnia faciunt, ut ne cum iis sentiam, qui velint quodammodo ad inferos relegari Eumenidas. Quasi vero vel ipsum illud, ulcisci malos, non sit præcipua pars supernæ et immensæ bonitatis. Cujus rei significationem habebat minime obscuram religio veterum, quod nobis tradiderit Eumenidas et Erinnyas numero easdem, nomine tenus diversas.

Intelligimus itaque, si qua in domo regnare videatur malus, qui dicitur, Genius; si cujus prolem, genus, familiam omni terrore prosequantur atroces Diræ; non id neque casu fieri, neque temerario Numinis odio, sed justissimo Superorum judicio, propter scelus aliquod, vel eorum hominum qui nunc sunt, vel certe majorum.

Ut alios Tragœdos hoc tempore missos faciamus, Æschyli nostri eam quam dixi de Fato extitisse sententiam, satis argumenti est, quod eo prorsus tenore scripsit nobilissimam de domo Pelopidarum *τριλογίαν*. Illo judice, telam istam atrocem nulla ex parte contexuit Fortunæ libido, sed ejus omnis causa erat primum in adulterio uxoris Atrei, deinde in dapibus, quas memorant Poetæ. Thyesteis. Hoc illud erat, ni fallor, quod in Cassandræ vaticinantis persona, atque in ejus divina voce, tantum operis posuerit scriptor gravissimus; non solum terroris ergo, tragici illius et poetici. Meministis, quo tempore Cassandra primum in scenam inducitur, nulla mora mentionem injici veteris illius ac velut hereditariæ culpæ. Audito forte semel Atridarum nomine, quasi detestabile omen a se removet[n].

ἆ, ποῖ ποτ' ἤγαγές με, πρὸς ποίαν στέγην·—
πρὸς τὴν Ἀτρειδῶν· εἰ σὺ μὴ τόδ' ἐννοεῖς,

[n] *Agam.* 1054.

ἐγὼ λέγω σοι· καὶ τάδ' οὐκ ἐρεῖς ψύθη.—
ἆ, ἆ. μισόθεον μὲν οὖν, πολλὰ συνίστορα
αὐτοφόνα κακὰ, κἀρτάνας,
ἀνδρὸς σφαγεῖον, καὶ πέδον ῥαντήριον.

Irridente autem, ut fit, Choro, confirmat se non futura modo præcinere, verum etiam respicere præterita:

μαρτυρίοισι γὰρ τοῖσδ' ἐπιπείθομαι,
κλαιόμενα τὰ βρέφη σφαγὰς,
ὀπτὰς τε σάρκας πρὸς πατρὸς βεβρωμένας.

Videlicet obscura quædam formido, ab initio usque Tragœdiæ, Agamemnonis domum texerat: senserant homines dirum aliquod impendere, longe autem lateque fluctuabant animis, quo tandem crimine devota gens in grave illud periculum incurrerit[o].

τίπτε μοι τόδ' ἐμπέδως
δεῖγμα προστατήριον
καρδίας τερασκόπου ποτᾶται,
μαντιπολεῖ δ' ἀκέλευστος ἄμισθος ἀοίδα;
οὐδ' ἀποπτύσαν, δίκαν
δυσκρίτων ὀνειράτων
θάρσος εὐπιθὲς ἴζει
φρενὸς φίλον θρόνον;
.. ..
τὸν δ' ἀνεὺ λύρας ὅμως ὑμνωδεῖ
θρῆνον Ἐρίννυος αὐτοδίδακτος ἔσωθεν
θυμὸς, οὐ τὸ πᾶν ἔχων
ἐλπίδος φίλον θράσος.
σπλάγχνα δ' οὔτι ματάζει
πρὸς ἐνδίκοις φρεσὶν τελεσφόροις
δίναις κυκλούμενον κέαρ·
εὔχομαι δ' ἀπ' ἐμάς τι
ἐλπίδος ψύθη πεσεῖν
ἐς τὸ μὴ τελεσφόρον.

Venit igitur divinitus Cassandra, quæ moneat rem omnem pertinere ad cælestium iras, atque ad majorum delicta. Quod autem increduli oderunt ejus

[o] *Ibid.* 948.

auguria Chorici senes, agnoscimus plane vulgi duritiam, non facile ferentis afferri ad omne eventum vel divini Numinis vim, vel memoriam facinoris nimis antiqui, et jamdudum, ut visum his erat, obsoleti. Possim permulta sane addere, quæ huc vehementer pertineant : sed manum abstineo ; quid enim ? exscribendæ forent universæ ferme fatidicæ virginis partes. Nam ea passim ita loquitur, ut decuit eam, quæ Diis ipsis docentibus vindicatura esset in eorum tutelam res hominum a cœco et præcipiti fato.

Deinde, ex altera quoque parte, habemus Clytemnestram, mirifice tuentem se necessitate peccandi, ubi commissum scelus negare neque auderet nec vellet quidem. Neque enim alia esse causa videtur, cur ea tam avide arripiat Dæmonis nomen, semel a choro nominatum [p].

νῦν δ' ὠρθώσας στοματὸς γνώμην,
τὸν τριπάχυιον
δαίμονα γένναs τῆσδε κικλήσκων·
ἐκ τοῦ γὰρ ἔρις αἱματόλοιχος
νείρῃ τρέφεται, πρὶν καταλῆξαι
τὸ παλαιὸν ἄχος, νέος ἴχωρ.

Rapitur hic illic animus mali sibi conscius, tentatque omnia, si qua forte ratione præstare se poterit ab immani culpa liberum. Chorus contra, mentem referens, ut assolet, ipsius Poetæ, non sinit eam ita provocare ad dæmonem nescio quem, ut non semper habeat præcipuam Numinis omnia temperantis rationem.

ἦ μέγαν οἴκοις τοῖσδε
δαίμονα καὶ βαρύμηνιν αἰνεῖς·
φεῦ, φεῦ, κακὸν αἶνον ἀτη-
-ρᾶς τυχας ἀκορέστου.
ἴη, ἴη, διαὶ Διὸς

[p] *Agam.* 1451.

παναιτίου, πανεργέτα.
τί γάρ βροτοῖς ἀνεὺ Διὸς
τελεῖται; τί τῶνδ'
οὐ θεόκραντόν ἐστιν;

Regina deinde, horrore percita, suam usque eo personam exuit, ut se neget habendam esse revera conjugem Agamemnonis, immo vero fingat umbram quandam Atrei furialem, Clytæmnestræ simillimam, in ejus locum cessisse, et immane perpetrasse flagitium.

αὐχεῖς εἶναι τόδε τοὔργον ἐμόν;
μὴ δ' ἐπιλεχθῇς
Ἀγαμεμνονίαν εἶναι μ' ἄλοχον.
φανταζόμενος δὲ γυναικὶ νεκροῦ
τοῦδ', ὁ παλαιὸς δριμὺς ἀλάστωρ
Ἀτρέως, χαλεποῦ θοινατῆρος,
τόνδ' ἀπέτισεν,....
τέλεον νεαροῖς ἐπιθύσας.

Habent ista significationem acerbissimam conscientiæ morsu interno laceratæ; sed expressis cavetur verbis, ne forte, commisso flagitio, acquiescat aliquis in istiusmodi dementia.

ὡς μὲν ἀναίτιος εἶ σὺ
τοῦδε φόνου, τίς ὁ μαρτυρήσων;
πῶς; πῶς; πατρόθεν δὲ συλλή-
πτωρ γένοιτ' ἂν ἀλάστωρ.

Quid multa? Optime hoc loco Æschylus, quæ erat ejus prudentia, conjunxit fatalem illum ac tragicum terrorem cum elementis veræ sapientiæ; cum doceat, rem quamque magnam et atrocem neque *per* Deos, nec *sine* Diis agi posse.

Quin et in Χοηφόροις quoque, ubi venit tandem Orestes, ipso jam pœnæ articulo, purgat se Clytæmnestra mentione Fati[q].

ἡ μοῖρα τούτων, ὦ τέκνον, παραίτια.

Excipit Orestes,

καὶ τόνδε τοίνυν μοῖρ' ἐπόρσυνεν μόρον.

[q] *Choeph.* 910.

Videtis eandem ferme rationem proferri, atque eam, qua utitur in eodem argumento venerandus sacrasanctæ Theologiæ antistes, Butlerus. Is enim, cum eos reprehenderet, qui, freti opinione necessitatis, negant malos recte puniri, interrogavit peracute, "Quæ necessitas crimine levat cædis *reum*, quidni *ultorem* etiam levet[r]?" Non parum valet in Æschyli mente declaranda, quod acu quasi tetigerit non modo eorum errorem, qui, fato concesso, tolli putant religionem, verum etiam subtile ingeniosi hominis responsum, quo is docuit, mundi regimen, etsi foret fatale, justissimis tamen contineri posse legibus.

Hæc habui, quæ ex Agamemnonia serie putarem hoc tempore expromenda: quo certius constaret Æschyli sententia de divino rerum arbitrio. Quæ omnia, si per tempus liceret, cumulanda erant multis magnisque exemplis, partim excerptis ab eadem Tragœdia, partim e reliqua Ὀρεστείᾳ delectis.

Verum redeamus ad Promethea; quoniam ex ea potissimum fabula decrevimus hodie expiscari mentem Poetæ. Ex iis, quæ jam dicta sunt, satis apparet, *μοιρὰς* illas *τριμόρφους*, *μνήμονας τ'* Ἐρινύας, non cœca necessitate agi, sed rem gerere æquissimo rationis judicio. Quid igitur? universo carmine diffusa illa de mortalibus ægris tristitia, quæ tandem qualisque haberi debet? Omnino, ni fallor, hanc vim habet; ut exprimat nobis animum non de Numinis imperio incertum, sed maxime tamen commotum et inquietum, propter ea quæ præ se ferunt diræ illius necessitatis similitudinem et speciem. Verbo dicam; mundum esse liberum auguratus est quodammodo Æschylus, sed eo torquebatur et æstuabat, quod in

[r] *Analogy*, p. I. c. vi.

tot ejus partibus impressa cernerentur fatalium catenarum vestigia. Eo tandem ferme delatus est, ut fingeret a se separari invicem summi Numinis potestates; ut neque is qui Maximus sit jure etiam vocetur Optimus, nec qui omnia possit omnia plane idem sciat: unde non fieri potuit, quin exorirentur miræ quædam turbæ, et confusa rerum colluvies, non solum mortalium, sed divinarum quoque et cælestium.

Jam, ut hæc singula fusius paullo exponam; primum in campo illo Poetarum, qui est de miseris ægrisque mortalibus, nemo omnium latius vagari solet. Unum de multis accipite exemplum, Nympharum næniam, advolantium in opem Prometheis[s].

φέρ' ὅπως ἄχαρις χάρις, ὦ φίλος, εἰ-
πὲ, ποῦ τις ἀλκά;
τίς ἐφαμερίων
ἄρηξις; οὔδ' ἐδέρχθης
ὀλιγοδρανίαν
ἄκικυν, ἰσόνειρον, ᾇ τὸ φωτῶν
ἀλαὸν.... γένος ἐμπεποδισ-
μένον; οὔποτε τὰν Διὸς ἁρμονίαν
θνατῶν παρεξίασι βουλαί.

Non obscure præ se ferunt contumeliam quandam, misericordiæ suæ immistam: qualem ominemur fore puellarum cælestium, suo magis lumine exultantium, quam aliena plorantium mala. Neque aliud sonat earum carmen, ubi primo in scenam ingrediuntur[t].

οὐκ ἀκούσαις ἐπεθώϋξας
τοῦτο, Προμηθεῦ:
καὶ νῦν ἐλάφρῳ ποδὶ κραιπνόσυτον
θᾶκον προλιποῦσ', αἰθέρα θ' ἁγνὸν,
πόρον οἰωνῶν, ὀκριοέσσῃ
χθονὶ τῇδε πελῶ· τοὺς σοὺς δὲ πονοὺς
χρῄζω διαπαντὸς ἀκοῦσαι.

Accedit et illud sub Oceani adventu:

ἔα, τί χρῆμα; καὶ σὺ δὴ πόνων ἐμῶν
ἥκεις ἐπόπτης; πῶς ἐτόλμησας, λίπων

[s] *Prom.* 559. [t] *Ibid.* 285.

ἐπώνυμόν τε ῥεῦμα καὶ πετρηρεφῆ
αὐτόκτιτ' ἄντρα, τὴν σιδηρομήτορα
ἐλθεῖν ἐς αἶαν; ἢ θεωρήσων τύχας
ἐμὰς ἀφίξαι, καὶ ξυνασχαλῶν κακοῖς;

En indicia minime contemnenda mentis in humanum genus vere benevolæ! Linquit Oceanus tutas speluncas, Nymphæ liberrimum iter per aera purissimum; veniunt in hanc terram, saxis asperam, durissimæ prolis altricem, ne non adsint qui solatium adferant patrono hominum, iniqua cruce laboranti: venientes autem, palam et aperte, tum telluris ipsius, tum mortalium vicem dolent, non solum ipsa vivendi conditione positorum infra se longissimo intervallo, verum etiam degenerum, et indignorum prorsus, ad quos accedant lucis et ætheris indigenæ.

Dicimus præterea, labem illum casumque hominum, si Æschylum audies, ex eo potissimum oriri, quod ea quæ maxime pertineant ad perfectionem divini Numinis non in uno inveniantur omnia, sed de cœlestium numero alius bonitate excellat, alius sapientia, alius, (intelligo Jovem illum recens victorem,) potestate sola immensa atque infinita. Itaque vel initio poematis duarum quasi partium fit mentio, quarum ad alterutram quisque se adjungat necesse est, Jovis videlicet et hominum. Nam isto ferme tenore sunt, quibus *προλογίζει* nuntius irati Numinis. Ait nimirum, pœnas dare Prometheau,

ὡς ἂν διδάχθῃ τὴν Διὸς τυραννίδα
στέργειν, φιλανθρώπου δὲ πανέσθαι τρόπου.

Queritur alioqui Prometheus ipsex,

ὁ δ' οὖν ἐρωτᾶτ', αἰτίαν καθ' ἥν τινα
αἰκίζεταί με, τοῦτο δὴ σαφηνιῶ.
ὅπως τάχιστα τὸν πατρῷον ἐς θρόνον
καθέζετ', εὐθὺς δαίμοσιν νέμει γέρα

[u] *Prom.* 10. [x] *Ibid.* 234.

ἄλλοισιν ἄλλα, καὶ διεστοιχίζετο
ἀρχήν· βροτῶν δὲ τῶν ταλαιπώρων λόγον
οὐκ ἔσχεν οὔδεν', ἀλλ' ἀΐστώσας γένος
τὸ πᾶν, ἐχρῄζεν ἀλλὸ φιτῦσαι νέον.
καὶ τοῖσιδ' οὐδεὶς ἀντέβαινε πλὴν ἐμοῦ.
ἐγὼ δ' ἐτόλμησ'· ἐξερυσάμην βροτούς.

Ne autem desideretis aliquid in ipsius Promethei bonitate, recolite modo, qua benevolentia prosequatur non solum Oceanum sui amicum, sed etiam Atlanta fratrem, diversis licet usum consiliis: immo etiam Typhœum, Diis omnibus invisum, quod ille supplicia luat tam gravia, tam acerba[y].

ἀλλ' ἡσύχαζε, σαυτὸν ἐκποδὼν ἔχων·
ἐγὼ γὰρ οὐκ εἰ δυστυχῶ, τοῦδ' οὕνεκα
θέλοιμ' ἂν ὡς πλείστοισι πημόνας τυχεῖν·
οὐ δῆτ', ἐπεί με χ' αἱ κασιγνήτου τύχαι
τείρουσ' Ἄτλαντος, ὃς πρὸς ἑσπέρους τόπους
ἕστηκε, κιόν' οὐρανοῦ τε καὶ χθόνος
ὦμοιν ἐρείδων, ἄχθος οὐκ εὐάγκαλον.
τὸν γηγενῆ τε Κιλικίων οἰκητόρα
ἄντρων ἰδὼν ᾧκτειρα, δάϊον τέρας,
ἑκατογκάρανον, πρὸς βίαν χειρούμενον
Τυφῶνα θοῦρον, ὅστις ἀντέστη θεοῖς.

Jam, quod indefessa illa bonitas multis magnisque vexatur impedimentis; quod habet gravissimos omni tempore adversarios; nostis utique necessitatis opinionem vigere in complurium animis, quæ ratione et via mirandam hanc rerum terrenarum summam utcumque explicare videatur. Quid quæritis? is rerum ferme omnium est color, ut in os ipsi Prometheo veniat ultro decantata sententia[z],

τὴν πεπρωμένην δὲ χρὴ
αἶσαν φέρειν ὡς ῥᾷστα, γιγνώσκονθ' ὅτι
τὸ τῆς ἀνάγκης ἐστ' ἀδήριτον σθένος·

ejus scilicet necessitatis, cujus habenas teneant

[y] *Prom.* 355. [z] *Ibid.* 105.

Eumenides et Parcæ: quæ, cœcis licet anfractibus, justissima tamen et certissima lege procedat.

Jam et illud quoque non dubie docet Æschylus; inter infortunia et angustias, dari quodammodo in manus hominum quasi tesseram quandam melioris olim ævi, propterea quod "Tellus quoque et æquora ponti," et quicquid usquam validius dulciusve incurrere solet in oculos hominum, non cum tyrannis, sed cum Diis bonis et amicis humani generis sentire videatur. Et hoc quidem latissime patet, et in pulcherrimas regiones manu ducit veram Poesin. Quid enim? Prometheus, sibi relictus, postquam semel tortores abierunt, nonne in ea statim prorumpit, quæ Orphicis pæne fidem faciant fabulis; adeo sunt bene adeoque potenter comparata ad res omnes undequaque alliciendas[a]?

> ὦ δῖος αἰθὴρ, καὶ ταχύπτεροι πνοαὶ,
> ποταμῶν τε πηγαὶ, ποντίων τε κυμάτων
> ἀνήριθμον γέλασμα, παμμῆτορ τε γῆ,
> καὶ τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ·
> ἴδεσθέ μ' οἷα πρὸς θεῶν πάσχω θεός.
> δέρχθηθ' οἵαις αἰκίαισιν
> διακναιόμενος τὸν μυριετῆ
> χρόνον ἀθλεύσω· τοιόνδ' ὁ νέος
> ταγὸς μακάρων ἐξεῦρ' ἐπ' ἐμοὶ
> δεσμὸν ἀεικῆ.

Quod autem vocatæ audiunt, atque in ejus solatium veniunt, primæ omnium Oceanides Nymphæ, deinde pater ipse Oceanus; nescio equidem an nemini vestrum probare valeam meam sententiam, dicam tamen id quod in mentem solet venire. Quid si Æschylus, ut erat rei maritimæ peritissimus, agnoscat hoc loco benignam Maris vim, quam, ut opinor, sentimus ad unum omnes, ubi fatigatis

[a] *Prom.* 88.

et ægris animis occurrunt littorum, undarum, scopulorum quoque formæ ac sonores: is præsertim, qui maxime demulcet corda, mirabilem dico ætheris superni consensum cum infinito ponti æquore.

Sed hæc semel tacta linquamus, sunt enim fortasse subtiliora. Unum atque alterum addam, quæ nemini non plana erunt. Primum, verissime ad naturæ exemplar commoveri Promethea, viso repente Nympharum et Oceani adventu: qui enim modo vocaverat in partes, atque, ut ita dicam, solemniter antestatus erat omnes ubique Deos hominesque, is nunc pudore tactus molestum et pæne odiosum habet, quenquam omnium ad ejus pœnam, tanquam ad spectaculum, accurrere [b].

τοιάσδε ποινὰς ἀπλακημάτων τίνω,
ὑπαιθρίοις δεσμοῖοι πασσαλευτὸς ὤν.
ἆ, ἆ, ἔα, ἔα.
τίς ἀχὼ, τίς ὀδμὰ προσέπτα μ' ἀφεγγής;
θεόσσυτος, ἢ βρότειος, ἢ κεκραμένη,
ἵκετο τερμόνιον ἐπὶ πάγον
πόνων ἐμῶν θεωρὸς, ἢ τί δὴ θέλων;
ὁρᾶτε δεσμώτην με δύσποτμον θεόν.

Et paulo inferius,

δέρχθητέ μ', ἴδεσθ'
οἵῳ δεσμῷ προσπορπατὸς,
τῆσδε φάραγγος σκοπέλοις ἐν ἄκροις
φροῦραν ἄζηλον ὀχήσω.

Est ubi manifestius idem conqueritur [c].

εἰ γάρ μ' ὑπὸ γῆν, νέρθεν θ' Ἅιδου
τοῦ νεκροδέγμονος εἰς ἀπέραντον
τάρταρον ἦκεν, δεσμοῖς ἀλύτοις
ἀγρίοις πελάσας, ὡς μήτε θεὸς,
μήτε τὶς ἄλλος τοῖσδ' ἐγεγήθει·
νῦν δ' αἰθερίον κίνυγμ' ὁ τάλας
ἐχθροῖς ἐπίχαρτα πέπονθα.

[b] *Prom.* 112. [c] *Ibid.* 158.

Quin et Oceani introitum tacite, ut videtur, deprecatur[d].

> ἔα· τί χρῆμα; καὶ σὺ δὴ πόνων ἐμῶν
> ἥκεις ἐπόπτης;.... ἢ θεωρήσων τυχὰς
> ἐμὰς ἀφῖξαι, καὶ ξυνασχαλῶν κακοῖς;
> δέρκου θέαμα, τόνδε τὸν Διὸς φίλον....
> οἵαις ὑπ' αὐτοῦ πημοναῖσι κάμπτομαι.

His omnibus declarari videtur id, quo nihil afflictis animis solennius, quod vitæ hujus minime vitalis non modo tædeat pigeatque sed pudeat etiam; quod *indigne* nobiscum agi putemus, si qui vel opis ferendæ causa propius inspicere audeant, gravia patientes: qui est eorum præsertim affectus, qui, ut Prometheus, cæteris sunt acutiores.

Neque vero ex hac parte sola, sed et omni prorsus fabula, Promethei, licet Dæmonis, non hominis, personam, dedita opera informari videmus ad eam, quam experti novimus, omnium mortalium naturam atque indolem: propterea quod Prometheus ille universi generis hominum vices gerit.

Deinde, venustissime vel ipsius scenæ ordo, variique advenientium gestus, ad id comparantur, ut tacita collatione altius animos subeant hinc acerbus indigni vinculi sensus, illinc exultatio quædam et jucunditas liberrime spatiantium in æthereis regionibus. Interrogat vinctus (nam propter vincula nequit circum se ferre oculos,)

> τί ποτ' αὖ κινάθισμα κλύω
> πέλας οἰωνῶν; αἴθηρ δ' ἐλαφραῖς
> πτερύγων ῥιπαῖς ὑποσυρίζει.

Respondent Nymphæ, aere delatæ,

> μηδὲν φοβηθῇς, φιλία
> γὰρ ἥδε τάξις, πτερύγων

[d] *Prom.* 306.

θοαῖς ἁμιλλαῖς προσέβα
τόνδε πάγον, πατρῴας
μόγις παρείπουσα φρενάς·
κραιπνόφοροι δέ μ' ἔπεμψαν αὖραι.

Huc etiam adduci poterit cantilena earum prius laudata,

καὶ νῦν ἐλάφρῳ ποδὶ κραιπνόσυτον, κ. τ. λ.

Rursus, adventante Oceano[e]:

ἥκω δολιχῆς τέρμα κελεύθου
διαμειψάμενος πρός σε, Προμηθεῦ,
τὸν πτερυγώκη τόνδ' οἴωνον
γνώμῃ, στομίων ἄτερ, εὐθύνων.

Atque etiam, eodem abeunte[f],

λεύρον γὰρ οἶμον αἰθέρος ψαίρει πτεροῖς
τετρασκελὴς οἴωνος.

Crediderim Æschylum adhibuisse hæc omnia, non tam arte, quam instinctu quodam, quali qui utuntur, verissime ponunt ante oculos molestissimam illam vivendi in terris conditionem, quod ii quoque, qui amice ad mala levanda sese accingunt, nescio quomodo soleant eadem ex hac vel ex illa parte acuere: non incuria, sed ipsa rerum humanarum sorte.

Sed in eo versabamur, ut ostenderemus, quibus potissimum solatiis, qua spe mulceretur apud Æschylum Promethei dolor. Ac primum quidem illud non leve, quod is ex omni parte fit certior secum sentire, suaque mala deplorare, tum mortales tum dæmonum genus, ipsamque, ut ita dicam, rerum naturam. Promethea, inquam, vinctum deplorant omnia; non solum grati animi causa, propter præclara ejus beneficia, verum etiam propterea quod acerbo et immiti Jovis imperio vexantur. Id quod aperte præ se ferunt Nymphæ, narrantes Atlantis

[e] *Prom.* 292. [f] *Ibid.* 402.

pariter ac Promethei pœnas: quas non sine gemitu et indignatione terrarum atque cœli continuari aiunt[g].

βοᾷ δὲ πόντιος κλύδων συμ-
πιτνῶν, στένει βυθὸς, κελαινὸς δ'
Ἅιδος ὑποβρέμει μυχὸς γᾶς,
παγαί θ' ἁγνορρύτων ποταμῶν στέ-
νουσιν ἄλγος οἰκτρόν.

His consentaneum erat, ut Promethei, (id est, mortalium) angoribus cœca quædam spes subesset, venturum aliquando, qui in melius rem mutabit: non enim frustra futurus erat tantus undequaque omnium rerum consensus. Cœca porro illa obscuraque somniantis solatia cumulaverat, si Æschylo fides, certissima venturi auxilii divinatio[h].

ἦ μὴν ἔτ' ἐμοῦ, καίπερ κρατεραῖς
ἐν γυιοπέδαις αἰκιζομένου,
χρεῖαν ἕξει μακάρων πρύτανις,
δεῖξαι τὸ νέον βούλευμ', ὑφ' ὅτου
σκῆπτρον τιμάς τ' ἀποσυλᾶται.

Idem etiam alioquin profert, ne concidat Chorus nimio Jovis metu[i].

ἦ μὴν ἐτὶ Ζεὺς, καίπερ αὐθάδη φρονῶν,
ἔσται τάπεινος, τοῖον ἐξαρτύεται
γάμον γαμεῖν, ὃς αὐτὸν ἐκ τυραννίδος
θρόνων τ' ἄϊστον ἐκβαλεῖ. . . . .
τοίωνδε μόχθων ἐκτροπὴν οὐδεὶς θεῶν,
δύναιτ' ἂν αὐτῷ, πλὴν ἐμοῦ, δεῖξαι σαφῶς·
ἐγὼ τάδ' οἶδα, χ' ᾧ τρόπῳ.

Denique spes ea sic intertexitur universæ quasi telæ Dramatis, ut sine ullis ambagibus pro confesso habendum sit, Æschyli religionem, quantum quidem a Prometheo discimus, in eo præcipue laborasse, quod Deum non eundem Omnipotentem noverit et Omniscium, sed cum bonitate scientiam, cum

[g] *Prom.* 440. [h] *Ibid.* 174. [i] *Ibid.* 943.

tyrannico animo immensam adjunxerit potentiam: docueritque adeo, fore fortasse ut aliquando sapientia, non vi, vindicet se melior pars etiam contra supremam pejoris dominationem.

Postremo, quid si hanc rationem ex aliqua parte mutavit insignis Poeta, senior jam factus; prius, credo, quam Oresteiam docuerat? Sed ejus rei judicandæ erit aliud tempus, propius inspecto ipsius Oresteiæ tenore. Illud unum adjiciam, mirifice congruere Prometheæ fabulæ mentem, qualem nos descripsimus, cum iis quæ de Mythologia Indica docuerunt tum alii scriptores, tum ille gravissimus, qui omnium hac memoria Poetarum optime exposuit religionis Orientalium indolem. Legat quivis attentius ea, quibus concluditur nobilissimum carmen de Tyranno Indorum, Kehama: cujus exitium huic unice rei debetur, quod videlicet is omnia posse putaverit illum sive Deum sive hominem, qui non omnia sciat. Miranda sane consensio Æschyli Pythagorici cum Indicis illis commentis.

Atque inde fortasse capietur conjectura non levis, de fonte quodam præcipuo religionis Æschyleæ.

PRÆLECTIO DECIMA NONA.

Æschyli sententiam de Divina Providentia mitigari, primum, Promethei ultima ratione, deinde universo Trilogiæ Oresteiæ tenore. De Agamemnonis οἰκονομίᾳ. Custodis partes, comicas ferme, non tamen esse ab ea fabula alienas. De Chori παρόδῳ. Multum esse Æschylum in auspiciis, et in omni animantium indole declaranda. Quid in eam rem Pythagorea disciplina contulerit. De Metamorphoseῶν ratione. Poeticum instrumentum ex ea parte non minui, augeri potius, introducta veritate. Jovem in Prometheo tyrannum, in Agamemnone justissimum haberi vindicem.

EORUM, quæ nos ex Prometheo potissimum de religione Æschyli disputavimus, hæc ferme summa erat; primo scripsisse eum gravissimo sensu mortalis hujus ægritudinis ac tristitiæ perculsum: deinde ad Deorum numen cuncta retulisse, non ad cœcam Fati normam, decretaque per fas et nefas eventum habitura; postremo, minime id dissimulare, nescire se, qua tandem ratione confusa hæc rerum colluvies cohæreat cum sapientia ac bonitate summi Ductoris; itaque conjecturam capi posse, tradi pro tempore hunc mundum quasi in manus tyranno. Nam ad tyrannum, eumque acerbissimum, perti-

nere Jovis partes in ea Tragœdia, nemini fore dubium opinor; Prometheo contra, tanquam unico vindici ac liberatori generis hominum, ubique conciliatur favor et gratia legentium. Habetis hic argumentum sane periculosum, sive agatur de ipsius Æschyli pietate ac sanctitate, sive de eorum hominum, qui tunc erant, solenni ac pervulgata super Diis immortalibus opinione. Quare non abs re erit, si hodie quæramus, an ulla ex parte mitigaverit eam sententiam, qua erat pietate ac prudentia, Æschylus; neque enim usquam quod sciam legimus eum ullo tempore in jus judiciumque venisse propter mala in Numen cæleste carmina, neque cum gemitu totius theatri, abominantis velut sacrilegum, excipi; id quod Euripidi aliquando accidisse non desunt boni auctores[a].

At vero de Æschylo nostro illud primum omnium monendum occurrit; etiam ex ipsius Promethei Vincti tenore spem subesse minime obscuram, fore ut aliqua saltem ex parte fluctuantibus de Deo animis adhibeatur solatium; quæque durius dicta videantur de persona Jovis illius, mortalium osoris, meroque et infinito imperio, non ratione, regentis omnia, ea fortasse, procedente fabula, leniantur interpretatione quadam haud incommoda.

Primum, quis nescit imperfectum esse opus? unam enim solam de tribus fabulis, quas de rebus gestis Prometheï ordine scripsit et docuit Æschylus, non invidit nobis temporis injuria. Quare, si quæ hic illic asperius videntur sonare, at fieri potuit, ut ea vel prius leniverit Poeta, præsensione quadam, in Prometheo, qui dicitur, Ignifero; vel amplissimis

[a] Sen. *Ep.* 115; Plutarch. *de Audiendis Poetis*, c. 4. i. 50. ed. Wyttenbach.

mitigaturus esset remediis, postquam fuerit ad ea perventum quæ ultima carminis parte dicturus erat, ad Promethea Solutum pertinentia. Certe si ad Agamemnoniam seriem respicies, invenies mancam prorsus ac debilem fore narrationem iræ Deorum in Pelopidas, ni forte omnibus numeris extaret adhuc perfecta atque integra fabula. Quare non sine magna ratione, an dicam instinctu quodam rationis simillimo, eum intulit sub fine Promethei Vincti rerum in scenis agendarum tenorem ac modulum, qui optime conveniat cum lite (ut ita dicam) pendente. Quis enim legentium, obsecro, facile ferat, relinqui se tali omnium rerum tumultu, nulla neque spe meliorum, neque satis certa præsentium defensione?

καὶ μὴν ἔργῳ κ᾽ οὔκετι μυθῷ
χθὼν σεσάλευται·
βρυχία δ᾽ ἦχω παραμυκᾶται
βροντῆς, ἕλικες δ᾽ ἐκλάμπουσι
στεροπῆς ζάπυροι, στρόμβοι δὲ κόνιν
εἱλίσσουσι, σκιρτᾷ δ᾽ ἀνέμων
πνεύματα πάντων, εἰς ἄλληλα
στάσιν ἀντίπνουν ἀποδεικνύμενα·
ξυντετάρακται δ᾽ αἰθὴρ πόντῳ·
τοίαδ᾽ ἐπ᾽ ἐμοὶ ῥιπὴ Διόθεν
τεύχουσα φόβον στείχει φανερῶς·
ὦ μητρὸς ἐμῆς σέβας, ὦ πάντων
αἰθὴρ κοινὸν φάος εἱλίσων,
ἐσορᾷς μ᾽, ὡς ἔκδικα πάσχω.

Hic, ne gravemur semel dictum repetere, vel aurium pæne judicio commonentur lectores, muniri quodammodo ad ulteriora viam; ne forte vehementius desiderent congruam divino Numini æquitatem.

Præterea, spargi videmus hic illic indicia non adeo obscura Æschylei de liberando Prometheo con-

silii. Nempe erat aliquando dicturus Prometheus de nuptiis illis periculosis supremi Jovis; non prius tamen, quam Herculis ope fuerit ipse tum a vulturis morsu, tum a diro et scopuloso carcere solutus. Herculei autem auxilii ratio, quantum quidem eam augurari licet vel ex ipsius Æschyli fragmentis, vel ex ambiguis rarisque aliorum vocibus, in eo omnis erat posita, ut primum Hercules ipse captivitatem quandam, deinde Chiron, Herculis vulnere domitus, sponte subiret mortem, Promethei causa[b]. Ex quo efficitur, non sine vicaria quadam ac voluntaria malorum tolerantia conciliari inter se, juxta Æschylum, dissidentia propter hominem Superorum studia; Herculea scilicet vi, virtute, benevolentia: ita tandem evenisse, ut Jovem non Maximum modo verum etiam Optimum colere possent mortales.

Diximus, ut in obscurissima re, de Prometheæ fabulæ exitu. Sed melius erat conjecturis tandem supersedere, et ex Agamemnone Scriptorem ipsum interrogare, quanam is mente fuerit, senior jam factus, vel in vexatissima de Fato quæstione, vel in iis quæ pertinent ad religiones Deorum. Ac de Fato quidem satis superque jam ante dictum est; cum et Clytæmnestra, mulierum teterrima, vocata in jus, ejus potentiam excuset, et expressis verbis neget Chorus, levari posse isto modo sceleris ultro concepti flagitium. Veniamus ad id, quod in omni hoc genere caput est ac principium. Quæramus, an ex Æschyli sententia culpam semper pœna, virtutem favore prosequatur divinum ac cæleste

[b] Apollod. *Biblioth.* II. 5, 11, 12. *ὃς καὶ τὸν Προμηθέα διέλυσε, δεσμὸν ἑλόμενος τὸν τῆς ἐλαίας, καὶ παρέσχε τῷ Διὶ Χείρωνα θνήσκειν ἀθάνατον ἀντ' αὐτοῦ θέλοντα.*

imperium. Profecto inveniemus, intertextum esse quodammodo istiusmodi documentis universum harum trium tragœdiarum tenorem: nam quæ de Agamemnonis summa ratione sunt dicta, ad Choephoras eadem, maximam partem, atque ad Eumenidas pertinent. Tres, inquam, Tragœdiæ uno quasi filo decurrunt: id modo interest, quod quæ rerum series initio multis erat implexa nodis, ea simplicior in Choephoris, simplicissima fit in Eumenidum *ἐπιλόγῳ*; evolvente se divinitus eventorum ordine, atque in manus explorantis quodammodo occurrente. Isque ordo poeticæ narrationis cum ordine divinæ vindictæ ita congruit, ut quicunque illum indagare velit, ei necesse sit hanc etiam una deducere. Quare venia sit nobis hodie deflectentibus nonnihil de cursu suscepti operis, et accuratius paullo tractantibus non modo ea quæ palam et aperte ejus qui scripsit religionem declarare valeant, verum etiam ipsius scripti genus, et universam Agamemnonis *οἰκονομίαν*.

Principio, miretur fortasse aliquis, cum sit negotium adeo grave et atrox, *προλογίζειν* comicum fere militem. Nam eo nomine non inepte appelles: non quo putem, de industria sermonibus ejus inspergi dicacitatis aliquid; vix enim ridicule, certe non scurriliter loquitur: verum id Comœdiæ proprium intelligere soleo, quodcunque in hoc quotidianæ vitæ curriculo, atque in trivialibus hominum negotiis curisque versatur: cujusmodi sunt hujusce servi tum de vigiliis diuturnis querelæ[c],—

> *εὖτ' ἂν δὲ νυκτίπλαγκτον ἐνδρόσον τ' ἔχω*
> *εὐνὴν, ὀνείροις οὐκ ἐπισκοπουμένην,*
> *ἐμοὶ φόβος τότ' ἀνθ' ὑπνοῦ παραστατεῖ*
> *τὸ μὴ βεβαίως βλέφαρα συμβαλεῖν ὕπνῳ·—*

[c] *Agam.* 11.

tum etiam mentio non obscure facta Clytæmnestræ in maritum peccantis [d]:

> τὰ δ' ἀλλὰ σιγῶ· βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ μέγας
> βέβηκεν· οἶκος δ' αὐτός, εἰ φθογγὴν λάβοι,
> σαφέσταθ' ἂν λέξειεν.

Id utique pertinebat ad artificium poeticum, ut omnia principio summa tranquillitate procederent; ne forte orituram modo procellam non anteiret serena, ut fit, cæli facies.

Eadem ratio est ingredientis in scenam Pythiæ, sub initio Eumenidum; quæ si videatur alicui paullo ineptius terere tempus, enarrando prolixius veterem locorum religionem [e]:—

> πρῶτον μὲν εὐχῇ τῇδε πρεσβεύω θεῶν
> τὴν πρωτόμαντιν Γαῖαν, ἐκ δὲ τῆς Θέμιν:—

vereor ne is non satis recte fuerit assecutus Æschyli consilium, sternentis hoc modo viam ad horribilem Furiarum introitum.

> ἢ δεῖνα λέξαι, δεῖνα δ' ὀφθαλμοῖς δρακεῖν,
> πάλιν μ' ἔπεμψεν.

Sentitis, eo atrocius fore spectaculum, quo magis sit improvisum, et quo se durius quodammodo res atrox in solennem vivendi et cogitandi cursum impingat. Scilicet *ἐναντία, παραλληλὰ μᾶλλον*.

Atque in eo loco plurimus est omnium, uti nostis, Shaksperus noster; non sine magna nonnullorum, qui criticos se haberi volunt, offensione: cum is nusquam ferme vereatur miscere cum rebus atrocissimis et miserrimis res quam maxime ridiculas. Exempli gratia, Macbethe jam regem jugulante, insulsa quædam jocatur ante fores janitor [f].

[d] *Ibid.* 35. [e] *Eum.* 1.
[f] *Macbeth*, Act. ii. Sc. 3; *Hamlet*, v. 1.

Quin et Opheliæ mœstissimum funus auspicatur fossorum par, inter se suo more rustice et intempestive garrientium. Sexcenta sunt alia, quæ nemini non venient in mentem.

Neque vero eam rem solis poetarum acuminibus, Tragicoque artificio deberi crediderim. Nimirum istis non modo quasi contrariis percellitur, erigitque se animus, sed et profundiore quodam humanæ sortis sensu tangitur; veramque mortalitatis nostræ effigiem agnoscit, molestis illis subitisque rerum conversionibus. Extitit etiam hac memoria vir magnus, acer, memorabilis, qui afflicto exercitu, ipse fere capitis minor, confessus est Fortunæ lapsum vel eo fieri acerbiorem, quod proxime absit a ludo atque joco[f]. Nefarie ille quidem et atrociter, qui luserit in suo flagitio; id tamen peracute ac verissime dictum, pertinere omnino ad malorum cumulum, quod rei cujusque magnæ miserrimæque vicinia referta sit adeo ludibriis atque nugis. Anguntur infelices, (quippe teneriore semper animo) veluti Numinibus ipsis irridentibus, si quod fortasse medio in luctu vulgare, triviale, ridiculum occurrat. Ac fieri potest, ut tale aliquid in causa sit, cur tot res leviculæ per se ac ludicræ lævorum ominum loco habeantur, non modo veterum Etruscorum judicio, sed et omnium fere hominum, quibus ulla sunt curæ auguria. Utcunque erit, arbitror equidem non bene actum iri cum Tragœdia, siquis, recentiorum Gallorum more, ex ejus finibus exulare prorsus jubeat comicas id genus personas. Eam certe quam nos tractamus fabulam mancam atque debilem fore censeo, detractis garruli licet custodis partibus; quæ

[f] Scott, *Life of Napoleon*, vii. 393.

et tranquillare animum pro tempore videantur, et obscure dubia significent pericula.

Venio nunc ad Chori *πάροδον*, cujus is maxime est tenor, ut non modo mala imminere doceat, verum etiam ea mala, quæ pœnæ rationem habeant. Pœnam, inquam, tacite minatur narratio ista, nonnemini forte longiuscula, de auspiciis Aulide servatis, pari videlicet aquilarum sævientium in caput misellæ leporis, quam cum ipso fœtu devorabant [g].

πέμπει ξὺν δορὶ καὶ χερὶ πράκτορι
θούριος ὄρνις Τευκρίδ' ἐπ' αἶαν
οἰωνῶν βασιλεὺς βασιλεῦσι νε-
-ῶν, ὁ κελαινὸς, ὁ τ' ἔξοπιν ἀργᾶς,
φανέντες ἴκταρ μελάθρων, χερὸς ἐκ δορυπάλτου,
παμπρέπτοις ἐν ἕδραισιν,
βοσκομένοι λαγίναν, ἐρικύματα φέρματα, γένναν,
βλαβέντα λοισθίων δρόμων.

Ex quo intelligitur, Trojæ quidem imminere excidium, sed magno cum periculo victorum ab irata Diana; cujus tamen iræ nulla prorsus redditur ratio. Verum id, credo, sibi vult omen, ut sciant mortales, nullo modo placere posse benigno Numini, nedum Dianæ sylvarum præsidi, causam eam, quæ habeat initium immane adeo et atrox in genus ferarum [h]:

τόσον περ εὔφρων ἁ κάλα
δρόσοισιν ἀέπτοισι μαλερῶν λεόντων,
πάντων τ' ἀγρονόμων φιλομάστοις
θηρῶν ὀβρικάλοισιν.

Quare tangit hoc loco Poeta rem inter paucas gravissimam, et tum sacrosanctæ religionis tum tenerrimi affectus plenissimam: consentire videlicet mirandum in modum cum Diis hominibusque feras etiam et volucres, et cætera ratione carentia; adeo ut vix fieri possit, quin eorum voce, gestu, motu, sive in altum tollantur, seu dejiciantur et lan-

[g] *Ibid.* 110. [h] *Ibid.* 137.

gueant animi. Omnibus igitur temporibus vulgo est creditum, præsensione quadam canes certe et equos divinare quæ sint futura domi infortunia; quin et indiciis non adeo obscuris, quantum in se est, monere. Hic augurum et aruspicum ferme campus; hinc locutus Achillis equus; hinc quæ plurima viguerunt apud majores nostros commenta, cum illustri cuique familiæ suum quasi nuntium instantis forte mali tribuerent, seu volucrem seu quadrupedem, non sine Diis edentem omina. Novimus etiam præstanti artificio scriptorem, qui gratiam lectoris vel eo præcipue captaverit, quod generosi canis fortunas filo velut uno cum fabulæ suæ tenore decurrere non semel voluerit.

Jam Æschylo nostro valde placuisse istam, seu philosophiam, sive superstitionem appelles, testimonio sint ipsius carmina; qui primum delicatissimo flexu, velut qui in suis versetur deliciis, variare ac deducere solet eas potissimum similitudines, quæ a moribus pecudum et ferarum petuntur. Exempli loco sit dulcissima Supplicum cantilena[i]:

> *ἴδε μέ ταν ἱκέτιν φυγάδα περίδρομον*
> *λευκόστικτον ὡς δάμαλιν ἀμπέτραις*
> *ἡλιβάτοισιν· ἀλκᾷ*
> *πίσυνος μέμυκε φρίζουσα βοτῆρι μόχθους.*

Profecto qui ita scripsit, is necesse est non solum oculo intento, verum etiam affectu non levi, pecudum mores et studia contemplatus fuerit.

Quid? Cassandra jamjam moritura nonne ex se quodammodo rapitur, atque in sublime evolat, mentione modo facta lusciniæ cantantis? Nimirum Chorus, qui mos est vulgo hominum, avis ejus vocem, quippe noctu fere auditam, contulerat cum flebilibus

[i] *Suppl.* 354.

Cassandræ modis, velut solis aptam natam lamentis et ejulatibus [k].

> *φρενομανής τις εἶ θεοφόρητος, ἀμ–*
> *–φὶ δ' αὐτᾶς θροεῖς*
> *νόμον ἄνομον, οἷά τις ξουθὰ*
> *ἀκόρετος βοᾶς, φεῦ, ταλαίναις φρεσὶν*
> *Ἴτυν, Ἴτυν στένουσ' ἀμφιθαλῆ κακοῖς*
> *ἀηδὼν βίον.*

His, ut diximus, popularem de luscinia fabulam secutus est Chorus: quum enim, ea cantante, sibi finxerant aures hominum nomen Ityos sæpius repeti, (quod quidem fieri credibile est propter similitudinem quorundam sonorum,) statim cum ejus cantu, nocturno præsertim, lugubria omnia ac tristia conjungere cœperunt. Ita Virgilius, notissimo carmine:

> Qualis populea mœrens Philomela sub umbra
> Flet noctem, ramoque sedens miserabile cantum
> Integrat, et mœstis late loca questibus implet.

Ita Miltonus non semel eo cantu significari censet sive amore captum animum, seu turbarum ineptiarumque pertæsum. Homerus autem, ut in his rebus erat semper naturæ verique unice studiosus, ita cum opinione vulgi veterumque fabula videtur consentire, ut lusciniæ melos repræsentet nobis non tam lugubre quam mobile et inquietum [l],

> *ὡς δ' ὅτε Πανδάρεως κουρὴ, χλωρῆϊς ἀηδὼν,*
> *κάλον ἀείδησιν, ἔαρος νεὸν ἱσταμένοιο,*
> *δένδρεων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν'—*

qui quidem versus optime notat morem illum ejus volucris proprium, quod ea, dum canit, abdere se plerumque gestit in densissimis arborum ramis:—

> *ἥ τε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνὴν,*
> *παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον, ὅν ποτε χαλκῷ*

[k] *Agam.* 1109. [l] *Od.* xix. 518.

κτεῖνε δι' ἀφραδίας, κοῦρον Ζήθοιο ἄνακτος·
ὡς καὶ ἐμοὶ δίχα θυμὸς ὀρώρεται ἔνθα καὶ ἔνθα.

Videtis in eo rem verti, ut quicquid varium sonet ac mutabile, id optime lusciniæ cantantis indolem exprimat.

Verum ad Æschylum redeamus, atque ad Cassandram ejus: quæ, ut dixi, memorata Philomela, non ut cæteri, luctus eam habet exemplar, sed lætæ magis atque otiosæ vitæ.

Ἴω, λιγείας μόρον ἀηδόνος,
περίβαλον γὰρ οἱ πτεροφόρον δέμας
θεοὶ, γλυκύν τ' αἰῶνα κλαυμάτων ἄτερ·
ἐμοὶ δὲ μίμνει σχισμὸς ἀμφήκει δορί.

Hæc proxime absunt a voto sacrosancti Vatis[k]:

ἡ καρδία μου ἐταράχθη ἐν ἐμοὶ,
καὶ δειλία θανάτου ἐπέπεσεν ἐπ' ἐμέ·
φόβος καὶ τρόμος ἦλθεν ἐπ' ἐμὲ,
καὶ ἐκάλυψέ με σκότος·
καὶ εἶπα, τὶς δώσει μοι πτέρυγας ὡσεὶ περιστερᾶς;
καὶ πετασθήσομαι καὶ καταπαύσω·
ἰδοὺ, ἐμάκρυνα φυγαδεύων,
καὶ ηὐλίσθην ἐν τῇ ἐρήμῳ.

Illud interest, quod in Psalmo pennas tantum optat infelix, quibus semel in tutum possit migrare; Cassandra percelli se significat miris ejus vitæ deliciis, quam, ut auguramur, canoræ volucres inter ter folia floresque sylvestres degunt. Ac mihi certe lusciniæ vox præ se plerumque ferre videtur γλύκυν αἰῶνα κλαυμάτων ἄτερ. Adeo in hac quoque re non modo plus vidit Æschylus noster quam vulgus Poetarum, verum etiam, curiosa quadam felicitate, assumit sibi velut partes canoræ alitis, et totum se in ejus personam transfert.

[k] *Psalm.* lv. 4.

At enim alio in loco tribuit eidem mœstissimam omnium næniam [1].

> *εἰ δὲ κυρεῖ τις πέλας οἰωνοπόλων*
> *ἔγγαιος, οἶκτον οἰκτρὸν αἴων,*
> *δοξάσει τις ἀκούων*
> *ὅπα τᾶς Τηρείας*
> *μητίδος οἰκτρᾶς ἀλόχου,*
> *κιρκηλάτου τ' ἀηδόνος.*

Quærat aliquis, ecqua ratione satis hæc inter se cohæreant, ut unius alitis una vox proponatur nobis in exemplar, hic lætitiæ, illic mœroris? Sed audienda quæ sequuntur:

> *ἃ τ' ἀπὸ χώρων ποταμῶν τ' εἰργομένα*
> *πενθεῖ νέον οἶκτον ἠθεών·*
> *ξυντίθησι δὲ παιδὸς*
> *μόρον, ὡς αὐτοφόνως*
> *ὄλετο πρὸς χείρος ἑό, ἐν*
> *δυσμάτορος κότου τυχών.*

Ex his efficitur, invita, ut aiunt, Minerva, lusciniam exercere se in flebilibus modis; nempe ubi propter accipitris metum arceri se gemit a consuetis amnibus arvisque. Tum demum Philomelæ refert imaginem, lugentis triste nati exitium.

Hæc ideo argutius exequenda videbantur, ut in hac certe avium dulcissima constaret quid posset Poetæ tum oculus acerrimus, tum propensus in sylvarum amœnitates animus.

Qua quidem indole fuisse Æschylum vel ex eo plenius apparet, quod is cura et amore prosequitur non modo mansuetioris generis animalia, eaque quæ solent hominibus esse in deliciis, verum et ea, quæ plerisque habentur odiosa, vel propter morum immanitatem, vel propter vitam victumque nimis horridum atque asperum. Apud eum, ut

[1] *Suppl.* 59.

vidistis, Diana se vindicem præbet non cicurum bestiarum pullis, sed *δρόσοισιν ἀέπτοις μαλερῶν λεόντων.* Est etiam ubi splendidissimo carmine fingit nobis leænæ catulum domi forte a quopiam ali, ac sero tandem sævire incipere: qui versus manum scriptoris produnt ejusmodi lusu non inexpertam [m].

ἔθρεψεν δὲ λέοντα
σίνιν δόμεις ἀγάλακτον οὖ-
τως ἀνὴρ φιλόμαστον,
ἐν βιότου προτελείοις
ἄμερον, εὐφιλόπαιδα,
καὶ γεραροῖς ἐπίχαρτον.
πολέα δ' ἔσχ' ἐν ἀγκάλαις
νεοτρόφου τέκνου δίκαν
φαιδρωπὸς ποτὶ χεῖρα, σαί-
νων τε γαστρὸς ἀνάγκαις.

Deinde, ubi ventum est ad cædem et ad crudeles epulas, videte quam leniter verbis agat Poeta, tanquam de crimine sui cujusdam alumni.

χρονισθεὶς δ' ἀπέδειξεν
ἔθος τὸ πρὸς τοκέων· χάριν
γὰρ τροφοῖσιν ἀμείβων
μηλοφόνοισιν ἄγαισιν
δαῖτ' ἀκέλευστος ἔτευξεν.

His omnino consentanea sunt, quæ habentur sub initio Agamemnonis, de vulturum pullis nido exturbatis, deque orborum parentum gemitu:

τροπόν αἰγυπίων, οἵτ', ἐκπατίοις
ἀλγέσι παίδων, ὕπατοι λεχέων
στροφοδινοῦνται
πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι·
δεμνιοτήρη
πόνον ὀρταλίχων ὀλεσαντές.
ὕπατος δ' ἀΐων ἤ τις Ἀπολλὼν,
ἢ Πᾶν, ἢ Ζεῦς, οἰωνόθροον
γοὸν ὀξυβόαν
τῶνδε μετοίκων, ὑστερόποινον
πέμπει παραβᾶσιν Ἐρίνυν.

[m] *Agam.* 696.

Atqui sævitum erat, non ut ante, in leporem innoxium, sed in rapacium avium fœtus, Laresque: videtis tamen infaustam rem haberi, immo etiam delictum capite luendum, cum avibus adsint suæ Diræ, neque impune laturus sit aliquis commissa in eas maleficia.

Itaque his velut præludiis fingit animos tacite Poeta, tenetque arrectos in tristem pœnarum ordinem, jamjam imminentium hinc Trojanis, illinc Atrei et Pelopidarum domo. Verum ante quam ad ea progrediamur, paucissima sunt quæ dicta velim, ad eam partem poeticæ silvæ pertinentia, quam nos modo tetigimus: rationem nempe eam quam sequuntur magni Poetæ, cum de brutorum animalium indole, affectu, moribus agitur. Æschyli quidem nostri de ea re sententiam notam atque perspectam habemus, siquidem recte a Cicerone accepimus, illum non modo Poetam, sed et Pythagoreum[n] extitisse. Pythagoram autem norunt omnes ita sensisse de pecudibus et feris, ut intervallo non adeo ingenti secerneret eas ab humano genere. Quippe cum is diu multumque, ut perhibent, fuerit versatus in Oriente, mirum ni eam hauserit philosophiam, quæ negat animas vel morte extingui, vel in sempiternas statim migrare sedes: quin potius alia super aliis moriendo quasi induere corpora, et in novas perpetuo transire species,

> Donec longa dies perfecto temporis orbe
> Concretam exemit labem, purumque reliquit
> Æthereum sensum, atque aurai simplicis ignem:

tum demum, exacta pœna, in magnam mundi animam quodammodo absorberi. Atque ea philosophia satis acute tangit duas certe quæstiones, quibus

[n] *Tusc. Quæst.* i. 10.

acerrime torqueri solet ingeniosorum hominum natio. Mirantur videlicet, primum, quomodo ævo tam brevi seu bene seu secus acta mereantur agentibus mercedem in omne tempus: deinde, qui fieri possit, Deo O. M. imperante, ut innoxia brutorum genera participent adeo pœnam hominis, cujus non participaverint culpam. Utrumque nodum solvit ex aliqua parte Pythagorea, quam vocant, Metempsychosis: nam et tempus merendi pœnas vel præmia in infinitum plane extendit, et palam declarat, nihil immeritum pati videri quidquam animantium; nescimus enim plane, quantum quisque ante peccaverit, quam devenerit in eam speciem, qua frui hodie cum videmus. Quare nil mirum videri debet, addito adhuc supernæ veritatis lumine, si maxima pars sapientium in eam rationem, seu potius conjecturam, consensit; præsertim cum ea mirifice commendare se debuerit Poetis, quod genus cum Philosophiæ cultoribus familiaritatem præ cæteris intimam semper habuit. Ultro autem cernitis, opinor, quisquis poetarum ea fuerit opinione, illum oculo quodam proprio contemplaturum unumquodque animalium, et in profundius iturum cogitando, quid tandem sibi velint fata ejus atque mores, et universus vitæ mortisque tenor.

Atque illud fortasse erat, quod in prodigiosa illa *μεταμορφωσέων* serie tantum operis posuit ethnicorum Poesis: convenientibus illis non inepte cum somnio, quod diximus, philosophico. Quid enim aliud *μεταμόρφωσις* Ovidiana, atque Pythagorica *μετεμψύχωσις*, nisi quod illam citra mortem tactus divinæ vel magicæ potestatis effecerat? Itaque etiam ingeniosus ille verborum atque carminis artifex Pythagoram, suæ rationi patrocinantem, eleganter

narrat ea disputasse, quæ nullo negotio transferat aliquis in ipsius Ovidii commenta.

> Morte carent animæ, semperque, priore relicta
> Sede, novis domibus habitant vivuntque receptæ;
> .... Omnia mutantur, nihil interit: errat, et illinc
> Huc venit, hinc illuc, et quoslibet occupat artus
> Spiritus, eque feris humana in corpora transit,
> Inque feras noster; nec tempore deperit ullo.
> Utque novis fragilis signatur cera figuris,
> Nec manet ut fuerat, nec formas servat easdem,
> Sed tamen ipsa eadem est: animam sic semper eandem
> Esse, sed in varias doceo migrare figuras [o].

Hac disciplina qui semel imbutus fuerit, is haud parum profecisse putandus est in ea non solum philosophiæ verum et poeticæ veteris parte, quæ operam ponit in brutorum moribus, formisque; non contemnenda illa quidem, quæque nostro præsertim Æschylo imprimis grata et accepta fuerit.

Ac ne forte suspicetur aliquis, laborare ex hac parte Poesin hodiernam incommodo quodam suo, quod videlicet in auras abierint seu somnia ista sive opiniones, cognita semel divinitus immortalitate animæ; dicam, ut potero, quid sentiam, uno verbo; nam et materia per se non erit ingrata, et ad eam pertinet quæstionem, qua nihil habetur gravius, ne dicam sanctius, in omni re poetica. Intelligo eam, qua quæritur, utrumne bono Poeseos fato illata fuerit in mundum sacrosancta religio. Equidem, quod ad eas attinet imagines, quas petere solent Scriptores e natura animalium, non modo, mutatis sacris, nihil perdidisse Poesin judico, verum etiam omnibus numeris augeri et in melius promoveri. Primum, quia nos hodie docemur, non incerta et futili conjectura, sed certissimo Dei O. M. nuntio, curam

[o] *Metam.* xv. 158.

ab eo geri vel carentium ratione; ne minimam quidem aviculam in terram posse cadere, invito vel insciente Numine. Atque hac una re quantum majestatis accedat ad ea quæ oculis cernimus, nemo est, quin videat, nobis tacentibus. Quod si accipitrem vel leunculum, ab Homero Æschylove laudatum, cum honore quodam prosequimur; quid censetis ea, quæ cecinit vox vere divina[p]?

ἔθου σκότος καὶ ἐγένετο νὺξ,
ἐν αὐτῇ διελεύσονται πάντα τὰ θήρια τοῦ δρυμοῦ·
σκύμνοι ὠρυομένοι τοῦ ἁρπάσαι,
καὶ ζητῆσαι παρὰ τοῦ θεοῦ βρῶσιν αὐτῶν.
ἀνέτειλον ὁ ἥλιος καὶ συναχθήσονται,
καὶ ἐν ταῖς μάνδραις αὐτῶν κοιτασθήσονται.
ἐξελεύσεται ἄνθρωπος ἐπὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ,
καὶ ἐπὶ τὴν ἐργασίαν αὐτοῦ ἕως ἑσπέρας.

Videtisne non sine Deo fieri, ut cum diurnis ferarum quoque epulis somnisque mire conveniant vel maximæ orbium cælestium conversiones? Proinde animalia singula suum locum tenere in multiplici rerum choro; immania et odiosa in manu Dei esse, neque Eo imprudente quicquam nobis nociturum, neque per se, neque per genios malignos, quibus ea fortasse nonnunquam inserviunt.

Immo majus aliquid ac sanctius, ni fallor, indicant nobis sanctissimæ Chartæ de universo genere viventium. Didicimus enim, Spiritu oris Dei, nunc emisso nunc quasi retracto, deficere et recreari animalia: quippe de quibus dicatur,

ἀνταναλεῖς τὸ πνεῦμα αὐτῶν, καὶ ἐκλείψουσι
καὶ εἰς τὸν χοῦν αὐτῶν ἐπιστρέψουσιν·
ἐξαποστελεῖς τὸ Πνεῦμά σου, καὶ κτισθήσονται·
καὶ ἀνακαινιεῖς τὸ πρόσωπον τῆς γῆς.

Clamat alioqui Vates sacer,

ἀνθρώπους καὶ κτήνη σώσεις, Κύριε.

[p] *Psalm* civ. 20.

Sunt et plurima id genus: ex quibus efficitur, Poetis facilem fore jacturam Pythagorei illius de animis migrantibus somnii, cum inter homines et pecudes, teste jam superna Veritate, sanctior multo intercedat communio. Uterque suo modo participamus Illius, quem pia agnovit Antiquitas Κύριον καὶ ΔΟΤΗΡΑ ΖΩΗΣ· fontem vitæ non ejus modo quam hausit immortalis anima, verum et ejus quæ corpori convenit, vivasque vel pecudes mirabili movet instinctu.

Sunt hæc certe magna et gravia: est tamen, quod his etiam quasi cumuli loco accedat. Accepimus nempe e sacris literis, consentire animalia nescio quomodo cum genere nostro, tum languente, tum in melius enitente; miris enim modis, ut ait quidam [q],

> *συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν πᾶσα ἡ κτίσις.*

Neque pauca extant promissa vatum, eo, ut videtur, spectantia:

> *συμβοσκηθήσεται λύκος μετὰ ἀρνὸς,*
> *καὶ πάρδαλις συναναπαύσεται ἐρίφῳ,*
> *καὶ μοσχαρίον καὶ ταῦρος καὶ λέων ἅμα βοσκηθήσονται,*
> *καὶ παίδιον μικρὸν ἄξει αὐτούς* [r].

Consentaneum nempe erat, ut ex hominum salute fructum aliquem caperent etiam tribus animantium, qui non modo tempore diluvii, sed et omni loco ac tempore, propter hominum malitiam et peccata pœnis adeo gravibus plectuntur. Itaque, etsi minime negaverim, latere adhuc cum obscurissimis rebus, qua lege cum brutis agat Divina Bonitas, at videmus tamen omnia jam in libertatem vindicari, et certo scimus non defuturam illis, quæ nobis adeo profuit, misericordiam Numinis.

[q] *Rom.* viii. 22. [r] *Isai.* xi. 6.

Ad summam, non erit cur hodie desideret aliquis vel Pythagoræ vel Ovidii fabulam: Pythagorica tamen Æschylo nostro (ut ad eum revertamur aliquando) eo certe profuisse videntur, ut is plenius et gravius cantaverit sive omina sive similitudines, si quæ adhibendæ erant de ferarum moribus aviumque. Isti certe philosophantium familiæ facile probaturus erat consilium suum, quod vulturum quoque et leporum fortunas in proœmium Agamemnoniæ cladis recepit.

Et hactenus quidem tacite viam sibi muniit ad veram de Deo Vindice opinionem. Proximo loco, dedita opera Jovem directis verbis agnoscit rerum omnium gubernatorem, idque ex norma accuratæ justitiæ [r].

> *Ζεῦς, ὅστις ποτ' ἐστὶν, εἰ τόδ' αὐ-*
> *τῷ φιλὸν κεκλημένῳ,*
> *τοῦτό νιν προσεννέπω·*
> *οὐκ ἔχω προσεικάσαι,*
> *πάντ' ἐπισταθμωμένος*
> *πλὴν Διὸς, εἰ τὸ μάταν ἀπὸ φρόντιδος ἄχθος*
> *χρὴ βαλεῖν ἐτητύμως.*

Hic soleo mirari, quo tandem fato acciderit, ut crederet vir doctus, Æschylum pendere animi, de nomine solo anxium, quo debeat invocari Deus. Fateor equidem, sæpiuscule apud veteres occurrere velut formulas dubitationum ejusmodi. Sed ut in iis tarde adeo, ne dicam inepte, versetur carmen, id non erat gravitatis Æschyleæ: Euripidem melius decuerit, aut Ovidium.

Præterea, cum ea ratione non bene convenit reliquæ sententiæ tenor. Pergamus enim.

> *οὔδ' ὅστις πάροιθεν ἦν μέγας,*
> *παμμάχῳ θράσει βρύων,*
> *οὐδὲν ἂν λεξαὶ πρὶν ὤν·*

[r] *Agam.* 155.

ὅς τ' ἔπειτ' ἔφυ, τρι-
ακτῆρος οἴχεται τύχων·
Ζῆνα δέ τις προφρόνως ἐπινικία κλάζων
τεύξεται φρενῶν τὸ πᾶν.

Videtis agi non de diversis ejusdem Dei appellationibus, sed de diversis plane Diis, immo inter se pugnantibus. Nomen quod attinet, initio hujus carminis aperte declaraverat Chorus, se non multum laborare.

Ζεὺς, ὅστις πότ' ἐστιν, κ. τ. λ.

Quasi dicant, "Jovem, quicunque tandem is sit quem eo nomine delectari intelligimus, Optimum eundem atque Maximum, Jovem, inquam, unice salutamus. Quippe stat immota sententia, in eo solo spem omnem unice reponendam. Quod si vel veterum heroum annales vel recentium memoriam consulas, frigida profecto adibis oracula, nihil responsura quod veri sit instar solatii."

οὔδ' ὅστις πάροιθεν ἦν μέγας
παμμάχῳ θράσει βρύων
οὐδὲν ἂν λέξαι, πρὶν ὤν·
ὅσ τ' ἐπεῖτ' ἔφυ, τρι-
ακτῆρος οἴχεται τύχων.

"Quorsum enim petere ab iis auxilium, qui in nihilum ipsi evanuerant?"

Ζῆνα δὲ κ. τ. λ.

"Solus ille victor nemini unquam vincendus humi sternet, alium super alio, regum atque ducum, immo et philosophorum, apices. Eoque prudentior evadet quisque, quo lubentius accedet celebraturus victoriam Jovis, quoque integrius se totum addicet non hominum alicujus sed Dei Supremi partibus." Vocem sane adyto dignissimam, quæque

non prorsus aliud sonet atque effatum illud vere divinum [s]:

ἐπετίμησας ἔθνεσιν, καὶ ἀπώλετο ὁ ἀσεβής·
τὸ ὄνομα αὐτῶν ἐξήλειψας εἰς τὸν αἰῶνα καὶ εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος·
τοῦ ἔχθρου ἐξέλειπον αἱ ῥομφαῖαι εἰς τελος,
καὶ πόλεις καθεῖλεν· ἀπώλετο τὸ μνημόσυνον αὐτῶν μετ' ἤχους·
καὶ ὁ ΚΥΡΙΟΣ εἰς τὸν αἰῶνα μενεῖ·
ἡτοίμασεν ἐν κρίσει τὸν θρόνον αὐτοῦ·
καὶ αὐτὸς κρινεῖ τὴν οἰκουμένην ἐν δικαιοσύνῃ,
κρινεῖ λαοὺς ἐν εὐθύτητι.

Neque vero non id sanctioris doctrinæ, quod proximo loco docemur, adhiberi a summo Rectore calamitates etiam in animarum purgationem, atque in vitiorum remedium. Jovem enim laudat nobis,

τὸν φρονεῖν βροτοὺς ὁδωσάντα, τὸν πάθει μάθος
θέντα κυρίως ἔχειν.

Ergo, si Æschylum audiemus, non cæco nescio quo rerum ipsarum sese evolventium filo, sed ipsius Dei liberrima voluntate ac lege factum est, ut semper aliquid patiendo addiscerent homines.

στάζει δ' ἐν θ' ὕπνῳ πρὸ καρδίας
μνησιπήμων πόνος, καὶ παρ' ἄκοντας ἦλθε σωφρονεῖν.

Exquisite, ut mihi quidem videtur, ponit nobis tacita conscientiæ documenta, quasi rorem de cœlo, stillare: qualia in somniis quoque adsint coram solicita vigilique mente. Postremo, ne cui veniat in mentem, cogitationes eas sponte oriri, nullo, quod sciant homines, superorum auxilio; en clausulam dulcedine ac pietate plenam!

δαιμόνων δέ που χάρις βίαιος,
σελμὰ σεμνὸν ἡμένων.

Ac nescio an nemo prorsus Ethnicus, excepto Æschylo, pervenerit in eum sacrosanctæ philosophiæ

[s] *Psalm.* ix. 5.

gradum, ut intimas quoque dormientium cogitationes non modo cerni putaret oculis, verum etiam quasi manu duci, taciteque formari atque fingi per summum Illum Artificem: itaque in secreta lectulorum nostrorum derivari quodammodo vim e solio Dei.

Habetis gravissimi carminis exordia, quæ fusius paullo exponere decreveram; primum, quoniam ea vehementer pertinebant ad explicandam Æschyli nostri de rebus sacris opinionem. Quid enim? qui Jupiter in Prometheo partes egerat immanissimi omnium tyranni, idem in Agamemnoniis fabulis non modo bonum se præbet, sed dulcem etiam, cum errantibus animis comiter adeo viam monstret atque aperiat. Ac videte, qua diligentia veneretur et laudet Scriptor nomen ipsum Jovis; ut non absurde conjiciat aliquis, canere eum παλινῳδίαν quandam, non ex formula, sed tacite, propterea quod idem in Prometheo nomen asperius paullo ac durius tractaverat: crederes vel interventu Herculis, vel alio quodam ritu, res in concordiam et in æquitatem rediisse.

Est etiam altera causa (fatebor enim) cur in hac Chori cantilena tantum operis ponendum hodie decrevissem. Videlicet indigna ferme res solet videri, (si tamen eam non nimis acute cernimus) quod nonnullis usu venit, ut quoties sive Æschylus sive Homerus, sive quis alius vatum majus aliquod et sanctius quam pro communi captu cecinerit, statim detorqueant magnorum Poetarum sententias, et in deterius mutare incipiant: quod scilicet cum homine Ethnico vix et ne vix quidem congruere judicent eam rei sacræ notitiam. At enim meminerint velim, primo, placuisse nonnunquam æterno Numini, documenta cum maxima tum ve-

rissima enunciari mortalium, immo inimicorum, ore, ipsis quid loquerentur inscientibus. Deinde, nolo equidem eam perspicaciam, qua se illi tantopere jactant, minuendæ rerum omnium sanctitatis; inamabilis certe et invida quædam sapientia, (si modo sapientiam appellare licet) quæ voces et verba quæque nobiliora acute desecrat interpretationibus suis; quasi vero omnino sit prohibitum, vel sacra vel sacranda certe dona ferri Syrorum quoque humeris et Chaldæorum. Postremo, non facile sinit neque philosophia neque viva et vera Religio, deflecti de via simplicem carminis sensum, ni sit gravis aliqua necessitas; qualem ne excusent quidem illi, qui tam arctis limitibus concludi volunt veterum Scriptorum, sive de Summo Bono, sive de Natura Deorum, sive de Fato et Providentia sermones.

Quapropter non invitus feci, ut unam certe hanc cantilenam, pro mea virili parte, vindicarem in melius; misere, ut dixi, interpretum acumine detortam: præsertim cum ejus ope planius fiat multo Æschyli consilium in universo Agamemnonis decursu. Jam enim certo scimus, id quod obscurius docuerant volucrum et leporum auguria, Tragœdiæ hujus eam maxime vim fore, ut Deum hominibus proponat sero sed serio bonis patrocinantem, certissimum vero immerentium sanguinis, et castimoniæ violatæ ultorem. Quo in argumento supersunt dicenda bene multa; eorum autem præcipua certe capita percurram, si potero, Academici, alio tempore.

PRÆLECTIO VIGESIMA.

Æschylum in Tragœdiis tribus ultimis vindicias egisse Summi criminum Ultoris. Eo pertinere tum Iphigeniæ, tum Helenæ et Trojæ eversæ mentionem sæpius repetitam; maxime autem Clytæmnestræ et Cassandræ personas.

ANTEQUAM ad eas res aggrediar, quas a me postulat cursus hodiernæ orationis, pauca sunt, quæ dicta velim, ad Æschyli nostri studia et indolem pertinentia: constare eum sibi videlicet, ut qui maxime, annis vergentibus, atque eundem plane prodire in tribus hisce Tragœdiis, qui junior in Persis et in Prometheo fuerit. Id quod equidem ingenii primarii magno esse documento crediderim.

Certe quidem vigere ibi videmus integerrimos Attici civis nautæque spiritus: qui primum, Persici apparatus memor, sibi regem illum solum vere regium fore significat, qui neque sumptu neque fastu nimio se super aliis hominibus extollat[a].

καὶ τἄλλα μὴ γυναικὸς ἐν τρόποις ἐμὲ
ἄβρυνε, μήδε, βαρβάρου φωτὸς δίκην,

[a] *Agam.* 891.

χαμαιπετές βόαμα προσχάνης ἐμοί·
μήδ' εἵμασι στρώσασ' ἐπίφθονον πόρον
τίθει· θεούς τοι τοῖσδε τιμαλφεῖν χρεών.
ἐν ποικίλοις δὲ θνητὸν ὄντα κάλλεσι
βαίνειν, ἐμοὶ μὲν οὐδαμῶς ἄνευ φόβου.
λέγω κατ' ἄνδρα, μὴ θεὸν, σέβειν ἐμέ.

Ecquis dubitet, Poetæ in animo fuisse, quo tempore ista scribebat, infaustam Xerxis et satraparum arrogantiam?

Acutum et illud, quod interroganti uxori [b],

τί δ' ἂν δοκεῖ σοι Πρίαμος, εἰ τάδ' ἤνυσεν;

ita respondet Agamemnon, ut tacite studia et mores suorum cum Barbaricis conferre videatur:

ἐν ποικίλοις ἂν κάρτα μοι βῆναι δοκεῖ.

Quid multa? qui sibi perodiosos fore monstraverat in Prometheo Tyrannos, in Persis Barbarorum genus, is insigne et regii et Hellenici nominis exemplar esse Agamemnona suum voluit.

Illud etiam non inepte neque injucunde notari arbitror, quod qui Salamine non sine gloria dimicaverat, immo etiam pugnam istam nobilitaverat unus omnium maxime carminibus suis, is senilibus quoque curis insperserit signa non dubia neque mediocria animi in rem nauticam propensi, et bene callentis eam præsertim militiam. Ejusmodi sunt tum ea, quæ significant oculum gnarum tempestatum et calamitosi Oceani [c];

ὁρῶμεν ἀνθοῦν πέλαγος Αἰγαῖον νεκροῖς
ἀνδρῶν Ἀχαιῶν, ναυτικῶν τ' ἐρειπιών·

tum quibus Eumenides canunt plagas impiorum, veluti cum procellis scopulisque misere conflictantium [d]:

τὸν ἀντίτολμον δὲ φαμὶ παραιβάδαν,
τὰ πολλὰ παντόφυρτ.... ἄνευ δίκης,

[b] *Agam.* 908. [c] *Ibid.* 642. [d] *Eum.* 556.

βιαίως ξὺν χρόνῳ καθήσειν,
λαῖφος ὅταν λάβῃ πόνος,
θρανομένας κεραίας·
καλεῖ δ' ἀκονόντας οὐδέν· ἐν μέσᾳ
δυσπαλεῖ τε δίνᾳ·
γελᾷ δ' ὁ δαίμων ἐπ' ἀνδρὶ θερμῷ,
τὸν οὔποτ' αὐχοῦντ' ἰδὼν ἀμηχάνοις
δύαις λέπαδνον, οὔδ' ὑπερθέοντ' ἄκραν·
δι' αἰῶνος δὲ τὸν πρὶν ὄλβον
ἕρματι προσβάλων δίκας,
ὤλετ' ἄκλαυστος, ἀΐστος.

Religio plane esset hic omittenti nobile illud, Cassandra loquente, carmen [e]:

καὶ μὴν ὁ χρησμὸς οὔκετ' ἐκ καλυμμάτων
ἔσται δεδορκὼς, νεογάμου νύμφης δίκην,
λαμπρὸς δ' ἔοικεν ἡλίου πρὸς ἀντόλας
πνέων ἐσήξειν, ὥστε κυμάτος δίκην
κλύζειν πρὸς αὐγὰς τοῦδε πήματος πολὺ
μεῖζον.

Videtisne, Æschylo aliud agenti nullo negotio venire in mentem matutinum jubar, medio Oceano; quibusque id modis cadere soleat in fluctus mane novo commotos? Sane scriptorem declarant ista non inexpertum rei maritimæ, et in ea libentissime morantem.

Sed hæc hactenus. Etenim *πάρεργα* sunt tantum, quod ad has certe tres Tragœdias attinet. Rem videlicet Æschyleam nos eo jam deduximus, ut credibile sit, Poetam in nobili *τριλογίᾳ*, quæ ab Agamemnone incipit, alium longe ac vulgus Tragœdorum proposuisse sibi finem suscepti operis. Illis enim plerumque in animo est, familiæ cujusdam seu forte reipublicæ fortunas ad eum exitum perducere, qui diu jam ante cognitus sit et perspectus. Æqui-

[e] *Agam.* 1149.

tatem non adeo curant, modo ingenioso quodam eventorum orbe rem quo opus sit deferant. Verbi gratia: quid aliud agit vel ipse Sophocles in laudatissimo illo Œdipo, quam veluti mactandum tradit, devoto capite, virum non modo innoxium sed etiam optime de omnibus meritum, rebus tam acute, tamque concinne dispositis in ejus exitium, quasi pro ludo ac deliciis habeat Numen, ponere laqueos immerentibus? Æschylus longe aliter, neque paullo melius: qui nimirum id præcipue, sibi velit ut Deorum, rationes, quibus illi mortalia gubernent, tum ipse tueatur, tum cæteris tradat tuendas. Continetur summa ejus Tragœdiarum, non narrando quid sit factum Agamemnone, Prometheo, Œdipode, sed explicatione clara et illustri consiliorum a Summo Rectore de uniuscujusque fortunis initorum.

Jam quisquis istud quasi filum manu tenens seriem illam Agamemnoniam diligenter evolvet, ejusmodi ferme, ni fallor, inveniet partium ejus discrimen, ut primum in ipso Agamemnone, per nubes et caliginem, cogitatione præcipiant homines venturam longo post tempore Dei ultionem, partim expressis vaticiniis, partim re ipsa docti, fore aliquando qui supplicium sumat. Gravissima deinde in Choephoris oracula, Deorumque diserta jussa ac ministros habemus. Denique Eumenides tertio loco rem omnem conficiendam ipsis Numinibus committunt, Apollini videlicet ac Minervæ, supremæ illius voluntatis interpretibus. Nodus igitur, qui dicitur, universi Poematis, in Agamemnone primum nectitur, deinde in Choephoris implicatior fit ac durior, postremo apud Eumenidas ita solvitur, ut non tam divini consilii rationem exponat, quam

silere jubeat homines coram Dei O. M. majestate.

Quid hæc sibi velint, planius apparebit, sumentibus nobis iterum in manus telam quam incepimus texere. Diximus, Æschylum universa hac serie litem illam suam cum Jove summo, in Prometheo institutam, componere: eo autem præ cæteris spectare nobilem Chori sub initio fabulæ *παρόδον*, qua tanquam ex adyto declaretur divina vis atque bonitas, quoque modo ea tacite derivari soleat in mentes hominum, etiam per insomnia et terrores nocturnos [f]:

> *δαιμόνων δέ που χάρις βίαιος,*
> *σέλμα σέμνον ἡμένων.*

Graviter profecto et exquisite docet, invitis etiam et reluctantibus prodesse gratiam benigni Numinis. Nolo autem reprehendat aliquis Æschylum, tanquam is religioso quidem animo, sed loco minime opportuno, Jovem prius invisum laudare gestierit. Quin hujusmodi ferme, ni fallor, series nexusque est nobilissimi carminis. Obscure vaticinatus erat Calchas, fore ut Achivis sacrificii cujusdam infausti necessitas ob iratam Dianam immineat, deinde non diu cessaturam innoxii sanguinis ultionem. His tanquam ominibus Chorus obstupescens, eo confugere, quo decet cordatos senes; nempe ad consilium supremi Illius Gubernatoris; quod idem et justissimum autumantur, et certissimo fore eventu. Ita tandem, tranquillo ac stabili animo, pergit Chorus Iphigeniæ mentione.

Atque totius ejus loci vis est ea potissimum, ut

[f] *Agam.* 175.

Agamemnonis ipsius cædem a suspicione injuriæ vindicet, alioqui non bene cum Deorum æquitate congruentem. Quo argumento ad fastidium usque tueri se vult, parricidii rea, Clytæmnestra. Miratur scilicet, Agamemnona dignum videri, cujus cædem Chorus dolore et ira prosequatur[g];

> ὃς οὐ προτιμῶν, ὡσπέρει βοτοῦ μόρον,
> μήλων φλεόντων εὐπόκοις νομεύμασιν,
> ἔθυσεν αὐτοῦ παῖδα, φιλτάτην ἐμοὶ
> ὠδῖν', ἐπῳδὸν Θρῃκίων ἀημάτων.

Eadem ratione vel corpus mariti contumelia recte affici confirmat[h]:

> οὐκ ἀνελεύθερον οἶμαι θάνατον
> τῷδε γενέσθαι·
> οὐδὲ γὰρ οὗτος δολίαν ἄταν
> οἴκοισιν ἔθηκ'· ἀλλ' ἐμὸν ἐκ τοῦδ'
> ἔρνος ἀερθὲν, τὴν πολυκλαύτην
> Ἰφιγένειαν ἀνάξια δράσας,
> ἄξια πάσχων, μηδὲν ἐν Ἅιδου
> μεγαλαυχείτω, ξιφοδηλήτῳ
> θανάτῳ τίσας ἅπερ ἦρξεν.

Cavete ergo existimetis, cantilenam eam, qua narratur devotæ virginis cædes, temere, purpureum veluti pannum, insui: quin potius ad fabulæ summam ita pertinet, ut nihil valdius, sacrificii istius memoria. Videlicet ex eo haud incredibile fit, superos in cædem Agamemnonis consensuros, alioqui maxime omnium indignam et atrocem.

Neque id parum habet momenti, quod Agamemnoni, vel in ipso sacrificii articulo, Æschylus noster mitem adeo vereque paternum animum tribuit. Ubi monitos velim tirones, arte non mediocri ita rem agi, ut ad eum omnia, magis quam ad ipsam Iphigeniam, spectent. In illum atrox incumbit ne-

[g] *Agam.* 1388. [h] *Ibid.* 1499.

cessitas, irata plebe propter navigationem denegatam [i]:

καὶ τόθ' ἡγέμων ὁ πρεσβυς
νεῶν Ἀχαϊκῶν,
μάντιν οὔτινα ψέγων,

(dissimilis utique Homerici illius, exardescentis in Calchantem sub ipso Iliadis exordio: hic vero noster,)

ἐμπαίοις τύχαισι συμπνέων,

id quod suavissimæ erat indolis, tum demum diræ religioni manus dat, cum viderit Parcarum decreta cum minis insanæ plebis consentire:

εὖτ' ἀπλοίᾳ κενάγγει βαρύνοντ' Ἀχαϊκὸς λεὼς,
Χαλκίδος πέραν ἔχων
παλιρρόθοις ἐν Αὐλίδος τόποις·
πνόαι δ' ἀπὸ Στρύμονος μολούσαι
κακόσχολοι, νήστιδες, δύσορμοι,
βροτῶν ἄλαι,
νεῶν τε καὶ πεισμάτων ἀφειδεῖς,
παλιμμήκη χρόνον τιθεῖσαι
τρίβῳ, κατέξαινον ἄνθος Ἀργείων.

Optime adumbravit poeta indignationem militum, isto velut infamium verborum cumulo: regem simul invitum opprimi significat vel ipsa numerorum ratione, ruentibus quodammodo alia super aliam clausulis. Quod autem filiam pater tandem aliquando decrevit immolandam, monstravit poeta, nihil tam in causa fuisse, quam opinio ista damnosa et infelix, quam is de rerum fatali ordine ceperat. Ea nimirum semel imbutus Agamemnon, fit alius ferme vir atque antea fuerat. Sive ut ipsius Æschyli verbis utar [k],

ἔπει ἀνάγκης ἔδυ λέπαδνον
φρενὸς πνέων δυσσεβῆ τροπαίαν,
ἄναγνον, ἀνίερον, τόθεν
τὸ παντότολμον φρονεῖν μετέγνω.

Quæ omnia mirifice conveniunt cum iis, quæ ex Pro-

[i] *Agam.* 177. [k] *Ibid.* 211.

metheo jam ante deprompsi, quo tempore Æschylum, Pythagoræ nempe discipulum, docebam tum ab Epicureorum dementia, tum a fatali necessitate abhorruisse. Quod autem diximus, Agamemnoni, non ipsi Iphigeniæ, consulto primas in hac narratione tribui: consentiet, opinor, mecum, quisquis ille erit, qui diligentius inter se velit conferre Æschylum, Lucretium, Euripidem, laudatissimos certe in hoc argumento scriptores. Ex quibus Iphigenia Lucretiana capit animum simplici pictura et dulci quadam *ἀφελείᾳ*:

> Quæ simul infula virgineos circumdata crines
> Ex utraque simul malarum parte profusa est,
> Et mœstum simul ante aras adstare parentem
> Sensit, et hunc propter ferrum celare ministros,
> Muta metu terram genibus summissa petebat,
> Nec miseræ prodesse in tali tempore quibat
> Quod patrio princeps donarat nomine regem.

Eadem contra apud Euripidem nobili et elato sermone, sed paullo forsan ambitiosiore, theatrum percellit[k].

> *οὐκ ἐῶ στάζειν δάκρυ·*
> *ὑμεῖς δ' ἐπευφημήσατ', ὦ νεάνιδες,*
> *παιᾶνα τῇ 'μῇ ξυμφορᾷ, Διὸς κόρην*
> *Ἄρτεμιν· ἴτω δὲ Δαναΐδαις εὐφημία.*
> *κανᾶ δ' ἐναρχέσθω τις, αἰθέσθω δὲ πῦρ*
> *προχύταις καθαρσίοισι, καὶ πατὴρ ἐμὸς*
> *ἐνδεξιούσθω βωμόν· ὡς σωτηρίαν*
> *Ἕλλησι δώσουσ' ἔρχομαι νικηφόρον·*
> *ἄγετέ με τὰν 'Ιλίου*
> *καὶ Φρυγῶν ἐλέπτολιν.*

Videte autem, an apud Æschylum nostrum, ex ratione omnium dulcissima, quamque ejus dramatis, opinor, summa postulabat, in patre magis mactante, quam in ipsa victima, teneantur animi[l].

> *λιτὰς δὲ καὶ κληδόνας πατρῴους*
> *παρ' οὐδὲν, αἰῶνα παρθενείον τ',*

[k] *Iph. in Aul.* 1477. [l] *Agam.* 220.

ἔθεντο φιλόμαχοι βραβεῖς.
φράσεν τ' ἀόζοις πατὴρ μετ' εὐχὰν
δικὰν χιμαίρας ὕπερθε βωμοῦ
πέπλοισι περιπετῆ . . . λαβεῖν.

Accedunt ea, quæ soli natalis ac securæ domus memoriam suavissime revocant:

ἔβαλλ' ἑκάστον θυτήρων
ἀπ' ὄμματος βέλει φιλοίκτῳ . .
. . . . . ἔπει πολλάκις
πατρὸς κατ' ἀνδρῶνας εὐτραπέζους
ἔμελψεν, ἁγνᾷ δ' ἀταύρωτος αὐδᾷ πατρὸς
φίλου τριτόσπονδον εὔποτμον τ'
αἰῶνα φίλως ἐτίμα.

Unum addam, quod ad hoc *ἐπεισοδίον* pertineat: spargi hic illic a canente voces ambiguas, quarum opera in atrocem Pelopidarum casum erigat se quodammodo animus, malaque brevi futura præsentiat. Hinc obstruitur os Iphigeniæ, ne scilicet emittat ea vel inscia *φθόγγον ἀραῖον οἴκοις*. Hinc monita gravissima, sub fine totius carminis [m]:

τὸ δ' ἔνθεν οὔτ' εἶδον, οὔτ' ἐννέπω·
τεχναὶ δὲ Καλχάντος οὐκ ἄκραντοι·
δίκα δὲ τοῖς μὲν παθοῦσι μαθεῖν
ἐπιρρέπει.

Hinc denique obscuriora illa, sed tamen et vera et profunda, quibus tacite Clytæmnestra quoque tangitur, omnesque qui in se vel unum solum facinus scientes admiserint [n]:

βρότους θρασύνει γὰρ αἰσχρόμητις
τάλαινα παράκοπα πρωτοπήμων.

Diximus de *παρόδῳ* Agamemnonis, illustri sane cantilena, et quæ in se sola ferme justæ et integræ Tragœdiæ elementa, quæ vocantur, contineat. Jam ex alia quoque parte subit iratorum Deorum mentio, ac dira quædam exspectatio ingruentis pœnæ. Ipsa

[m] *Agam.* 239. [n] *Ibid.* 215.

nempe clades Iliaca per se rationem habet gravissimi omnium documenti, nequis impiorum sceleris sui præmia impune se laturum putet. Illam ergo magnifico apparatu semel atque iterum celebrans poeta, nihil ab ipsorum Achivorum consilio, omnia proficisci docet a Deo vindice [o]:

> *Ἀτρέως παῖδας ὁ κρείσσων*
> *ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ πέμπει ξένιος*
> *Ζεύς.*

Ac præter cætera, victoriæ jam certior factus, universam divinæ pœnæ rationem exponit:

> *Δία τοι ξένιον μέγαν αἰδοῦμαι,*
> *τὸν τάδε πράξαντ', ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ*
> *τείναντα πάλαι τόξον, ὅπως ἂν*
> *μήτε πρὸ καιροῦ, μήθ' ὑπὲρ ἄστρων*
> *βέλος ἡλίθιον σκήψειεν.*
> *Δίος πλάγαν ἔχουσιν· εἰπεῖν*
> *πάρεστι τοῦτο κἀξιχνεῦσαι·*
> *ἔπραξεν, ὡς ἔκρανεν.*

Illud *ἔκρανεν*, Parcarum plerumque proprium, non sine causa de Jove hoc loco dicitur. Effecit, inquit, liberrima Dei dominatio, non cœca Parcarum vis. Deinde eorum dementiam exagitat, qui aliquo post tempore vocabantur Epicurei:

> *οὐκ ἔφα τις θεοὺς βροτῶν*
> *ἀξιοῦσθαι μέλειν,*
> *ὅσοις ἀθίκτων χάρις*
> *πατοῖθ'· ὁ δ' οὐκ εὐσεβής.*

Venio ad eximium de infausta illa Helena melos. Nusquam ibi Chorum militari gloria exultantem invenies. Solam præ oculis habet Deorum vindictam, seram quidem illam, sed acerbam cum primis, certamque [p]:

> *Ἰλίῳ δὲ κῆδος ὀρ-*
> *θώνυμον τελεσσίφρων*

[o] *Agam.* 353. [p] *Ibid.* 680.

μῆνις ἤλασεν, τραπέ-
-ζας ἀτίμωσιν ὑστέρῳ χρόνῳ
καὶ ξυνεστίου Δίος
πρασσομένα, τὸ νυμφότιμον
μέλος ἐκφάτως τιόντος,
ὑμέναιον, ὃς τότ' ἐπέρρεπε
γαμβροῖσιν ἀείδειν.

Etiam in eo loco emendatur eorum sententia, qui mala cum bonis alternari aiunt, quasi quodam orbe fatali. Hic contra docemur, mala sæpissime in pejus, pia in lætius ac felicius proficisci[q].

παλαίφατος δ' ἐν βροτοῖς γέρων λόγος
τέτυκται, μέγαν τελεσθέντα φωτὸς ὄλβον
τεκνοῦσθαι, μήδ' ἄπαιδα θνήσκειν·
ἐκ δ' ἀγαθᾶς τύχας γένει
βλαστάνειν ἀκόρεστον οἰζύν·
δίχα δ' ἄλλων μονόφρων εἰ-
μί· τὸ δυσσεβὲς γὰρ ἔργον
μετὰ μὲν πλείονα τίκτει,
σφετέρᾳ δ' εἰκότα γέννᾳ·
οἴκων δ' ἄρ' εὐθυδίκων
καλλίπαις πότμος ἀεί.

Videtis, popularem ita negari *γνώμην*, ut in splendidius ac fortius erigantur animi: quæ res, Aristotele judice, maximam laudem in genere sententioso meretur. Universo autem carmine, seu nuptias deprecetur Chorus infaustas, seu periculum familiæ illatum a leone nondum edomito, seu denique laudet inopiam cum honestate, abominetur *τὰ χρυσόπαστα ἑσθλά*; his, inquam, aliisque ambagibus, tacite, quasi aliud agendo, sub Paridis, Helenæ, Trojanorum persona, monentur Ægisthus et Clytæmnestra cum suis. Quid quæritis? una hæc cantilena satis exercet imbuitque animos legentium, ne nimis moveantur imminente bonorum ærumna.

Pergamus ad reliqua. Nihil, credo, unquam me-

[q] *Agam.* 727.

lius expressit pietatem cum majestate conjunctam. quam sermo ille Agamemnonis, scenam ingredientis[r]:

> *πρῶτον μὲν Ἄργος καὶ θεοὺς ἐγχωρίους*
> *δίκη προσειπεῖν, τοὺς ἐμοὶ μεταιτίους*
> *νόστου, δικαίων θ' ὧν ἐπράξαμεν πόλιν*
> *Πριάμου. δίκας γὰρ οὐκ ἀπὸ γλώσσης θεοὶ*
> *κλύοντες, ἀνδροκμῆτας Ἰλίου φθορὰς*
> *εἰς αἱματηρὸν τεῦχος οὐ διχορρόπως*
> *ψήφους ἔθεντο· τῷ δ' ἐναντίῳ κύτει*
> *ἐλπὶς προσῄει χειρὸς οὐ πληρουμένῳ.*

En consilium dignissimum vate sacro! vel ipsa, quæ dicitur, *ἀλληγορία*, gravissimæ cujusdam historiolæ vim habet. Sequitur post paullo[s]:

> *τούτων θεοῖσι χρὴ πολύμνηστον χάριν*
> *τίνειν· ἐπείπερ ἁρπαγὰς ὑπερκόπους*
> *ἐπραξάμεσθα, καὶ γυναικὸς οὕνεκα*
> *πόλιν διημάθυνεν Ἀργείων δάκος.*

Nonne in eo totus versatur, ut Jovem solum Deosque prædicet, de se suisque prorsus taceat[t]?

> *νῦν δ' εἰς μέλαθρα καὶ δόμους ἐφεστίους*
> *ἔλθων, θεοῖσι πρῶτα δεξιώσομαι,*
> *οἵ περ πρόσω πέμψαντες, ἤγαγον πάλιν.*

Contra, ubi gloriosius aliquid enunciandum erit de gestis Achivorum, nemini præterquam Clytæmnestræ tribuuntur insanæ ac superbæ voces[u].

> *ἔκβαιν' ἀπήνης τῆσδε, μὴ χαμαὶ τιθεὶς*
> *τὸν σὸν πόδ', ὦ ναξ, Ἰλίου πορθητόρα·—*
> *δμωαὶ, τί μελλεθ', αἷς ἐπέσταλται τέλος*
> *πέδον κελεύθου στρωννύναι πετάσμασιν;*

Malitiam profecto minime vulgarem cernitis. Etiam hoc parat exitium conjux conjugi, quod animum tentat, si qua possit ad Nemesin, quam vocant, Deorum immortalium provocandam allicere. Plane sicut impius ille vates, qui perhibetur in sacrosanctis literis

[r] *Agam.* 783. [s] *Ibid.* 794. [t] *Ibid.* 824. [u] *Ibid.* 879.

deflexisse in pravum mentes Israeliticæ plebis, quam alioqui lædere non posset. Videtis eum esse ritum nocendi, qui declaret imbui religione quadam, odiosa quidem illa, nocentis animum: ut in scelestis quoque et facinorosis suum illud servare videatur Æschylus, ut deos quales quales sapiant certe omnia. Quod autem Agamemnon, *ἑκὼν ἀέκοντι γε θυμῷ*, morem gerit infidæ conjugi, tenet ille, ut decuit, partes viri vere magnanimi, ut in re nullius fere momenti minime sit molestus, neque pertinax. Verum et hic indicare voluit Poeta, imminere ejus capiti atrox aliquid et grave, qui etsi nihil ipse lubens in Deos commiserit, pedibus tamen quodammodo in partem alienæ arrogantiæ veniat.

Est et altera illa ratio, Clytæmnestræ fere solennis, qua maritum veluti percellit infaustis auguriis. Nam de eo sæpius promulgat, dedita opera, verba pessimi ominis. Verbi gratia; primo quoque tempore, nunciato Trojæ excidio per faces accensas, venit in mentem ei de exercitu Achivorum, quanto cum periculo in templis versentur [x]:

εἰ δ' εὖ σέβουσι τοὺς πολισσούχους θεούς,
τοὺς τῆς ἁλούσης γῆς, θεῶν θ' ἱδρύματα,
οὐκ ἂν γ' ἕλοντες αὖθις ἀνθάλῳεν ἄν.
ἔρως δὲ μή τις πρότερον ἐμπίπτῃ στράτῳ
ποθεῖν ἃ μὴ χρὴ, κέρδεσιν νικωμένους.
δεῖ γὰρ πρὸς οἴκους νοστίμου σωτηρίας
κάμψαι διαύλου θάτερον κῶλον πάλιν.

Ut autem crediderim eam scientem prudentemque injecisse infaustas voces, faciunt præsertim tres illi ultimi versus [y]:

θεοῖς δ' ἀναπλάκητος εἰ μόλοι στρατὸς,
ἐγρηγορὸς τὸ πῆμα τῶν ὀλωλότων
γένοιτ' ἂν, εἰ πρόσπαια μὴ τύχοι κακά.

[x] *Agam.* 329. [y] *Ibid.* 336.

Quorsum illa, obsecro, *κακῶν προσπαίων* mentio, nisi quia cum dolore et ira meminit superba mulier Cassandræ pellicis, sicut et ante mactatæ filiæ memineratcum diceret, aliquando experrectum iri *τὸ πῆμα τῶν ὀλωλότων*? Graviter utrinque commota mens, in ea prorumpit, quæ acerbissimam indignationem simul et tegant et significent[z]:

τοιαῦτα τἂν γυναικὸς ἐξ ἐμοῦ κλύοις.

Quasi dicat, Mulier sim licet, id quod a vobis ignominiæ fere loco habetur, eam tamen sciatis velim me esse, quæ et violari me sentiam, et violantem ulcisci noverim.

Nimirum Agamemnonis ex Iliaca victoria redeuntis illo loco res erant, ut secundum illam quæ tunc temporis vigebat religionem, nemini non in promptu esset de eo tristia quælibet atque acerba divinare. Sparguntur non pauca ejusmodi, etiam illo triumphali carmine; vel propter manus cæde bellica rubentes[a];

μένει δ' ἀκοῦσαι τί μοι μερίμνα νυκτηρεφές·
τῶν πολυκτόνων γὰρ οὐκ ἄσκοποι θεοί·—

vel propter Herodoteam illam *νέμεσιν*, infensam ut semper et infaustam primario cuique et fortunato viro[b]:

τὸ δ' ὑπερκόπως κλύειν εὖ,
βαρύ· βάλλεται γὰρ ὅσσοις
Διόθεν κέραυνος·
κρίνω δ' ἄφθονον ὄλβον.

Quod si Talthybio, homini castrensi, ac temere, ut fit, loquenti, curæ erat, ne *κεδνὰ κακοῖσι συμμίξῃ*[c], uxorem Imperatoris decebat utcunque parcere verbis sinistri malique ominis. At vero Clytæmnestra, ut dixi, sciens prudensque iterum iterumque ea profert; superbia quadam sua, tanquam una sit Parcarum,

[z] *Agam.* 339. [a] *Ibid.* 445. [b] *Ibid.* 453. [c] *Ibid.* 631.

quæ rerum tenorem ipsa possit flectere, verbis vocibusque ad libidinem serendis. Exemplo sint ea quibus claudit orationem illam, visa, nondum audita, Trojanorum clade[d]:

> τὸ δ' εὖ κρατοίη, μὴ διχορρόπως ἰδεῖν·
> πολλῶν δ' ἂν ἐσθλῶν τηνδ' ὄνησιν εἰλόμην.

Ea sunt, quæ perfacile in malum torqueantur sensum; præsertim ambiguam quandam vocis vultusque flexionem usurpantibus. Idem sonat clarius ipsa redeuntis salutatio[e]:

> εὐθὺς γενέσθω πορφυρόστρωτος πόρος,
> εἰς δῶμ' ἄελπτον ὡς ἂν ἡγῆται Δίκη.

Verum a Choro, suum officium tuente, gravissime ac pulcherrime corrigitur impia Regina; siquidem corrigendi vim habent ea, quæ veram nos docent rationem sermonis vel bene vel male ominati[f]:

> τίς ποτ' ὠνόμαζεν ὧδ'
> ἐς τὸ πᾶν ἐτητύμως,—
> μή τις, ὄντιν' οὐκ ὁρῶμεν,
> προνοίαισι τοῦ πεπρωμένου
> γλῶσσαν ἐν τυχᾷ νέμων;
> τὰν δορίγαμβρον, ἀμφινείκη θ' Ἑλέναν;
> ἐπεὶ πρεπόντως ἑλέναυς, ἕλανδρος, ἑλέπτολις,
> ἐκ τῶν ἀβροτίμων προκαλυμμάτων ἔπλευσε.

Studiosius ista, quæso, attendite,

> προνοίαισι τοῦ πεπρωμένου
> γλῶσσαν ἐν τυχᾷ νέμων.

Invenietis paucissimorum sane verborum formulam, sed quæ doctrinam habeat ex interiore prorsus adyto hauriendam. Judice nimirum Æschylo, linguas hominum non cæca sors, non insana regit libido; sed adest, adest præsaga nescio quæ vis, tum in nominibus deligendis, tum in iis, quæ ex ore hominum casu quopiam videntur excidere. Ergo ex hac quoque

[d] *Agam.* 340. [e] *Ibid.* 833. [f] *Ibid.* 664.

parte cum superna veritate consentientem eum habemus. Docent quippe Vates sacri, nomina apud populum Dei dari plerumque non sine Deo: non sine significatione quadam, quæ ad indolem, mores, fortunas cujusque pertineat. Ex quo efficitur, vel nomen ipsum appellando, quo quis nominetur, tesseram quandam præsentis dari Numinis. Adeo ne trivialem quidem rem absque Deo fieri voluit, qua erat pietate, gravissimus omnium Poeta.

Verum redeamus ad Clytæmnestram; quæ cum primas fere partes agat in ea Tragœdia, cujus summa sit, Deorum providentiam tueri; non abs re erit, si pauca quædam afferemus, quæ doceant vel ab initio criminis tacite torqueri eam, angique animo, cæca videlicet conscientia numinis irati. Ac velim accuratius eam componat aliquis cum uxore Macbethis, intenta jam atroci parricidio; quæ cum nulla religione teneatur, ne violet hospitis regii vitam, mirabile est quam nullo negotio, facili quadam urbanitate usa, hunc ipsum advenientem excipiat. Quod contra, durius, invita quasi Minerva, profiteri videtur Clytæmnestra suam de marito absente sollicitudinem. Principio, illa quam frigida, quo temporis puncto certior fit, Trojam armis Graiorum succubuisse[g]!

ἀνωλόλυξα μὲν πάλαι χαρᾶς ὑπὸ,
ὅτ' ἦλθ' ὁ πρῶτος νυχίος ἄγγελος πυρὸς,
φράζων ἅλωσιν Ἰλίου τ' ἀνάστασιν.
καί τις μ' ἐνίπτων εἶπε, φρυκτώρων διὰ
πεισθεῖσα, Τροίαν νῦν πεπορθῆσθαι δοκεῖς;....
ὅπως δ' ἄριστα τὸν ἐμὸν αἰδοῖον πόσιν
σπεύσω πάλιν μόλοντα δεξάσθαι· τί γὰρ
γυναικὶ τούτου φέγγος ἥδιον δρακεῖν,
ἀπὸ στρατείας ἀνδρὶ, σώσαντος θεοῦ,
πύλας ἀνοῖξαι; ταῦτ' ἀπάγγειλον πόσει.
ἥκειν ὅπως τάχιστ', ἐράσμιον πόλει.

[g] *Agam.* 570.

Videtis non tam delectari gloria conjugis, quam irasci quod ipsa nimiæ credulitatis arguebatur. Ac ne ista quidem prius effert quam fuerit a Choro admonita [h]:

> δόμοις δὲ ταῦτα καὶ Κλυταιμνήστρᾳ μέλειν
> εἶκος μάλιστα, σὺν δὲ πλουτίζειν ἐμέ.

Deinde, cui non cordato datur suspicionis perquam acerbæ locus, quod coactis adeo vocibus salvere jubet visum tandem longo post tempore [i]?

> ἄνδρες πολῖται, πρέσβος Ἀργείων τόδε,
> οὐκ αἰσχυνοῦμαι τοὺς φιλανόρας τρόπους
> λέξαι πρὸς ὑμᾶς.

Quam nullo prorsus affectu rumoris meminit sæpius auditi de morte conjugis [k]!

> καὶ τραυμάτων μὲν εἰ τόσων ἐτύγχανεν
> ἀνὴρ ὅδ', ὡς πρὸς οἶκον ὠχετεύετο
> φάτις, τέτρωται δικτύου πλέω λέγειν.

Quam putide se narrat confici lacrymis, vigiliis, somniis mali ominis! tum similitudines de trivio sumptas ingerit, amorem quendam operose fingendo minime ad normam veri amoris [l]:

> λέγοιμ' ἂν ἄνδρα τόνδε τῶν σταθμῶν κύνα,
> σωτῆρα νάος πρότονον, ὑψηλῆς στέγης
> στύλον ποδήρη, μονογενὲς τέκνον πατρὶ,
> καὶ γὴν φανεῖσαν ναυτίλοις παρ' ἐλπίδα,
> κάλλιστον ἦμαρ εἰσιδεῖν ἐκ χείματος,
> ὁδοιπόρῳ διψῶντι πηγαῖον ῥέος.

Hos autem sermones ideo excitandos putabam, ut satis constaret, vel impiæ illi et atroci Reginæ hæsisse nonnunquam animum et linguam, venturæ justitiæ metu. Neque vero ea res Chorum fefellit, ne otiose quidem adstantem, quin is, quid sibi vellent longæ mulieris ambages, semel atque iterum miraretur. Verbi gratia, Præconem his alloquitur,

[h] *Agam.* 568. [i] *Ibid.* 828. [k] *Ibid.* 839. [l] *Ibid.* 869.

non sine manifesta εἰρωνείᾳ, post orationem Clytæmnestræ satis ambiguam [m]:

> αὕτη μὲν οὕτως εἶπε μανθάνοντί σοι
> τοροῖσιν ἑρμηνεῦσιν εὐπρεπῶς λόγοις.

Ecquid aliud censetis significari gravissima illius velut oraculi clausula [n]?

> εἰ δὲ μὴ τεταγμένα
> μοῖρα μοῖραν ἐκ θεῶν
> εἶργε μὴ πλέον φέρειν,
> προφθάσασα καρδία
> γλῶσσαν ἂν τάδ' ἐξέχει.
> νῦν δ' ὑπὸ σκότῳ βρέμει
> θυμαλγὴς τε, καὶ
> οὐδὲν ἐπελπομένα ποτὲ καίριον ἐκτολυπεύσειν
> ζωπυρουμένας φρενός.

His diserte fatentur senes, velle se quidem nefaria consilia pandere, sed obstare metum cœci cujusdam fati, τεταγμένης μοίρας, quæ Deorum ipsorum effata, μοῖραν ἐκ θεῶν, coerceat quodammodo, et vetet quidquam proficere. Ita fit, magno Regis infortunio, ut quamvis æstuantibus animis taceant. Quin et Cassandræ, clara vaticinanti, non plenam habent fidem, usque eo, dum vox moribundi etiam Regis aures feriat.

Quo autem plures undique suspiciones ingerantur, eo magis miretur aliquis generosam Agamemnonis fiduciam, ac simplicitatem vere militarem, immo germanam pietatem sine fuco et fallaciis; qui nulla unquam formidine commotus, ita se laudibus efferri, propter Trojam devictam, patitur, ut cælesti tamen numini omnem omnino gloriam tribuat:

> πρῶτον μὲν Ἄργος καὶ θεοὺς ἐγχωρίους
> δίκη προσειπεῖν.

Nescio equidem an nullum apud Poetam extet in-

[m] *Agam.* 598. [n] *Ibid.* 993.

genuæ magnæque indolis exemplar, adeo omnibus numeris absolutum, quod paucis adeo versibus sit confectum. Fuit hoc videlicet omni tempore primariorum vatum proprium et præcipuum, ut quod cæteris erat opus diuturni laboris ac multiplicis industriæ, id per eos fieret uno quasi penicilli jactu.

Illud præterea religiosum habet Clytæmnestra, quod nullo non tempore præ se fert, quicquid per eam fiat in maritum atrocius et gravius, id omne ultionis justissimæ, ac divinæ quidem, rationem habere. Hoc illud erat, quod non solius Iphigeniæ, verum etiam Cassandræ et Chryseidos mentionem adeo acerbam subinde injicit [o]:

> *κεῖται γυναικὸς τῆσδε λυμαντήριος,*
> *Χρυσηίδων μείλιγμα τῶν ὑπ' Ἰλίῳ·*
> *ἥ τ' αἰχμάλωτος ἥδε καὶ τερασκόπος,*
> *καὶ κοινόλεκτρος τοῦδε, θεσφατήλογος*
> *πιστὴ ξύνευνος.*

Iphigeniam autem nominando, nescio quomodo, mollior fit eadem, ac propior muliebris sensus [p]:

> *ἀλλ' ἐμὸν ἐκ τοῦδ'*
> *ἔρνος ἀερθὲν, τὴν πολυκλαύτην*
> *Ἰφιγένειαν ἀνάξια δράσας,*
> *ἄξια πάσχων, μηδὲν ἐν Ἅιδου*
> *μεγαλαυχείτω, ξιφοδηλήτῳ*
> *θανάτῳ τίσας ἅπερ ἦρξεν.*

Novit, ut videtur, Æschylus dulcissimo luctu temperare atrocem materiam, vocato in partes tenerrimo matris affectu. Atque etiam, ubi nondum sepulto indigna atque aspera minatur, non meris utitur conviciis; quin mollissimo carmine perditæ filiæ quasi næniam videtur canere [q]:

> *πρὸς ἡμῶν*
> *κάππεσε, κάτθανε, καὶ καταθάψομεν,*

[o] *Agam.* 1413. [p] *Ibid.* 1502. [q] *Ibid.* 1529.

οὐκ ὑπὸ κλαυθμῶν τῶν ἐξ οἴκων,
ἀλλ' Ἰφιγένειά νιν ἀσπασίως,
θυγατὴρ, ὡς χρὴ
πατέρ' ἀντιάσασα πρὸς ὠκύπορον
πόρθμευμ' ἀχέων,
περὶ χεῖρε βαλοῦσα φιλήσει.

Superest, ut videamus quo animo fuerit in ipso cædis articulo facinorosa mulier. Quo in loco valde dissimilem se præbet Shaksperianæ illius, cujus modo nomen nominavi. Nostra quippe, nullo neque pudore nec metu obstricta, palam et aperte gloriari cæde conjugis; ostentare fronti inspersam cruoris maculam; ita tamen, ut sese non suæ injuriæ ultricem, sed læsæ Deorum majestatis ac vindicem ministram venditet[q]:

πειρᾶσθέ μου γυναικὸς ὡς ἀφραδμόνος·
ἐγὼ δ' ἀτρέστῳ καρδίᾳ πρὸς εἰδότας
λέγω—σὺ δ' αἰνεῖν εἴτε με ψέγειν θέλεις,
ὅμοιον—οὗτός ἐστιν Ἀγαμέμνων, πόσις
ἐμὸς, νεκρὸς δὲ, τῇσδε δεξιᾶς χερὸς
ἔργον, δικαίας τεκτόνος· τάδ' ὧδ' ἔχει.

Hæc illa, ipso immanis flagitii momento: eadem tamen illico molliri paullatim, quo more solent ferociores, votorum semel facti compotes, et excusare primo Iphigeniam, deinde Cassandram, postremo etiam Chryseida; veluti quæ rationes circumspiciat, quarum ope commissum facinus tueatur, non modo coram Diis hominibusque, verum etiam tacito sui cordis judicio. Quo pertinet et illud, de quo satis jam antea; culpam ab ea non semel in unam Parcarum, vel in malum Pelopidarum Genium conferri. Atque hac demum ratione se utcunque videtur levare[r]:

ἐγὼ δ' οὖν
ἐθέλω, δαίμονι τῷ Πλειστθενιδᾶν
ὅρκους θέμενα, τάδε μὲν στέργειν,

[q] *Agam.* 1372. [r] *Ibid.* 1557.

δύστλητά περ ὄνθ' · ὁ δὲ λοιπὸν, ἰόντ'
ἐκ τῶνδε δόμων, ἀλλὴν γένεαν
τρίβειν θανάτοις αὐθένταισιν.

Hac parte præ cæteris notanda videtur sacrificii mentio, semel et sæpius injecta [s]:

οὔ τοι θυραίαν τήνδ' ἐμοὶ σχολὴ πάρα
τρίβειν· τὰ μὲν γὰρ ἑστίας μεσομφάλου
ἕστηκεν ἤδη μῆλα πρὸς σφάγας πυρὸς,
ὡς οὔποτ' ἐλπίσασι τήνδ' ἔξειν χάριν.

Rursus etiam, ubi scelus ipsum narratur [t]:

παίω δέ νιν δὶς· κἀν δυοῖν οἰμώγμασιν
μεθῆκεν αὐτοῦ κῶλα· καὶ πεπτωκότι
τρίτην ἐπενδίδωμι, τοῦ κατὰ χθονὸς
Ἅιδου, νεκρῶν σωτῆρος, εὐκταίαν χάριν.

Quo spectat ea quoque clausula, quam nos ante citavimus; qua significatur, non tam sua manu, quam dæmonis cujusdam domo inimici, rem geri; sacrificii potius quam ultionis ergo [u]:

φανταζόμενος δὲ γυναικὶ νεκροῦ
τοῦδ' ὁ πάλαιος δρίμυς ἀλάστωρ
Ἀτρέως χαλεποῦ θοινατῆρος
τόνδ' ἀπέτισεν,
τέλεον νεαροῖς ἐπιθύσας.

Mirabile est, quam bene ista omnia conveniant cum indole hominum falsa religione percitorum, quoties (id quod sæpius occurrit evolventi harum præsertim gentium annales) fuerit Deus placandus sanguine, seu tyranni sive cujuslibet impii.

Jam eadem, ipso fine Tragœdiæ, litem Ægisthi cum Choro ita componit, ut doceat sibi satis superque jam esse vulnerum ac domesticæ cædis [x]:

μηδαμῶς, ὦ φίλτατ' ἀνδρῶν, ἄλλα δράσωμεν κακά·
ἀλλὰ καὶ τάδ' ἐξαμῆσαι πολλὰ δύστηνον θέρος·
πημονῆς δ' ἅλις γ' ὑπάρχει· μηδὲν αἱματώμεθα.

Ad summam. Clytæmnestræ vel sævientis partes,

[s] *Agam.* 1022. [t] *Ibid.* 1355. [u] *Ibid.* 1477. [x] *Ibid.* 1644.

nedum mitescentis, ita comparari arbitror, ut in ea cernat aliquis quid in duris etiam et impiis possit timor insitus Deorum.

Quo magis credibile sit, Cassandræ personam quasi pæne sacrosanctam induci; ne non constet, adesse certe Deum, et vigili oculo contemplari mortalium scelera, etsi hominibus male feriatis per otium fere ac ludibrium nobiscum agere videatur. Ea nimirum vis est prophetici carminis, dilato in longinquum eventu, ut servetur interim memoria præsentis Dei, ne homines in Epicuri dementiam abeant. Quoniam igitur in scelus atrocissimum demissurus erat aulæa Æschylus, utique suspendendi erant animi, et spe venturæ ultionis utcunque reficiendi; id quod eximium plane habet introitus Cassandræ; non modo propter expressa verbis vaticinia, sed multo magis ob universum personæ ejus et indolis colorem, tacite quodammodo clamantis, ADESSE DEUM.

Quid velim, exemplis doceam. Primo, in scenam ingredienti occurrit, uti meministis, Clytæmnestra, quæ Jovem hospitalem satis frigide appellat, atque etiam captivam invitat in domesticorum sacrorum partem[y]:

> *εἴσω κομίζου καί συ, Κασάνδραν λέγω·*
> *ἐπεί σ' ἔθηκε Ζεὺς ἀμηνίτως δόμοις*
> *κοινωνὸν εἶναι χερνίβων, πολλῶν μέτα*
> *δουλῶν, σταθεῖσαν κτησίου βωμοῦ πέλας.*

Quid ex altera parte Cassandra? Principio, manente Clytæmnestra, altum silentium: tanquam ea prorsus foret indigna quæ cæli interpretem vel aure semel audiret. Deinde, quasi sola cum Deo suo relicta, fractis modo bacchari vocibus; tum paullatim alloquentem Chorum sentire; atque ita, postquam per-

[y] *Agam.* 1002.

currit omnes fere Musarum lugubrium flexus, in se redire, ac tranquilla mente ultimum illud Vale dicere rebus mortalibus [z]:

> *ἀλλ' εἶμι κἀν δόμοισι κωκύσουσ' ἐμὴν*
> *Ἀγαμέμνονός τε μοῖραν· ἀρκείτω βίος·*
> *ἴω ξένοι.*
> *οὔτοι δυσοίζω, θάμνον ὡς ὄρνις, φόβῳ*
> *ἄλλως· θανούσῃ μαρτυρεῖτε μοι τόδε,*
> *ὅταν γυνὴ γυναικὸς ἀντ' ἐμοῦ θάνῃ,*
> *ἀνήρ τε δυσδάμαρτος ἀντ' ἀνδρὸς πέσῃ.*
> *ἐπιξενοῦμαι ταῦτα δ' ὡς θανουμένη.*

Quis non intelligit, Clytæmnestram verbo tenus, hanc re intimaque mente, sacris adesse, Deosque immortales colere? Illa, velut vulgus hominum, in ore modo solennes habet formulas: hæc cum piis verequeque religiosis sentit omnia cælesti numine compleri.

Deinde illud divinum plane (etenim non alio ritu solet Deus Ipse, Deus Ille verus ac vivus, cum contumacibus et incredulis agere) quod tam æque ac leniter ferat Cassandra spernentes sua monita, immo vaticiniis irridentes. Chorus enim, quo tempore vel præcipue vicem ejus dolet, nequaquam tamen cessat denegare ei fidem [a]:

> *ὦ πολλὰ μὲν τάλαινα, πολλὰ δ' αὖ σοφὴ*
> *γύναι, μακρὰν ἔτεινας· εἰ δ' ἐτητύμως*
> *μόρον τὸν αὐτῆς οἶσθα, πῶς, θεηλάτου*
> *βοὸς δίκην, πρὸς βωμὸν εὐτόλμως πατεῖς;*

Illa placide cum incredulis argumentari [b],

> *οὔτοι δυσοίζω, θάμνον ὡς ὄρνις, φόβῳ*
> *ἄλλως.*

Ita demum devincitur Chori fatalis pertinacia, eique, tanquam vera auguranti, dant manus [c]:

> *ὦ τλῆμον, οἰκτείρω σε θεσφάτου μόρου.*

Postremo, in mortem de scena digrediens, pœnitere

[z] *Agam.* 1284. [a] *Ibid.* 1266. [b] *Ibid.* 1287. [c] *Ibid.* 1292.

se ait calamitatis non tam suæ quam universi generis humani [d]:

> ἰὼ βρότεια πράγματ'. εὐτυχοῦντα μὲν
> σκιά τις ἂν τρέψειεν· εἰ δὲ δυστυχοῖ,
> βολαῖς ὑγρώσσων σπόγγος ὤλεσεν γραφήν.
> καὶ ταῦτ' ἐκείνων μᾶλλον οἰκτείρω πολύ.

Profitetur scilicet, acerbiorem sibi videri pœnæ cælitus immissæ oblivionem, quam vel Priami vel Pelopidarum infortunia. Digna sane sententia quæ veniat in mentem nunciæ et interpreti Deorum immortalium.

Ac perlegat aliquis oraculorem ejus summam, quo tandem ordine aliud super alio, diris quasi gradibus ingeritur; inveniet, ni fallor, eandem ferme seriem, qua novimus usos fuisse ipsos vaticiniorum Judæorum antistites. Initio, ut diximus, altum silentium; deinde suspiria mera, gemitusque concisi; mox abruptæ quasi particulæ venturæ cladis: tandem aliquando, pertæsa silentii, rem aperit, crimen primo, deinde pœnam, verbis disertis palam explicans.

Unum addam; Cassandram auguriis eo fieri terribiliorem, quo ipsius indoles tenerior sit et ad misericordiam pronior: qualem eam cognoscimus vel mentione lusciniæ, (*ἰὼ λιγείας μόρον ἀηδόνος*), vel dulci illa, quam nos modo citavimus, sententia, deplorantis durissimum mortalium animum, quem ne Deorum quidem pœnæ altius valeant penetrare; vel præcipue, quod in patriam eversam atque in perditam Priami domum revocetur identidem inexpleto animi desiderio [e];

> ἰὼ γάμοι, γάμοι
> Πάριδος. ὀλεθρίοι φίλων·
> ἰὼ Σκαμάνδρου πατρίον πότον·
> τότε μὲν ἀμφὶ σὰς ἠίονας τάλαιν'

[d] *Agam.* 1298. [e] *Ibid.* 1125.

ἠνυτόμαν τροφαῖς·
νῦν δ' ἀμφὶ Κώκυτόν τε κἀχερουσίας
ὄχθας ἔοικα θεσπιῳδήσειν τάχα.

Scamandro nominato, coram sibi videtur videre Trojæ mœnia, supplicantium cœtus, irrita patris sacrificia[f]:

ἰὼ πόνοι, πόνοι
πόλεως ὀλομένας τὸ πᾶν·
ἰὼ πρόπυργοι θυσίαι πατρὸς
πολυκανεῖς βοτῶν ποιονόμων· ἄκος δ'
οὐδὲν ἐπήρκεσεν,
τὸ μὴ οὐ πόλιν μὲν, ὥσπερ οὖν ἔχει, παθεῖν.

Denique, quod leniter ac remisse tradit se Clytæmnestræ gladiis, nihil tam esse in causa videtur, quam quod infixa penitus hæreat animo memoria soli natalis, excisæ patriæ, genitoris ante oculos peremptiⁿ:

τὶ δῆτ' ἐγὼ κάτοικος ὧδ' ἀναστένω;
ἐπεὶ τὸ πρῶτον εἶδον Ἰλίου πόλιν
πράξασαν ὡς ἔπραξεν, οἱ δ' εἶχον πόλιν
οὕτως ἀπαλλάσσουσιν ἐν θεῶν κρίσει;
ἰοῦσα πράξω, τλήσομαι τὸ κατθανεῖν.

Eadem ferme adhibet sibi solatia, quæ ploranti cuidam Hebræo Sacrosanctus Vates: [h]Οὕτως εἶπε Κύριος ἐπί σοι, Βαρούχ: Ὅτι εἶπας, Οἴμοι, οἴμοι, ὅτι προσέθηκεν Κύριος κόπον ἐπίπονόν μοι· ἐκοιμήθην ἐν στεναγμοῖς, ἀνάπαυσιν οὐκ εὗρον· εἶπον αὐτῷ, Οὕτως εἶπε Κύριος, Ἰδου, οὓς ἐγὼ ᾠκοδόμησα, ἐγὼ καθαίρω· καὶ οὓς ἐγὼ ἐφύτευσα, ἐγὼ ἐκτίλλω· καὶ σὺ ζητήσεις σεαυτῷ μεγάλα; μὴ ζητήσῃς. ὅτι, ἰδοὺ, ἐγὼ ἐπάγω κακὰ ἐπὶ πᾶσαν σάρκα, λέγει Κύριος. Pudet quodammodo isto desiderio ictos, neque se satis officio facere judicant, si vel unum temporis punctum cogitatio discedat ab amatis ac perditis rebus.

Unde etiam prope finem disputationis ejusdem, mentione forte facta *τῶν εὐδαιμόνων*, tanquam ipsa

[f] *Agam.* 1137. [g] *Ibid.* 1257. [h] Jerem. 45. 2.

potuisset in eorum censu haberi, erumpit illico repentino quasi gemitu[1]:

ἴω, πατὲρ, σοῦ, τῶν τε γενναίων τέκνων.

Hæc qui serio velit animadvertere, sentiet profecto Cassandræ oraculis non paullum gravitatis accedere, quod ea mitiori sit indole, neque obliviscatur teneri ac fœminei affectus, furore etiam Phœbeo correpta; quo more solent plerumque apud Poetas fatidicæ mulieres.

Liceat hic paucis exponere, quæ maxime in causa esse videantur, cur in Cassandra Æschylus feliciorem posuerit operam, quam reliqui ferme Poetæ in auguribus suis. Id triplici potissimum ratione fieri arbitror. Primo, quod ea neque pretio neque vi obstricta vaticinetur. Neque de longinquo eam arcessunt homines, velut Protea quendam, aut Sibyllam, quæ in alienis edat oracula; verum ultro venit in ordinem rei gerendæ, quæ et divinitus futura noverit, et propter se suosque nequeat sibi temperare, quin nota prædicet. Deinde nihil ea commune habet cum molesta illa natione haruspicum. Non extis hariolatur, non avibus: a Diis statim ipsa docetur, quæ ab ea rursus ediscant homines; ut ejus notitia minimo intervallo separari videatur ab ipsa superorum sapientia. Postremo, quæ quidem omnium maxime una res percellit animos, insigni documento fit Cassandra, quantum accipiant sibi detrimentum qui scientia præcellere gestiunt; juxta illud Æschyli nostri,

τὸ μέλλον δ',
ἐπεὶ οὐ γενοίτ' ἂν λύσις, προχαιρέτω·
ἴσον δὲ τῷ προστένειν.

[1] *Agam.* 1276.

Immo, ut sanctius adhibeam testimonium, ὁ προστίθεις γνῶσιν, προσθήσει ἄλγημα. Ea res mirifice detinet animum, citius plerumque languentem in iis, quæ mortalium modum, affectusque humanos superant. Universæ autem Cassandræ partes in eo vel præcipue vertuntur, ut ea propter Apollinem miserrima sit; videlicet propter divinandi scientiam: ea tamen lege, ut nunquam continere se valeat, quin in horas fere divinet, ac præcinat eventura. Tanto simul et φίλτρῳ et damno fore mortalibus futuri præsensionem intelligimus.

Quæ cum ita sint, nihil vetare crediderim, quin Æschylum nostrum in Agamemnone judicemus spectasse id proprium ac præcipuum, ut succurreret pietati labenti propter inæqualem humani generis sortem. Id, ut puto, sedulo egit, ut religiosissime deprecaretur eorum rationem, qui res hominum regi volunt sive fato sive casu; lubentissime vero, quasi per transennam, monstraret æquissimum Numinis O. M. oculum, bonis malisque pariter invigilantem, omni loco ac tempore. Quo fit ut nemo facile inveniatur, qui ab Agamemnone legendo non eo consurgat affectu, ut malit sibi cum rege pio exitium quam cum parricidis securum fore triumphum. Colorem autem hunc sacrum atque castum rei fœdissimæ et atrocissimæ eo, ut dixi, præcipue adhibuit Æschylus, quod sapienter fingere noverit par illud nobilium mulierum: ex quibus incesta quæ sit et omni polluta crimine, ne ipsa quidem sibi temperat, quin se fateatur imbui religione quadam, et præsentis Dei sensu. Altera vero, quod pace dixerim nominis inter pauca venerandi, occubuisse narratur MARTYRUM ferme ritu; quippe quæ volens sanguine suo testimonium sanctissimæ veritati perhibuerit.

Sed quoniam sive ex sermonibus Cassandræ, sive ex universa hujus Tragœdiæ serie suboritur obscura modo spes, fore aliquando ut violatæ familiæ, serius licet, enascatur ultor ac vindex: debuit omnino Vates, pietatis magister, plenius atque fusius pœnæ cælitus immittendæ ordinem exsequi. Itaque ex Agamemnone Choëphoræ, ex Choëphoris subnatæ sunt Eumenides. Quarum utriusque quænam fere sit ratio, quibusque potissimum gradibus ambæ inserviant Deorum immortalium et læsæ religionis patrocinio, posthac erit explicandum.

BINDING SECT. MAY 22 1968

Keble, A. Joanne
L
KB54p Praelectiones
V.1 academicae

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY